Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionesbib0001vari_r5a8

INSTITUTIONES BIBLICAE

SCHOLIS ACCOMMODATAE

VOL. I

DE S. SCRIPTURA IN UNIVERSUM

EDITIO QUARTA RECOGNITA

ALMA COLLEGE
220.1
LIBRARY
N917
Alma, California

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ROMÆ
E PONTIFICIO INSTITUTO BIBLICO
1933

3251

IMPRIMATUR

Ioseph Palica, Archiep. Philipp. Vicesg.

IURA EDITIONIS ET VERSIONIS RESERVANTUR

(0034) GRAFIA S. A. I. Industrie Grafiche, Via Ennio Quirino Visconti, 13-A - Roma

PRAEFATIO

In hac quarta emissione primi voluminis Institutionum biblicarum *non tantum eorum, quae recentius edita sunt, suis locis, prout opportunitas ferebat, ratio habita est, sed etiam, quo aptius hoc opus nostrum scholis inserviret, quaedam contracta sunt, v. gr. quae ad antiquiores editiones textus et versionum attinent* (lib. III, n. 52 s., 69 s.), *alia mutata, ut de lingua primigenia V. T.* (lib. III, nn. 5-7), *aut alio ordine donata, ut de unitate sensus litteralis* (lib. IV, nn. 71-74), *pauca addita, v. c. de versionibus in lingua vernacula* (lib. III n. 143), *de Pelagio et Isidoro in historia exegeseos* (lib. IV, nn. 32-35). *Alia, quae expolientem manum opperiebantur, quominus perfici possent, angustiae temporis prohibuerunt.*

Quod in praecedentibus editionibus monebamus, fas sit hic iterare. In bibliographia singulis capitibus adnexa, delecta tantum opera indicata sunt, quae studentibus utiliora esse putantur. Quod tamen non ita intellegendum est, ac si omnia quae illic dicuntur, probari possint, etsi forte sint ab hominibus catholicis prolata; sed quatenus, rem uberius disserendo, ad penitiora studia viam aperiunt. Scriptores acatholici, in quorum lectione maior cautela adhibenda est, asterisco notantur, saltem ubi primum eorum mentio occurrit.

Faxit Deus ut hae Institutiones *utiles esse pergant ad sacrarum Litterarum studium fovendum, cognitionem augendam, auctoritatem tuendam, quod munus ac decus est Ecclesiae catholicae.*

P. A. Vaccari S. S.

Compendia operum quae frequentius citantur

D'ALÈS, *Dict. Apol.*	= *Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique...* Quatrième édition entièrement refondue sous la direction de A. D'ALÈS. Paris 1911-1928.
bab.	= *Talmud Babylonicum;* sequitur nomen tractatus, numerus folii, littera paginae (a, b). Cf. ad *Mišna.*
CAV. *Thes.*	= *Thesaurus Doctrinae Catholicae ex documentis Magisterii Ecclesiastici, Ordine methodico disposuit* F. CAVALLERA, Parisiis 1920.
Coll. Lac.	= *Acta et Decreta Sacrorum Conciliorum Recentiorum. Collectio Lacensis,* Friburgi Brisg. 1870-1890.
Conc. Trid.	= *Concilium Tridentinum. Diariorum, Actorum, Epistularum, Tractatuum Nova Collectio.* Edidit Societas Goerresiana. Friburgi Brisg. 1901.....
CORNELY, *Introd.*	= R. CORNELY S. I., *Historica et critica introductio in U. T. libros sacros.*[2] Parisiis, 1894-1897.
DENZ.-B.	= H. DENZINGER et C. BANNWART *S. I., Enchiridion Symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum. Editio decima sexta et septima quam paravit* I. B. UMBERG S. J.; Friburgi Brisgoviae 1928.
ENCH. B.	= *Enchiridion biblicum. Documenta ecclesiastica sacram Scripturam spectantia,* auctoritate Pontificiae Commissionis de re biblica edita, Roma 1927.
HASTINGS, *Dict. Bible*	= *A Dictionary of the Bible... Edited by* JAMES HASTINGS. Edinburgh 1898-1904.
jer.	= *Talmud hierosolymitanum* seu palaestinense; sequitur nomen tractatus, numerus capituli, folii, columnae (a, b). Cf. ad *Mišna.*
MANSI	= *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio..* Io. DOM. MANSI *evulgavit,* Florentiae-Venetiis 1758-1798; contin. J. B. MARTIN et L. PETIT, Parisiis-Lipsiae 1901-19.
Mišna	= *Mischna sive Totius Hebraeorum Iuris, Rituum Antiquitatum, ac Legum Oralium Systema... Latinitate donavit ac Notis illustravit* GUILIELMUS SURENHUSIUS. Amstelaedami 1698-1703. Citatur tractatus, caput, paragraphus. Cf. H. STRACK, *Einleitung in Talmud u. Midraš*[5], München 1921 (ibi p. 28 sq. index tractatuum ordine alphabetico).

PG	= *Patrologiae cursus completus. Series Graeca, accurante* J. P. MIGNE. Parisiis. (Citatur prima originalis editio, a qua saepe differunt numero columnarum posteriores impressiones).
PL	= *Patrologiae cursus completus. Series Latina, accurante* J. P. MIGNE. Parisiis. (Ut supra).
Realenc.	= *Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche...*[3] von D. A. HAUCK. Leipzig 1896-1913.
Šab.	= *Šabbath*, tractatus talmudicus.
Sanh.	= *Sanhedrin* seu de synedrio, tractatus talmudicus.
	Cf. ad *bab.* et *Mišna.*
UGOLINI, *Thes.*	= UGOLINI B., *Thesaurus Antiquitatum Sacrarum.* Venetiis 1744-1769.
VACANT, *Dict. théol.*	= *Dictionnaire de Théologie Catholique...* commencé sous la direction de A. VACANT, continué sous celle de E. MANGENOT, Paris, 1903...
VIG., *Dict. Bible*	= *Dictionnaire de la Bible...* publié par F. VIGOUROUX. Paris, 1895-1912.
Dict. Bible Suppl.	= Id. *Supplément...* de Louis PIROT, Paris, 1928....

Cetera verborum compendia, quibus utimur, etiam in titulis periodicorum afferendis, facile ab omnibus linguarum gnaris intelleguntur, v. gr. *Journ.* = *Journal*, *Rev.* = *Revue*, *Zeits.* = *Zeitschrift*. Parvus numerus ad modum exponentis indicat *editionem*, v. gr. *Introd.*[2] = *Introductionis* secunda editio. Libri Sacrae Scripturae compendiis in Vulgata citanda usitatis indicantur.

Transcriptio vocum hebraicarum

CONSONANTES	TRANSCRIPTIO
א	ʾ
ב	b
ג	g
ד	d
ה	h
ו	w
ז	z
ח	ḥ
ט	ṭ
י	y
כ	k
ל	l
מ	m
נ	n
ס	s
ע	ʿ
פ	
ף	p
צ	ṣ
ק	q
ר	r
שׁ	ś
שׂ	š
ת	t

VOCALES	TRANSCRIPTIO
◌ָ	ā
◌ַ	a
◌ֵ	ē
◌ֵי	ê
◌ֶ	e
◌ִ	i, ī
◌ִי	î
◌ֹ	ō
◌ֹו	ô
◌ָו	o
◌ֻ	u, ū
◌ֻו	û
◌ְ	•
◌ֲ	ă
◌ֱ	ĕ
◌ֳ	ŏ

INDEX

Praefatio . . . . . *Pag.* V
Compendia operum quae citantur VI
Transcriptio vocum hebraicarum VIII
Introductio 1

LIBER I. – DE INSPIRATIONE S. SCRIPTURAE

Praemittenda, Bibliographia nn. 1-5 . . . . . *Pag.* 7
CAPUT I. – *De facto inspirationis* 10
Art. 1. – De testimonio S. Scripturae 11
§ 1. – Veteris Testamenti testimonia 11
§ 2. – Novi Testamenti testimonia n. 6 11
A) De Vetere Testamento, nn. 7-11 11
B) De Novo Testamento, n. 12 14
Art. 2. – Doctrina Patrum de inspirationis facto 15
§ 1. – Aetas antiquissima, n. 13 15
§ 2. – Aetas posterior, nn. 14-16. 17
Art. 3. – Doctrina Theologorum. 19
§ 1. – Prima aetas scholastica, Henricus Gandavensis, S. Thomas, nn. 17-19 20
§ 2. – Doctores saeculi 16-18, nn. 20-25 23
Art. 4. – Ecclesiae de inspiratione doctrina, nn. 26-29 29
Art. 5. – Doctrinas Protestantium de inspiratione 31
§ 1. – Ab initio protestantismi, nn. 30-33 31
§ 2. – Ab exorto rationalismo, Modernismus, nn. 34-37 . 33
CAPUT II. – *De natura inspirationis* 36
Art. 1. – Praenotanda 36
§ 1. – De ratione procedendi, nn. 38-40. 36
§ 2. – Sententiae quaedam insufficientes, nn. 41-43 . . 38
Art. 2. – De essentia inspirationis 40
§ 1. – Notiones essentiales, nn. 44-47 40
§ 2. – De illustratione intellectus, nn. 48-50 42
§ 3. – De influxu divino in voluntatem et alias facultates, n. 51-52 44
Corollarium, n. 53 45
Scholion, n. 54 46
§ 4. – De influxu divino in formam externam libri sacri, Inspiratio verbalis mantica, mechanica. verbalis simpliciter, realis, verbalis psychologica, nn. 55-67 . . . 46

Caput III. – *De extensione inspirationis* . . . . . *Pag.* 57
Praenotanda, nn. 68-69. 57
Art. 1. – Omnia asserta auctoris sacri inspirata, n. 70-73 . . . 58
Art. 2. – Applicatio 60
§ 1. – Quaestio, principia generalia, n. 74-75 60
§ 2. – De citationibus explicitis, n. 76 61
§ 3. – De citationibus tacitis, n. 77 63
§ 4. – Hagiographi persona et affectus, n. 78 64
Caput IV. – *De inerrantia S. Scripturae* 65
Praenotanda, n. 79 65
Art. 1. – De facto inerrantiae, nn. 80-83 66
Art. 2. – Singula de applicatione 69
§ 1. – De genere et indole litteraria, 84-88 69
§ 2. – De principiis quibusdam interpretationis, nn. 89-96 73
Scholion, nn. 97-99 77
Caput V. – *De criteriis inspirationis* 78
Art. 1. – Praemittenda, nn. 100-103. 78
Art. 2. – De criteriis internis. 79
§ 1. – Quae sint, a quibus statuantur, nn. 104-105 . . 79
§ 2. – Quid valeant, n. 106 81
Art. 3. – De apostolatu et prophetia ut criterio nn. 107-109. . 82
Art. 4. – Verum et universale criterium, nn. 110-114 84

LIBER II. — DE CANONE

Praenotanda: Caput I. – *De voce et conceptu canonis* 87
Caput II. – *De criterio canonicitatis* 89

PARS I. — Historia canonis Veteris Testamenti

Caput I. – *De canone V. T. apud Iudaeos* 92
Art. 1. – De collectionibus lib. ante Christum natum 93
Art. 2. – De canone V. T. ineunte aevo christiano:
Variae sententiae circa definitionem canonis Iudaeorum. 95
De definitione canonis V. T. Esdrae adscripta . . . 96
De ambitu canonis V. T. initio aevi christiani . . . 98
Caput II. – *De Canone V. T. apud Christianos.*
Art. 1. – Vetus Testamentum approbatum ab Apostolis . . . 101
Art. 2. – Controversiae de libris deuterocanonicis a saec. II ad V. 103
Testimonia saec. II et III 103
Prima indicia dubiorum circa deuterocanonicorum inspirationem 106
Testimonia saeculorum IV-V 107
Art. 3. – Testimonia mediae aetatis 115
Art. 4. – A saeculo XVI ad nostra tempora 117

PARS II. — Historia canonis Novi Testamenti

Ratio tractationis . . . . . *Pag.* 120

CAPUT I. – *Formatio canonis N. T.*
Art. 1. – Prima scriptorum N. T. collectio 121
Art. 2. – Documenta saec. I et II 122
Art. 3. – Testimonia a saec. II exeunte ad medium saec. III . 127
Art. 4. – Eusebii Caesariensis († 340) testimonium 130

CAPUT II. – *Libri deuterocanonici N. T. usque ad saec. VI.* . . . 130
Art. 1. – Epistola ad Hebraeos. 131
Art. 2. – Apocalypsis 132
Art. 3. – Epistolae catholicae minores 134

CAPUT III. – *Post saeculum VI ad nostra tempora.*
Art. 1. – Media aetate 136
Art. 2. – Temporibus Tridentini Concilii 138
Art. 3. – A Tridentino ad nostra tempora. 140

APPENDIX. — De libris apocryphis

PRAENOTANDA 142

CAPUT I. – *De Apocryphis Veteris Testamenti* 146
Cl. 1. – Apocrypha historica 147
Cl. 2. – Apocrypha prophetica sive Apocalypses 169
Cl. 3. – Apocrypha moralia seu didactica 172

CAPUT II. – *De Apocryphis Novi Testamenti* 172
Cl. 1. – Evangelia apocrypha. 174
Cl. 2. – Acta Apocrypha. 174
Cl. 3. – Epistolae apocryphae 179
Cl. 4. – Apocalypses apocryphae 184

Documenta

1. Fragmentum Muratorianum 191
2. Canon claromontanus 192
3. Canon Mommsenianus 194

LIBER III. — DE TEXTU

Ratio tractationis 197

PARS I. — De textibus originalibus

CAPUT I. – *De textu hebraico V. T.* 199
Art. 1. – De originibus V. T. § 1 De lingua primigenia V. T. . 200
§ 2. De materia et forma librorum 201
§ 3. De forma scripturae 202
Art. 2. – Historia textus manu scripti 205
Aetas I. – Ab originibus ad saec. I p. C. 207
Aetas II. – A saec. I ad VI p. C. 211
Aetas III. – A saec. VI ad X p. C. 213

Art. 3. – De textu typis impresso . . . . . *Pag.* 217
Art. 4. – De auctoritate critica textus masoretici 218
Caput II. – *De textu graeco Novi Testamenti* 219
Art. 1. – Palaeographica. 220
Art. 2. – De testimoniis textus. 223
Art. 3. – De formis textus. 228
Art. 4. – Historia textus manu scripti 231
Art. 5. – Historia textus impressi 233
Art. 6. – De auctoritate critica textus N. T. 236

PARS II. — De versionibus

Caput I. – *De versione graeca Veteris Testamenti* 239
Art. 1. – De codicibus 240
Art. 2. – De origine versionis 242
Art. 3. – De indole versionis 244
Art. 4. – Conditio versionis saec. I p. C.. 245
Art. 5. – De aliis versionibus graecis saec. II p. C. 245
Art. 6. – De curis origenianis 246
Art. 7. – De Hexaplis post Origenem 248
Art. 8. – De recensionibus Hesychii, Luciani, aliis. 249
Art. 9. – De editionibus 252
Art. 10. – De laboribus criticis. 254
Art. 11. – De usu critico 255
Caput II. – *De versionibus aramaicis*. 257
Art. 1. – Targum 257
Art. 2. – De versione syriaca « Pešitta ». 259
Art. 3. – De versionibus syriacis secundariis. 265
Caput III. – *De ceteris versionibus orientalibus* 266
Art. 1. – De versionibus copticis 266
Art. 2. – De versione aethiopica 268
Art. 3. – De versionibus arabicis 269
Art. 4. – De versione armeniaca 270
Art. 5. – De versione georgiana 271
Art. 6. – De versione gothica 271
Art. 7. – De versione slavonica. 272
Caput IV. – *De versionibus latinis antiquis* 273
Art. 1. – De earum origine atque indole 273
Art. 2. – De earum propagatione ac permixtione 277
Caput V. – *De versione latina vulgata* 280
Art. 1. – De Vulgatae origine 281
Art. 2. – Vulgata a saec. V. ad IX 288
Art. 3. – » a saec. IX ad XIII 292
Art. 4. – » a saec. XIII ad med. XV 295
Art. 5. – » ab inventa arte typographica 297
Caput VI. – *De textuum et versionum auctoritate dogmatica*. . . . 304
Art. 1. – De authentia latinae Vulgatae 304

Art. 2. – De textus hebraici masoretici auctoritate . . . *Pag.* 308
Art. 3. – De auctoritate graeci textus Novi Testamenti. . . . 310
Art. 4. – De auctoritate alexandrinae versionis (LXX) 311

Caput VII. – *De arte critica* 312
App. *De versionibus vernaculis* 314

LIBER IV. — DE INTERPRETATIONE

PARS I. — Historia Exegeseos

Caput I. – *Aetas antiqua* (saec. I-X) 318
Art. 1. – Schola alexandrina 319
Art. 2. – Exegesis Iudaeorum palaestinensium 326
Art. 3. – Schola antiochena 329
Art. 4. – Latinorum exegesis 336
Art. 5. – Patrum Epigoni (saec. I-X) 339

Caput II. – *Aetas scholasticorum.* 342
Art. 1. – Iudaeorum scholae 342
Art. 2. – Christianorum (Latinorum) scholae. 343

Caput III. – *Aetas recentior.* 346
Art. 1. – Primum saec. a Concilio Tridentino (1550-1650) 347
Art. 2. – Aetas exortae criticae (1650-1800) 354
Art. 3. – Saec. XIX 356
Art. 4. – Quaestio biblica apud catholicos. 364

PARS. II. — Hermeneutica

Praenotanda. 371

SECTIO I. – *Quotuplex sit sensus in S. Scriptura* (Noematica). . . . 373

Caput I. – *De sensu litterali* 374
Art. 1. – An singulis sententiis S. Scripturae aliquis sensus litteralis subsit? 374
Art. 2. – Unusne an multiplex? 375

Caput II. – *De sensu typico* 381

Caput III. – *De sensu pleniori, consequenti, accommodato.* 384

SECTIO II. – *Qua ratione sensus genuinus sit inveniendus* (Heuristica) 390

Caput I. – *De criteriis litterariis.* 390
Art. 1. – De vi nativa vocabulorum et locutionum 391
Art. 2. – § 1. De contextu. 394
§ 2. De locis parallelis 399
Art. 3. – De adiunctis externis. 401
Appendix. – Subsidia litteraria 404

Art. 4. – De genere litterario. . . . . *Pag.* 408
§ 1. – De rebus physicis 412
§ 2. – Genus historicum:
A) De apparentiis, quae dicuntur, historicis 417
B) De variis historiae generibus 426
C) De citationibus in S. Scriptura 436
I. – Citationes explicitae 436
II. – Citationes implicitae 448
§ 3. – Genus didacticum 453
§ 4. – Genus poeticum 454
§ 5. – Genus propheticum 454
§ 6. – Varia alia genera dicendi 455
Art. 5. – De mente auctoris in describendis propriis actibus internis 460

Caput II. – *De criteriis dogmaticis* 466
Art. 1. – Omnis interpretatio reicienda est, quae inspirationi S. Scripturae repugnet. 467
Art. 2. – Authentica S. Scripturae interpretatio ab Ecclesia facienda:
§ 1. – Decreta Conciliorum Tridentini et Vaticani . . 468
§ 2. – Definitiones Conciliorum vel Summorum Pontificum 476
§ 3. – Decreta SS. Congregationum. 478
§ 4. – Auctoritas SS. Patrum 482
§ 5. – De analogia fidei 485

Caput III. – *De catholici interpretis munere hac nostra actate* . . 487
Art. 1. – Diversi modi interpretandi ss. Libros 487
Art. 2. – Quae via hodie interpreti catholico sequenda sit . . 491

SECTIO III. – *De sensu apte proponendo* (Prophoristica) 498

Caput I. – *De imperfectis expositionis generibus* 498

Caput II. – *De expositione scientifica:*
Art. 1. – De commentariis 500
Art. 2. – De praelectionibus 501

Caput III. – *De expositione populari ad moralem aedificationem:*
Art. 1. – Scripta biblica populo accommodata 503
Art. 2. – De contionibus ad populum 504

Appendix. – De S. Scripturae utilitate, lectione, studio, deque apta ad huiusmodi studium animi dispositione. 506

Index nominum et rerum 511
Tabulae ad historiam textus et versionum.

INTRODUCTIO

1. Sacrorum librorum nomina collectiva. – Exstare libros, qui divino instinctu conscripti et divina auctoritate firmati, eo ipso a ceteris omnibus distinguuntur, constans fuit doctrina populi tum iudaici tum christiani. Ob divinum hunc characterem hi libri vocantur, ab ipsis primum inspiratis auctoribus, *Scripturae sanctae* (γραφαὶ ἁγίαι, Rom. 1, 2), *sacrae litterae* (τὰ ἱερὰ γράμματα, 2 Tim. 3, 15), *sacer codex* (ἡ ἱερὰ βίβλος, 2 Mac. 8, 23), vel simpliciter *Scriptura, Scripturae* (γραφή, Ioh. 10, 35; γραφαί, Mt. 21, 42), *libri* (αἱ βίβλοι, Dan. 9, 2) per excellentiam. Eadem vel similia nomina apud scriptores ecclesiasticos et apud Iudaeos pervulgata fuerunt: *libri sancti* (τὰ βιβλία τὰ ἅγια, Ionathas in 1 Mac. 12, 9), *sacri libri* (αἱ ἱεραὶ βίβλοι, Ios. Fl., *Ant.* Prooem. fin.; *kitbê haqqōdeš* Sabbath 16, 1), *divina Scriptura* (ἡ θεία γραφὴ, *PG* 6, 1065 B; 11, 668 A; 25, 224 A; 53, 119, etc.); rarius per antonomasiam *libri*, τὰ βιβλία (Clem. Al. *PG* 8, 668 B; Orig. *PG* 11, 1276 C; Ioh. Chrys. *PG* 62, 361). Ab hac ultima voce nomen Biblia in communissimum usum apud plerasque gentes abiit.

Raro occurrit, et apud veteres dumtaxat, nomen hinc derivatum *bibliotheca*. Primum exemplum certum occurrit in ipso titulo libri de Genealogiis (*PL* 59, 523) anno 427 compilati seu recensiti (alterum ibid. 208 B). Frequens inde ab Augustino (v. g. *PL* 41, 345; 44, 825) et maxime apud Scholasticos evasit appellatio *auctoritas, auctoritates*, ab ipsa Scripturarum dignitate desumpta.

2. Quoniam vero argumentum longe praecipuum, et, ut ita dicam, centrale totius S. Scripturae sunt illa divinae Bonitatis consilia, quibus populum electum speciali sibi foedere devinxit per patriarchas vel per Iesum Christum, cuius foederis tabulae ab ipsa Scriptura (Ex 24, 7; 4 Reg. 23, 2. 21) appellantur τὸ

βιβλίον τῆς διαθήκης, *liber testamenti* (1), Vulg. *volumen foederis;* hinc tota collectio simpliciter dicta est Διαθήκη, latine *Testamentum* (cfr. 1 Mac. 1, 60); atque usu trita est distinctio in Vetus ac Novum Testamentum pro tempore, quo libri conscripti sunt, vel ante vel post Christum natum (cfr. 2 Cor. 3, 6. 14). Apud Latinos, inde a Tertulliano, occurrit etiam vox iuridica *Instrumentum,* rem apte designans, quatenus est documentum auctoritate firmatum et certam fidem faciens.

3. Numerus ac nomina singulorum librorum. – Non una fuit semper apud omnes ratio distinguendi et numerandi libros dumtaxat Veteris Testamenti; aliqui etiam vario nomine donati sunt. Sic apud Hebraeos unus agnitus est liber Samuelis, unus Regum; Graeci singulos in duos diviserunt, eosque communi nomine Regum, seu verius Regnorum, appellarunt. Unus apud antiquos Hebraeos et Graecos liber Esdrae (canonicus) ab aliis dividitur in duos libros Esdrae, ab aliis in librum unum Esdrae et alterum Nehemiae. Minorum Prophetarum volumen ut unum librum Hebraei computant. E ratione vero quae a multis iam saeculis invaluit, numerantur in canone christiano Veteris Testamenti libri 47, Novi 27. Ex his, in Veteri quidem Testamento, Iudaei, quos sequuntur Protestantes, non agnoscunt nisi 39, quos pro varia ratione coniungendi vel dividendi secundum litteras hebraici alphabeti olim redigebant ad 22, aut (computatis litteris finalibus) 27; nunc, iam inde a Talmudis aetate (saec. III/IV), 24 numerant. Vide S. Hieronymum in prologo galeato (2). Communem numerandi rationem exhibet canon Concilii Tridentini, qui sic habet:

«Testamenti Veteris: Quinque Moysis, id est: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum centumquinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremiaes cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, id est: Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias; duo Machabaeorum, primus et secundus.

(1) Graecae vocis διαθήκη significatio latius patet, quam vis originaria latinae *testamentum*; verum apud christianos scriptores haec vox sensus graeci vocabuli induit.

(2) *PL* 28, 547 ss., et in plerisque editionibus Vulgatae, initio.

Testamenti Novi: quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Iohannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli: ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos, Petri Apostoli duae, Iohannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudae Apostoli una, et Apocalypsis Iohannis Apostoli » (*Conc. Tr.* 5, 91; DENZINGER.-B. 784; CAV. *Thes.* 37).

Nota: 1. Paralipomenon libri a multis *Chronicorum* appellantur; Parabolae communius *Proverbia* dicuntur. Ecclesiasticus ab aliis, praeter Latinos, *Sapientia Iesu filii Sirach*, vel simpliciter *Sirach* aut *Siracides* nominatur. — 2. Concilium Tridentinum, secundum antiquam consuetudinem, sub nomine Ieremiae intelligit prophetiarum eius librum, additis Lamentationibus. — 3. Baruch caput 6 apud Graecos libellus est distinctus. *Epistola Ieremiae* titulo. — 4. Quattuor libri Regum communiter dividuntur in duos Samuelis et duos Regum proprie dictos.

4. Partitio et ordo. – Iam antiquitus dividebatur Vetus Testamentum in tres partes: *Legem* (seu Pentateuchum, h. e. 5 libros Moysis), *Prophetas*, et reliquos libros (Eccli. Prol.; Lc. 24, 44; cfr. IOS. FL. *C. Ap.* 1, 8) qui postremi deinde generali nomine *scripta* (*kᵉtûbîm*) vel *hagiographa* donati sunt (1). Haec divisio, quae adhuc permanet apud Hebraeos, libros Ios. Iud. Reg. inter prophetas ponit eosque *priores* vocat, dum illos appellat *posteriores*, qui soli a christianis prophetae dicuntur Is. Ier. Ez. 12 minores. Verum quorumdam librorum (Ruth, Lam.) distributio inter 2 et 3 classem aliquamdiu nutavit (2). Novi Testamenti libri ab antiquis in duas tantum partes distributi sunt: *Evangelia* et *Apostolum* seu Πραξαπόστολον (3). In media aetate utriusque Testamenti libri pro vario argumento in quatuor classes divisi sunt: legales, historici, didactici (vel sapientiales), et prophetici; quae tamen classes nec omnino sunt inter se distinctae, cum praesertim legales (Pentateuchus, Evangelia) maxima ex parte historiam narrent; nec semper eodem ordine sese excipiunt in codicibus; nam in aliis didactici Veteris Testamenti propheticos, Paulinae Epistolae reliquas sequuntur, in aliis praecedunt. Iterum intra unamquamque

(1) Rationem partitionis rabbini reponebant in gradu auctoritatis, vel potius dignitatis, pro varia charismatum excellentia, quibus Deus locutus est vel Moysi, vel prophetis, vel sapientibus (cf. Num. 12, 6-8); moderni plerumque eam repetunt (non omnino recte) a variis aetatibus quibus libri vel conscripti sunt vel canoni accesserunt.

(2) Cf. S. HIERONYMUM in *Prologo galeato* iam citato.

(3) Cf. v. g. IREN., *Adv. haer.* 1, 6; *PG* 7, 477.

classem libri alio et alio ordine disponuntur, etiam apud Hebraeos (1). Ordinem iam a saec. 13 in Vulgatam inductum ac propagatum exhibet canon tridentinus supra allatus.

5. Usus liturgicus. — In publica Scripturae lectione apud Hebraeos viguerunt quondam duo cycli: alter triennalis, in quo Pentateuchus dividebatur in 167 ordines (*sᵉdārîm*), alter annualis, in quo Pentateuchus distinguitur 54 sectionibus (*parašiyôth*). Prima illa divisio citatur a masora (2); altera a multis saeculis unice dominatur etiamnunc. Sectionibus legalibus adduntur lectiones (*haftarôth*) selectae e prophetis. Ex hagiographis (kᵉtûbîm) leguntur integra in singulis singula festis Cant. (Paschate), Ruth (Pentecoste), Lam. (capta Ierusalem), Eccle. (Tabernaculis), Esther (Purim), quae inde traxerunt nomen *quinque volumina* (*mᵉgillôt*).

In Ecclesia christiana primum, praeter selectas e Veteri Testamento sectiones seu pericopas, integri Novi Testamenti libri legebantur per ordinem, et quidem simul ex utraque serie, Evangeliis et Apostolo (Epistolis); hunc in usum in codicibus lectionum initia (ἀρχή) et fines (τέλος) signabantur. Deinde (a saec. V vel VI) usu venit ut selecti tantum loci legerentur.

De usu Ecclesiae graecae in Vet. Test. cf. *A. Rahlfs, *Die alttest. Lektionen d. griech. Kirche;* in Novo Test.,* Gregory, *Textkritik des N. T.* p. 327-386; *v. Soden, *Die Schriften des N. T.* 1 Teil p. 402-475. De latinis Vigouroux, *Dict. Bibl.* **4**, 155-157.

6. Divisiones in capita et versus. – Ad citandum aliquem Scripturae locum primo contextus vago modo indicabatur, v. g. Mc. 12, 26 « in libro Moysi super rubum » (Ex. 3, 6); Rom. 11, 2 « in Elia dicit Scriptura » (3 Reg. 19,10). Mox, ad commoditatem designandi et inveniendi, sacri libri divisi sunt in *capita* (κεφάλαια) vario modo. Vetustius quoddam systema capitum admodum variae longitudinis iam notatur in margine codicis Vaticani (saec. IV), immo animadvertuntur in quibusdam libris ibidem duo diversa systemata. Item alia habentur in aliis codicibus tum graecis tum latinis, quae sequuntur identidem Patres et antiqui scrip-

(1) De varietate apud Hebraeos cf. * C. D. Ginsburg, *Introduction to the Massoretico-critical edition of the Hebrew Bible* p. 1-8.

(2) De masora erit fusius dicendum infra libro III nn. **31** s. Hic monemus nos scriptione uti communiore *masora*, licet, quod alii scribunt, *massora* forte ad grammaticae leges sit magis exactum, idem dicas de adiectivo *masoreticus* prae formis *massoreticus* et *massorethicus*.

tores. Hodierna divisio in capita mediocris et fere aequalis longitudinis inducta primum est in Vulgatam latinam a Stephano Langton in Universitate Parisiensi anno circiter 1214 (1), atque inde paulatim propagata est ad omnes textus et versionum editiones.

In breves *versus* Vetus Testamentum iam diviserant scribae circa tempora Christi, eorumque versuum summam scripto tradiderunt masoretae ad finem singulorum librorum. (2) Verum signari numero ad marginem coeperunt primo a Sancte Pagnini, Lucensi, in sua versione latina utriusque Testamenti edita Lugduni anno 1528. Qua occasione idem Pagninus similem divisionem in versiculos, nisi quod aliquanto longiores, induxit in N. T. Sed in locum huius, aliam divisionem excogitavit et impressit anno 1555 Robertus Stephanus, cuius numeratio in Novo Test., vix alicubi immutata, simul cum Pagniniana in Vet. Foedere communi calculo excepta et usu propagata, ubique nunc dominatur.

E dictis apparet hanc divisionem in capita et versus non tantae esse auctoritatis, ut exegeta ad eam attendere teneatur.

Cf. de his omnibus O. Schmid, *Ueber verschiedene Einteilungen der heil. Schrift*, Graz, 1894; de Vet. Test. *Swete, *Introduction to the O. T. in Greek*, p. 342-358; de Novo Jacquier, *Le N. T. dans l'Eglise chrétienne* t. 2 p. 46-59.

---

(1) Paulo post Dominicani Patres, duce Hugone a S. Caro, dum primas condunt Concordantias, quas vocant, latinae Vulgatae, ad maiorem locorum citandorum determinationem capita langtoniana in septem sectiones diviserunt, signatas ad marginem litteris alphabeti *a, b, c, d, e, f, g;* quae distinctionis ratio et in antiquis scriptoribus, et etiam in recentibus Missalis aut Breviarii editionibus passim occurrit.

(2) Cf. infra lib. III *de Textu* n. 31.

LIBER I

DE INSPIRATIONE

S. LIBRORUM

auctore P. Augustino Merk S. I.

PRAEMITTENDA

1. Providentissimus Deus qui humanum genus, admirabili caritatis consilio ad consortium naturae divinae evexit, hoc eidem contulit singulare praesidium, ut arcana divinitatis, sapientiae, misericordiae suae supernaturali via patefaceret. Haec autem supernaturalis revelatio secundum universalis Ecclesiae fidem continetur tum in sine scripto traditionibus, tum etiam in libris scriptis, qui appellantur sacri et canonici, eo quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales Ecclesiae traditi sunt. Hoc sane de utriusque Testamenti libris perpetuo tenuit palamque professa est Ecclesia: eaque cognita sunt gravissima veterum documenta, quibus enuntiatur, Deum prius per prophetas, deinde per se ipsum, postea per Apostolos locutum, etiam Scripturam condidisse, quae canonica nominatur, eamdemque esse oracula et eloquia divina, litteras esse humano generi longe a patria peregrinanti a Patre caelesti datas et per auctores sacros transmissas. His fere verbis Leo XIII in litteris Encyclicis « *Providentissimus* » (18 novembris 1893, cf. *Enchir. bibl.* n. 66) praestantiam S. Scripturae extollit atque simul rationem

ultimam huius praestantiae effert, originem divinam, qua ss. libri Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem. Quare apte *Institutiones Biblicae*, quae ad sacros libros intellegendos et interpretandos praeparant, initium sumunt a compendioso saltem tractatu praevio et fundamentali de divina sacrorum librorum indole, seu de eorum *inspiratione.*

2. Quaestiones de inspiratione S. Scripturae per se pertinent ad *theologiam* quam appellare solent *fundamentalem.* Sacra theologia enim versatur circa revelationem divinam. Haec autem revelatio cum contineatur in traditione et S. Scriptura, de natura et veritate fontium constare debet, antequam ex ipsis veritatem haurire possumus. Unde theologiae dogmaticae necessario praemittenda est. Quia vero S. Scriptura suae inspirationis et dignitatis testis sufficiens ipsa esse non potest, agitur enim de facto aliquo supernaturali positivo, aliunde probanda est. Propterea supponitur doctrina de infallibili Ecclesiae magisterio. Ipsius vero Scripturae sacrae testimonium tantum ut historicum accipi potest, aut aliunde certitudinem scientificam repetere oportebit. Ratio igitur et methodus est *dogmatica.*

3. *De ratione procedendi et tractatus divisione.* — Primo loco inquirimus, *num* revera *sint* libri sacri inspirati, quae investigatio ex naturae rei ante alias omnes instituenda est. Ita autem in hac re procedimus, ut in testimoniis afferendis simul iam praeparemus viam ulterioris disquisitionis de *natura* et notione inspirationis. Cum qua quaestione cohaeret illa de *extensione* influxus inspirativi in libros sacros. Quem vero *effectum* producat actio divina in ss. libris, id est veritatem et inerrantiam, ex notione inspirationis quasi sponte consequitur. De *applicando* principio inerrantiae ad singulos libros vel singula effata librorum brevius dicemus, cum de his in tractatu hermeneutico fuse agatur (FERNANDEZ, *Hermeneutica*, art. 4 et 5, nn. 107-167). Tandem quaeritur, unde sciamus qui libri in numero inspiratorum habendi sint, id est quaeritur de *criterio* inspirationis. Hanc vero investigationem excipiet alter liber de canone librorum sacrorum.

4. BIBLIOGRAPHIA. — Conspectum aliquem operum principaliorum de inspiratione hic adicimus. Afferimus libros fere secundum ordinem

temporis quo editi sunt: I. Fr. Marchini, *De divinitate ss. Bibliorum* Taurini 1777, (opus postumum). – J. Kleutgen, S. J., *Theologie der Vorzeit*, Münster 1867. – J. B. Glaire, *Introduction historique et critique*, I[4], pp. 1-41, Paris 1868. – I. B. Franzelin, S. J., *De divina Traditione et Scriptura*, Romae 1870, 4[a] ed. 1896. – H. Scheeben, *Handbuch der Kathol. Dogmatik*, I, p. 109-137, Freiburg 1873. – J. B. Heinrich, *Dogmatische Theologie* I[2], p. 699-832, Mainz 1881. – C. Mazzella, S. J., *De Virtutibus infusis*[3], p. 510-551, Romae 1884. – Fr. Schmid, *De inspirationis Bibliorum vi et ratione*, Brixinae 1885. – G. I. Crets O. Praem, *De divina Bibliorum inspiratione dissertatio dogmatica*, Lovanii 1886. – J. J. Berthier, O. P., *Tractatus de locis theologicis*, pp. 66-230, Aug. Taurinorum 1887. – P. Dausch, *Die Schriftinspiration, Eine biblisch-geschichtliche Studie*, Freiburg 1891. – K. Holzhey, *Die Inspiration der hl. Schrift in der Anschauung des Mittelalters*, München 1893. – J. B. Nisius, S. J., *Die Encyclica Providentissimus Deus und die Inspiration, Zeitschr. f. kath. Theol.* 18, 1894; 627-686. – J. Brucker, S. J., *Questions actuelles d'Écriture Sainte*, Paris 1895. – F. Leitner, *Die prophetische Inspiration*, in *Bibl. Studien* 1, 4-5, Freiburg 1896. – J. M. Lagrange, O. P., *L'inspiration des livres saints*, in *Rev. Bibl.* 5, 1896, pp. 199-220. – C. Chauvin, *L'inspiration des divines Écritures*, Paris 1896. – R. Cornely, S. J., *Introductionis Compendium* ed. 2[a], Paris 1891. – D. Zanecchia, O. P., *Divina inspiratio Sacrarum Scripturarum ad mentem S. Thomae Aquinatis*, Romae 1898. – Th. Calmes, *Qu'est-ce l'Écriture Sainte?*[2], Paris 1901. – F. E. Gigot, *General Introduction to the Holy Scriptures*, New York 1900. – L. de San, S. J., *Tractatus de divina Traditione et Scriptura*, Brugis 1903. – A. J. Delattre, S. J., *Autour de la question biblique*, Liège 1904; *Le criterium à l'usage de la nouvelle exégèse biblique*, Liège 1907. – Chr. Pesch, S. J., *Zur neuesten Geschichte der katholischen Inspirationslehre*, in *Theolog. Zeitfragen 3*, Freiburg 1902. – Idem latine a Pignataro, *Apparatus ad historiam coaevam doctrinae inspirationis*, Romae 1903; idem, *De inspiratione S. Scripturae*, Friburgi 1906; idem, *Supplementum continens disputationes recentiores et decreta de inspiratione S. Scripturae*, Friburgi 1926. – S. Schiffini, S. J., *Divinitas Scripturarum adversus hodiernas novitates asserta et vindicata*, Taurini 1905. – L. Fonck, S. J., *Der Kampf um die Wahrheit der hl. Schrift seit 25 Jahren*, Innsbruck 1905. – L. Hugo, *Katholische Exegese unter falscher Flagge*, Regensburg 1906. – A. Meyenberg, *Ist die Bibel inspiriert?*, Luzern 1907. – E. Mangenot, *L'inspiration de la Sainte Écriture*, Paris 1907; idem, *L'inspiration de l'Écriture*, in *Dict. de Théol. cathol.* 7, 2068-2266, 1923. – L. Mechineau, S. J., *L'idée du livre inspiré*, Bruxelles 1907. – L. Billot, S. J., *De inspiratione S. Scripturae*, Romae 1906, 3[a] ed. 1922. – A. Cellini, *Propaedeutica biblica* II, Ripaetransonis 1908. – J. V. Bainvel, S. J., *De Scriptura Sacra*, Paris 1910. – I. Fr. Marchini, *Inspiratio biblica contra modernistarum praesertim placita vindicata*, Piemonte 1910. – H. van Laak, S. J., *De S. Scripturae inspiratione*, Romae 1910; idem, *De inspiratione Scripturae*, Prati 1911. – Ae. Dorsch, S. J., *De inspiratione S. Scripturae*, tractatus dogmaticus, Oeniponte 1912, ed. 2[a] 1927. – I. Nogara, *De inspiratione S. Scripturae*, Monza 1913. – H. Merkelbach, *L'inspiration des divines Écritures*[2],

Liège 1913. – F. VIGOUROUX, *Manuel biblique* I[13], pp. 41-63, Paris 1913. – C. MANZONI, *Compendium Theologiae dogmaticae* I[3], Augustae Taurinorum 1914. – J. MUNCUNILL, S. J., *Tractatus de locis theologicis*, 5-108, Barcinone 1916. – I. M. JACOME, O. P., *Dissertatio de natura inspirationis S. Scripturae*, Vindobonae 1919. – H. HÖPFL., O. S. B. *Tractatus de Inspiratione Sacrae Scripturae et Compendium Hermeneuticae biblicae catholicae*[3], Romae 1929. – ENCHIRIDIUM BIBLICUM, *Documenta ecclesiastica Sacram Scripturam spectantia. Auctoritate Pontificiae Commissionis de Re biblica edita*, Romae 1927. – J. M. VOSTÉ, O. P., *De divina inspiratione et veritate sacrae Scripturae*[2], Romae 1932.

D = DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion Symbolorum, Definitionum et Declarationum*, ed. 16, I. B. UMBERG, S. I., *Friburgi* 1928.

CAPUT I

De facto inspirationis

5. *Primo loco* statuendum est ipsum factum, num existant libri inspirati, id est libri qui speciali influxu divino exorti sunt, ut propterea dici possint vero aliquo sensu divini et Deus eorum auctor haberi possit et debeat. De hoc autem facto, quod supernaturale est, constare potest aut ex ipsorum librorum testimonio interno, ex eorum indole aut ex effectibus eorundem, aut ex testimoniis externis. Prius argumentum ex rationibus internis petitum non sufficit, cum ex his rationibus demonstratio *certa* fieri non possit, et in pluribus libris illae rationes internae prorsus deficiant. Proinde exsistentia librorum inspiratorum ex positivo Dei testimonio probanda est. Hoc autem testimonium nobis per sacram Ecclesiae traditionem exhibetur. Quae traditio continetur in ipsius S. Scripturae testimoniis, in Ecclesiae effatis, in Patrum Doctorumque doctrina. At cum hic de Scripturae auctoritate divina demonstranda agatur, eius verba per se tantum testimonium historicum praebent, quid Scriptura ipsa de nostra quaestione testificetur. Quid autem ex hoc testimonio etiam abstrahendo ab inspiratione cum certitudine scientifica probari possit, deinde ostendemus.

Art. 1. — De testimonio Sacrae Scripturae.

§ 1. Veteris Testamenti testimonia.

6. Nullum quidem habetur in his libris testimonium explicitum inspirationis totius V. Testamenti aut alicuius integri libri. Sed pluries divinum mandatum commemoratur, quo SS. auctores movebantur ad scribendum. Moyses iubetur victoriam de Amalecitis reportatam in libro describere (Ex. 17, 14), idem de foedere inter Dominum et populum concluso (Ex. 34, 27). Postea Israelitae iubentur scribere canticum (nunc igitur scribite vobis canticum, Deut. 31, 19). Sed haec non de integris libris valent neque inspiratio sensu stricto his enuntiatur mandatis. Similiter mandatum Isaiae prophetae emissum (8, 1) respicit tantum singulare aliquod factum; idem valet de mandato 30, 8. Apud eundem prophetam supponuntur vaticinia scripta, quae appellantur « liber Domini ». Ieremias vero iubetur vaticinia sua scribere quae de salute futura accepit (30, 2). Anno quarto regis Ioiaqim (605) propheta accipit mandatum scribendi vaticinia contra Iuda et gentes edita (36, 2). Quod mandatum exsecutioni traditur per Baruch (17-18), hic liber a rege quidem comburitur, sed Deo iubente novus conscribitur (36, 27-32). At hic liber non est noster liber Ieremiae, quia haec gesta sunt plus quam viginti annis ante ultima prophetae vaticinia. Sed ex modo quo duplex conscriptio huius libri facta est, concludimus eundem fuisse Deo inspirante compositum. Simili ratione alios quoque libros propheticos ortos esse iure supponere licet, certo vero probari non potest ex V. Testamento. Habacuc narrat de mandato Domini scribendi visionem (2, 2-3). Daniel supponitur visiones suas scripsisse 8,26; 12, 2. Libros propheticos apud Iudaeos ante Christum magnae fuisse auctoritatis, pluribus locis ostendi potest, e. g. Dan. 9, 2; Sir. 44-49; 1 Mach. 12, 9 Ionathas summus sacerdos appellat libros populi sui « sacros ».

§ 2. Novi Testamenti testimonia de libris sacris.

A) *De Vetere Testamento.*

7. De V. Testamento permulti habentur textus, qui summam auctoritatem his libris vindicant. Vocantur *verbum Dei*, λόγος

θεοῦ, (Mc. 7, 13), *eloquia Dei* τὰ λόγια τοῦ θεοῦ (Rom. 3,2). In altero textu de omnibus libris sacris sermo esse videtur, saltem quatenus leges divinas et promissiones includit. Aut appellantur *Scripturae sanctae*, γραφαὶ ἅγιαι (Rom. 1, 2), *litterae sacrae* ἱερὰ γράμματα (2 Tim. 3, 15).

Hae autem litterae perfecta gaudent auctoritate. Non enim solum omnia debent impleri de Christo quae in ipsis scripta sunt (Lc. 18, 31; 24, 44), sed etiam argumenta certissima ex ipsis passim desumuntur tum a Christo Domino (Ioh. 10, 34 ex Ps. 81, 6) tum a S. Paulo et aliis apostolis (cf. Rom. 1, 17 ex Hab. 2, 4; 1 Cor. 9, 9 ex Deut. 25, 4), in quo ultimo loco agitur de « lege » et argumentatio fit non « secundum hominem », ergo ex revelatione, praeterea in sequentibus dicitur « propter nos scripta sunt ». Apostolus igitur hic ex Scriptura argumentatur quae propter nos Deo inspirante confecta est. In aliis quoque locis manifesto sermo est de libris, non solum de prophetiis aut legibus, quae speciali ratione Dei verba sunt.

8. Explicita testimonia originis divinae autem in NT plura habentur. Nam DOMINUS dicit, David in Spiritu vocare Messiam Dominum Ps. 109, Mt. 22, 43. A S. PETRO allegatur similiter Ps. 68, 26 et 108, 8 in sermone Act. 1, 20; cf. Act. 4,25 ex Ps. 2; Hebr. 3, 7 et Ps. 94, 7; cf. Hebr. 10, 15 et Jer. 31, 33. In his testimoniis non explicite quidem de libris sermo est, sed dubium non est, quin ii, qui his locutionibus utuntur, ad libros respiciant.

S. PAULUS vero formaliter Scripturam dicit a Deo inspiratam (2 Tim. 3, 15-16). Apostolus admonens Timotheum dicit ipsum ab infantia sacras litteras edoctum esse τὰ ἱερὰ γράμματα, quae eum possint instruere ad salutem (1).

Deinde prosequitur πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν.

---

(1) Articulus τά cum omnibus fere testibus (von Soden, Vogels) retinendus esse videtur; eum omittunt soli codices Sin. *DGFC* 33 et alii pauci. Sed res magni momenti non est, cum ἱερὰ γράμματα tamquam terminus usitatus et solemnis considerari possit et ut talis articulo non indigeat, etiamsi agitur de determinatis scripturis, cf. PHILO, *Vita Mos.* II, 292; IOSEPH., *Ant.* X, 10, 4. Sed hi adhibent articulum ut etiam *Or. inscript.* I, 56, 36, DITTENBERGER.

De sensu et interpretatione huius textus disputatur quidem, cum non omnino constet de relatione et nexu vocis θεόπνευστος. sitne appositio ad γραφή an praedicatum. Potest enim verti « omnis scriptura inspirata etiam utilis est » et « omnis scriptura *est* inspirata et utilis ». Interpretes diversas sequuntur sententias. Nobis praeferenda videtur prior sententia, cum sensus et intentio Apostoli magis in utilitatem Scripturae feratur, et magis videatur respondere versui praecedenti. Sed non multum interest, quam interpretationem sequamur, cum in nostra quaestione in utraque interpretatione Scriptura dicatur a Deo inspirata. Certo vox ipsa habet sensum *passivum* (1).

Secundum utramque interpretationem inspiratio divina de Scriptura formaliter asseritur, in priore autem de quibusdam libris potius tamquam nota supponitur, et ex hac dignitate derivatur utilitas ad docendum. Sed termini τὰ ἱερὰ γράμματα et γραφὴ θεόπνευστος videntur aequiparari, ita ut sensus sit, sacras illas scripturas, quas Timotheus ab infantia novit, et quae sunt revera a Deo inspiratae, ideo ut tales utiles esse ad docendum; unde comprobatur et demonstratur illas posse instruere ad salutem. Designantur proinde termino πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος illi libri sacri (τὰ ἱερὰ γράμματα), quos Timotheus ab infantia novit, et cum Paulo tamquam sacros accepit, et edoctus est.

Qui vocem θεόπνευστος tamquam praedicativam habent, intellegunt terminum πᾶσα γραφή unamquamque scripturam sive de singulis libris sive de singulis textibus. Alterum non videtur esse satis aptum, prius autem admitti potest, neque ex defectu articuli haec interpretatio reicienda est, cum vox « γραφή » sensu solemni adhibeatur, fere tamquam nomen sacrum. Nihilominus sensus *attributivus* melior est, cum in contextu vis sententiae non sit in *inspiratione*, sed potius in *utilitate* scripturae; haec autem utilitas fundatur in inspiratione.

9. *Confirmatur* S. Pauli doctrina ex 2 Petri epistula 1, 20-21. Πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται, οὐ γὰρ θελήματι

(1) Cf. Plutarch. (*De plac. philos.* 5, 2), sermo est de somniis a Deo inmissis. (Ps. Phocyl. 121; Orac. Sib. 5, 308, 406).

ἀνθρώπου ἠνέχθη προφητεία ποτέ, ἀλλὰ ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν (ἅγιοι) ἀπὸ θεοῦ ἄνθρωποι.

Interpretatio prophetiarum Scripturae non fit (i. e. non facienda est) propria (mere humana) scientia, quia non ortae sunt voluntate humana, sed auctores locuti sunt inspirati a Spiritu Sancto. Cum apostolus loquatur de prophetiis *Scripturae* vox ἐλάλησαν videtur sumenda esse de ipsis libris.

10. His testimoniis exhibetur factum inspirationis tum ipsorum auctorum humanorum S. Scripturae tum ipsius Scripturae. Auctores sunt sub speciali motione et influxu S. Spiritus et ipsi libri hunc influxum recipiunt, ita ut possint dici a Deo *inspirati* et consequenter verba Scripturae sunt *verba Spiritus sancti, verba Dei.* Inde auctoritas illa summa Scripturae, qua maior vix haberi potest.

11. Si autem quaeritur, quae *vis probandi* textibus allatis insit, patet, testimonium ipsius Scripturae esse interim tantum *historicum.* Sed in pluribus textibus simul exhibetur persuasio synagogae. Nam multa dicuntur ad Iudaeos et ex suppositione eos eandem Scripturae habere aestimationem. S. Paulus ad Timotheum scribens loquitur de libris, quos ab infantia, novit, ergo antequam fidem christianam suscepit. Ea autem quae a Domino dicta sunt, gaudent auctoritate infallibili et certissima. Sancti Pauli vero asserta, cum in re gravissima proferantur et numero plura sint, quae simul inter se cohaerent et invicem corroborant, ad principalia doctrinae eius pertinent neque falsa esse possunt.

B) *De Novo Testamento.*

12. De libris Novi Testamenti testimonia explicita in his ipsis libris non inveniuntur, cum hi libri in aliis vix commemorentur. Solent autem aliqui textus afferri, quibus sive dicta Novi Testamenti sive aliqui libri cum V. Testamento aequiparantur. Allegantur 1 Tim. 5, 18, ubi legitur ut verbum Scripturae Deut. 25, 4 et simul « Et: dignus est operarius mercede sua », quod verbum Domini habetur apud Lc. 10, 7; ergo probabiliter ad hoc Evangelium refertur quod hac ratione tamquam Scriptura laudatur;

at omnino certum id non est (cfr. PESCH n. 601). S. Petrus vero in secunda epistula 3, 16, saltem aliquas epistulas sancti Pauli pares habet cum ceteris Scripturis (ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφάς), id est cum V. T. Et cum praeterea dicatur has epistulas scripsisse κατὰ τὴν δοθεῖσαν αὐτῷ σοφίαν (3, 15), etiam explicite saltem de charismate aliquo sermo est. Habentur proinde tantum vestigia doctrinae de inspiratione relate ad N. T.

ART. 2. – Doctrina Patrum de inspirationis facto.

§ 1. AETAS ANTIQUISSIMA

13. Auctores saeculi primi exeuntis et secundi solum incidenter de S. Scripturae auctoritate et inspiratione loquuntur, sed supponunt dignitatem vere divinam et Sancti Spiritus actionem in ipsos libros. In DOCTRINA APOSTOLORUM (14, 3) et in Epistula quae BARNABAE nomine inscribitur (2, 4 sqq.; 4, 7; 5, 2-4; 9, 2) supponitur aut enuntiatur verba Scripturae esse *verba Dei*. S. CLEMENS ROM. vocat Scripturam τὰς ἱερὰς γραφὰς τὰς διὰ πνεύματος ἁγίου (45, 2). De prima epistula S. Pauli ad Corinthios ita habet: ἐπ' ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν. Quae verba saltem insinuant aliquam S. Spiritus motionem in hac epistula scribenda. Alibi vero Clemens asserit ministros gratiae divinae διὰ πνεύματος ἁγίου locutos esse (8, 1) et allegans τὸ γεγραμμένον, quod dicit Spiritus Sanctus (13, 1); Christus διὰ πνεύματος τοῦ ἁγίου alloquitur nos (22, 1); et alia multa afferens ex V. T. ea tamquam *verba divina* profert, ut non sit dubium, quominus Clemens loquatur de libris ut scriptis sub motione Spiritus Sancti.

Simili ratione S. IUSTINUS Martyr multis locis ss. libros allegat, eos Spiritu Sancto plenos dicens. Saepe quidem de prophetis loquitur, sed iis aperte annumerat etiam Moysen in illis quoque locis, in quibus non de prophetiis sermo est, aut ubi Moyses non edidit prophetiam, v. g., *Apol.* I, 44. Sanctus propheticus Spiritus per Moysen testatur dictum esse primo homini. Quod ad solum librum referri potest. Moyses ita prophetavit, Gen. 49, 10 sq. Quae verba sunt Moysis tantum, quatenus sunt scripta, cum sint

Jacobi patriarchae, *Apol.* I, 32, 33, 54. Idem enuntiatur de Moyse propheta, qui dixit: in principio fecit Deus, *Apol.* I, 59. Ergo manifestum est, verba Scripturae simpliciter tribui prophetae ut prophetae id est auctori libri, ut est sub inspiratione divina.

De Sancti Spiritus motione saepissime sermo apud Iustinum incidit, cf. *Apol.* I, 33 (θεοφοροῦνται), cf. *Dialog.* 58, 62.

De librorum N. Testamenti autem inspiratione apud Iustinum nihil invenitur, cum maxime ex V. T. utpote a Tryphone agnito ut inspirato agat; Novi autem Testamenti inspiratio ab ipso in hac disputatione non potuit supponi.

S. THEOPHILUS vero Antiochenus paulo post Iustinum eandem sequitur doctrinam prophetas dicens Spiritu Sancto plenos; a Deo ἐμπνευσθέντες, divinitus edocti, facti sunt *organa* Dei (ὄργανα θεοῦ), ergo quoad rem *causa instrumentalis*. Moyses Spiritu Sancto movente creationis initium scripsit (*Ad Autolycum* 2, 9 sq.; 2, 23). Paulo antea (2, 22) loquitur de Scripturis sacris et omnibus πνευματοφόροις, quibus adnumerat Ioannem (1, 1); ergo aperte auctores inspiratos V. et N. T. eadem habet ratione. ATHENAGORAS (c. 177) dicit S. Spiritum usum esse prophetis ὡσεὶ καὶ αὐλητὴς αὐλὸν ἐμπνεῦσαι (legat. pro Christ. 9 (1). Auctor COHORTATIONIS AD GRAECOS monet S. Spiritum usum esse prophetis ὥσπερ ὀργάνῳ κιθάρας τινὸς ἢ λύρας (c. 8). Aetatis eiusdem est S. IRENAEUS, qui multa de Scriptura habet eas tribuens Deo auctori: Scripturae perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae (*Adv. haer.* II 28, 2). Irenaeus iam tangit illam quaestionem, quae postea magis explicite mota est, num *idem Deus* omnes Scripturas condiderit, dicens impietatis maximae esse, alterum Deum requirere, etiamsi non omnium, quae in Scripturis quaeruntur, solutiones possimus invenire (*l. c.*). Scripturas ab uno et eodem esse Patre (IV 10, 1; 11, 1). Explicite N. T. quoque a S. Spiritu datum esse docet: « Praevidens Spiritus Sanctus depravatores et praemuniens contra fraudulentiam eorum (haereticorum) per Matthaeum ait » (III 16, 2).

---

(1) ATHENAGORAS quoque Moysen adnumerat prophetis, Isaiae, Ieremiae. Accedit autem in modo loquendi ad Philonem, cum dicit de prophetis οἳ κατ' ἔκστασιν τῶν ἐν ἑαυτοῖς λογισμῶν, κινήσαντος αὐτοὺς τοῦ θείου πνεύματος, ἃ ἐνηργοῦντο ἐξεφώνησαν.

Eadem est doctrina S. Hippolyti, qui asserit prophetas revelationes suas nobis quoque communicasse, ut fide divinas Scripturas scrutari possimus (*In Dan.* 4, 2); cf. Pesch n. 44-46.

§ 2. Aetas posterior.

14. *In Occidente* Tertullianus catholicus Scripturam appellat *Dei voces* loquens de Christi et Pauli monitis (*Apologetic.* 31); qui Scripturas non habet, non potest habere Spiritum Sanctum (*De praescript. haeret.* 22); absolutam Scripturae auctoritatem vindicat; legem, prophetas, litteras evangelicas et apostolicas eiusdem dignitatis habet (*l. c.* 36-38). S. Cyprianus multis locis asserit Scripturam vel SS. auctores loqui in Spiritu Sancto (Cf. *Praef. in libros testimoniorum; de opere et eleem.* 8, 4).

In Oriente Clemens Alexandrinus plurima de scripturarum dignitate tradit, inter quae sufficit commemorasse allegationem verbi Apostoli in 2 Tim. 3, 16 (*Cohort. ad gent.* 9). Prophetae sunt ὄργανα θείας φωνῆς (*Strom.* 6, 18). Idem Deus utrumque Testamentum condidit, ὁ αὐτὸς θεὸς ἀμφοῖν διαθήκαιν χορηγός, Strom. 6, 5 (42, 1). Qui textus ad oeconomiam veterem et novam spectat, sed simul revelationem in libris contentam videtur includere.

Certo in hunc sensum Origenes loquitur de Principiis: Spiritum Sanctum unumquemque sanctorum, vel prophetarum vel apostolorum inspirasse... manifestissime in ecclesiis praedicatur (1, 4. 8). Scripturae sunt divinae, id est Spiritu Dei inspiratae (4, 1). Postea urget sacros libros ex inspiratione Sancti Spiritus voluntate Patris omnium per Iesum Christum scriptos esse (l. c. 4, 9). Hic quoque videtur allusio fieri ad eos qui non omnes libros voluntate eiusdem Patris scriptos esse voluerunt, qui illo tempore erant Marcionitae; cf. Pesch n. 62 sq. Origenes in *Ps.* 1, n. 4, vocem θεόπνευστος interpretatur ἐξ ἐπιπνοίας ἁγίου πνεύματος ἀναγεγραμμένα.

Consentiunt S. Athanasius (Pesch n. 69), magni Patres Cappadoces, S. Basilius, Gregorius Nyssenus, Nazianzenus, sequuntur eandem doctrinam Aphraates, S. Ephraem, qui Deum asserit locutum esse in Scripturis, verba per Spiritum Sanctum

scripta esse. Scripturae sunt S. Spiritus libri. *Carm.* 11, *Op. syr.* III, 241 (1).

S. Ephraem videtur eumdem Deum dicere Evangelii et librorum propheticorum *in Rom.* 1.

Ex *Antiochenis* placet allegare Theodoretum, eximium interpretem, qui loquens de auctoribus humanis Psalmorum nihil interesse dicit scire, qui Psalmi sint Davidis, qui fortasse aliorum, omnes fuisse prophetas. Prophetarum autem proprium esse linguam ministram exhibere gratiae Spiritus Sancti (*In Pss.* Praef.). Similiter prophetas appellat « instrumenta divini Spiritus » (*In Dan.* Praef.).

S. Ioannes Chrysostomus Scripturas vocat litteras a Deo hominibus missas, per Moysen allatas. Proinde tamquam a Deo dicta per Moysis linguam audienda sunt (*In Gen. hom.* 2, 2). Non aliter de libris N. T. sentit exponens 1 Tim. 5, 23, exiguas quoque Scripturae sententias de Spiritus gratia esse (*ad populum Antioch. hom.* 1, 1). Idem asserit, exponens salutationes in ep. ad Rom., Spiritus gratiam epistulam dictasse (*hom.* 1, 1); cf. Pesch nn. 85-91.

15. *In Occidente* consonans ab omnibus traditur doctrina. Marius Victorinus: « Quod scriptum est a divino Spiritu dictum credendum est » (*De physicis* 27, PL 8, 1310. *De verbis Scripturae factum est vespere*, PL 8, 1009).

S. Hilarius Pictav. multa habet in eundem sensum. Unum afferamus dictum: « Omnia in Scriptura Dei verba, Spiritu Sancto plena sunt », *In Ps.* 118.

S. Ambrosius loquens de Scripturis a Deo inspiratis (θεόπνευστος), eas dicit Christi sermonem esse tum Vetus tum N. T. Auctores ss. scripserunt secundum gratiam quae super omnem artem est; scripserunt enim, quae spiritus iis loqui dabat. Pete ἀπὸ τοῦ αἰτίου idest ab auctore, pulsa et aperit tibi Deus Verbum. *De Spiritu Sancto*, 3, 16; *In Ps.* 1, 33; *in Lc.* 9, 18; *Ep.* 8, 1, 10).

S. Hieronymi sententiam exponit Encyclica Benedicti XV (cf. *Enchir. bibl.* n. 461 sq.). « Scripturae a Spiritu Sancto conscriptae sunt et editae » (*In Mich.* 7, 5-7). Haec multis aliis testimoniis

(1) Cf. Lamy, *Rev. Bibl.* 2 (1893), 10 sq.

confirmantur. « Quod per os ipsorum (auctorum sacrorum) dixit, quasi per *organum* Dominus locutus est » (*tract. in Ps.* 88, *Anecdota Maredsol.* III, 3, 53).

S. Augustinus vero similiter ac Chrysostomus Scripturam appellat *litteras* quae nobis ex civitate superna venerunt (*In Ps.* 90, sermo 2, 1; *In Ps.* 149, 5). Deus Scripturam condidit (*De civit. Dei* 11, 3).

Rationem *causae instrumentalis* vero clare in libro *de Consensu Evangelistarum* indicat dicens. « Cum illi scripserunt quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit, quando quidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit » (I 35, 54).

S. Leonis M. aliorumque testimonia afferre supersedemus, cum nihil novi praeter allegata contineant.

S. Gregorius M. fere cum Theodoreto loquitur agens de auctore humano libri Job: « Sed quis haec scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit qui in illius opere inspirator existit et per scribentis vocem imitanda ad nos eius facta transmisit » (*In Iob praef.* 1 sq.).

16. Eadem perseverat doctrina et idem usus apud posteriores scriptores tum *graecos*, Isidorum Pelusiotam, Andream Caesariensem, Ioannem Damascenum, Photium, Oecumenium, Euthymium Zigabenum; tum apud *latinos*, Cassiodorium, Isidorum, Bedam, Agobardum, Eucherium; tum apud *syros* sive catholicos, sive monophysitas, sive nestorianos, Iacobum Sarugensem, Iacobum Edessenum, Narsen, Mosen bar Kepha, Dionysium bar Salibi (saec. 12), Gregorium Abu-l Farag (Bar Hebraeus).

Art. 3. — Doctrina Theologorum.

Postquam unanimem et tam universalem consensum antiquitatis de facto inspirationis statuimus, de theologorum doctrina dubium esse non potest, neque afferimus eorum testimonia, ut

rem certissimam et indubitatam ulterius probemus; sed *potius evolutionem doctrinae apud posteriores* aliquomodo *delineabimus* et simul totam eorum doctrinam exponemus, *ut viam ad sequentia praeparemus.*

§ 1. Prima aetas scholastica

17. Doctrinam de S. Scriptura ita complectitur Hugo a S. Victore († c. 1141) in opere *De Scripturis et scriptoribus sacris* his verbis: « Sola illa Scriptura iure divina appellatur, quae per Spiritum Sanctum aspirata est, et per eos qui Spiritu Dei locuti sunt, administrata hominem divinum facit, in qua quidquid docetur, veritas, quidquid praecipitur bonitas, quidquid promittitur, felicitas est » (l. c. 1).

Bruno Astensis († 1123): « Sanctarum Scripturarum documentis Deum cognoscimus. Vis videre Deum, vis eum cognoscere, vis audire loquentem? Lege evangelia, lege Exodum, lege libros Moysi, lege apostolos et prophetas; hic enim apparebit tibi Dominus. Credamus ergo testimonio legis, quae quia semper verum dicit et numquam mentitur, non immerito testimonium dicitur. Haec scripta est manu Dei, nihil humanum est in ea, tota divina, tota Deo dictante et scribente composita est » (*in Ex.* 30, 32). In his iam habetur compendium aliquod doctrinae de divina causalitate, de extensione operationis divinae ad omnia, de inerrantia perfecta.

Quaestiones de inspiratione potius tangit quam exponit Alexander Alensis († 1245), secundum quem « doctrina S. Scripturae divinitus inspirata est, tradita a Spiritu Sancto » (*Summa theolog.* q. 1 et praeliminaris, membro 2). S. Bonaventura († 1274) asserit, S. Scripturae ortum non esse per humanam investigationem, sed per divinam revelationem, quae fluit a Patre luminum; S. Spiritum esse Scripturae *auctorem perfectissimum* (*Breviloquium*). Breviter ita comprehendere licet mentem S. Doctoris: Deus est causa imperans, auctor sacer causa exsequens. Influxus in auctorem humanum est triplex: iudicium practicum circa scriptionem alicuius libri de tali materia; iudicium circa scriptionem determinatam mentalem; iudicium circa applicationem facultatum exsecutivarum. Cf. Van den Borne O. F. M., *Doctrina S. Bonaventurae de inspiratione et inerrantia S. Scripturae*, *Antonianum* 1 (1926),309-326.

Duns Scotus († 1308) pluribus argumentis ostendit Scripturam habere Deum ut *causam*, et explicans aliquomodo influxum divinum dicit Deum posse absque motione obiecti sic causare notitiam certam absque omni dubitatione, ita quod habens talem notitiam revelatam a Deo non possit dubitare de veritate illius, cuiusmodi notitiam creditur prophetas habuisse et multos alios sanctos in Scriptura, et tales habuerunt habitum praebentem magnum assensum, ita quod illo stante non potuerunt non assentire veritati » (*Prolog. Commentarii in libr.* 1 *Sent.* q. 2, n. 3). Loquitur ergo Scotus *de lumine aliquo divino*, quod videtur similiter sicut S. Bonaventura appellare revelationem, adhibens sine dubio vocem sensu latiore.

S. Albertus M. († 1280) de Evangelio S. Ioannis loquens haec statuit: eius « *efficiens causa prima* sapientia divina est, se in Verbo incarnato Ioanni manifestans et in Verbo incarnato Ioannem erudiens et movens ad scribendum... *Causa* vero *efficiens proxima* exterius est Ioannes qui arcana Verbi ab ipso sacro dominici pectoris fonte potavit » (*Prolog. in Ev. Ioannis*).

18. Henricus Gandavensis († 1293) qui dicitur fuisse discipulus Alberti, de scientia sacra quae in Scriptura continetur sic docet (*Summa theol.* Art. 9. q. 2. n. 6-10.):

« Nunc autem ita est quod rationes et regulas huius scientiae solus Deus per se et de se novit, nec potuit creatura ulla ex puris naturalibus ad eas attingere, sed solum secundum regulas et rationes eius sibi inspiratas a Deo prophetae et apostoli eam conscripserunt et conscribere potuerunt... Solus ergo Deus *proprie* potest dici *auctor* huius scientiae. Quia tamen per homines ministratae sunt Scripturae, qui eas conscripserunt, et contemplati sunt ipsam sapientiam, quantum potuit humanis cordibus contingi, et sic regulas artis huius, quam conscripserunt, perfectissime intellexerunt, non solum *organa* et canalia, ut per quae transierunt verba huius scientiae, aut tamquam manu artifices sive pictores in quantum ipsam conscripserunt, immo veri, licet *secundarii*, debent dici *auctores* ex thesauro artis sibi infusae eam describentes... In tantum etiam dependet veritas huius scientiae a divinae auctoritatis inspiratione, ut non solum homines conscribentes hanc scientiam per inspirationem conciperent *sententias conscribendas*, sed etiam *verborum qualitatem et formam*. Sicut in prophetarum potestate non erat semper habere Spiritum, ita non erat potestatis eorum, ut quaecumque vellent docerent, sed ea solum docebant quae a Spiritu didicerant. Deus igitur *principalis et vere* est *auctor* huius scientiae, licet per hominem sit descripta, ut possit quoad hoc homo dici *auctor secundarius et ministerialis*.

Et quod Deus *principalis auctor* dicitur huius scientiae, hoc diversimode attribuitur toti Trinitati et singulis personis in Trinitate. Dicitur enim *auctor principalis* Deus Trinitas, quia actio revelationis sive inspirationis, eo quod est respectu creaturae, communis est toti Trinitati. Sed quia hoc quod agunt Filius et Spiritus S., sicut et hoc quod sunt, habent a Patre, ideo principalitas auctoritatis huius scientiae... attribuenda est Deo Patri... Ipsa autem scientia quae per revelationem conscripta est, quia appropriatur Filio, et similiter ipsa revelatio, quoad hoc principalis auctoritas huius scientiae attribuitur Filio ».

Placuit haec fusius describere, quia Henricus clarius quam priores loquitur et nihilominus in modo loquendi indiscriminatim adhibet terminum *revelationis* pro inspiratione, quod apud Bonaventuram et Scotum quoque licuit observare.

19. Plura quam Henricus alius Alberti discipulus de inspiratione tradit, S. THOMAS. Reducit Doctor Angelicus, inspirationem ad donum prophetiae (*De Verit.* q. 12 a. 13), et alibi. De prophetia autem tractat in *Summa* 2, 2, q. 171-174; *de Verit.* q. 12.

Factum inspirationis S. Doctor ut plerique auctores illius temporis supponit nec probat. *De indole* autem librorum sacrorum supernaturali saepius loquitur. Principium fundamentale enuntiat his verbis: « Auctor principalis Scripturae est Spiritus Sanctus, homo fuit auctor instrumentalis ». *Quodlib.* 7 a. 14 ad 5; eadem fere a. 16. Alibi asserit fidem supponere Scripturam Spiritu Sancto dictante esse promulgatam (*in 2 Sentent. dist.* 12 a. 2). Et similia passim habet. Quia Scriptura vero Deum habet auctorem principalem, propterea eius verba sunt verba Dei, Spiritus Sancti, quamvis homo sit causa instrumentalis (*in Pss. prooem.; in Mt.* 10, 20; *ad Hebr.* 3, 7).

De *actione divina* in auctorem humanum plura docet agens de prophetia. Prophetia supponit cognitionem supernaturalem. Haec autem secundum S. Thomam includit *acceptionem* cognitorum et *iudicium* de acceptis (*de Verit.* q. 12 a. 7). «Potest autem fieri, ut alicui lumen intellectuale divinitus infundatur non ad cognoscendum aliqua supernaturalia, sed solum ad iudicandum secundum certitudinem veritatis divinae ea quae humana ratione cognosci possunt; sic talis prophetia intellectualis est infra illam, quae est cum imaginaria visione ducente in supernaturalem veritatem, cuiusmodi prophetiam habuerunt omnes illi qui numerantur in ordine prophetarum, quia prophetico officio fungebantur. Unde ex persona Domini loquebantur, dicentes ad populum: Haec dicit Dominus, quod non faciebant illi *qui hagiographa* conscripserunt, quorum plures loquebantur frequentius de his quae humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei, sed ex propria persona, cum adiutorio tamen divini luminis ».

Patet ex his verbis S. Thomam loqui de inspiratione librorum et supponere infusionem divini luminis ad iudicandum de rebus naturalibus divino instinctu ceteris certius, ut dicit de Salomone (*De Verit.* q. 12

a. 12, et *ad Hebr.* 1, 2), cuius mens illuminata est ad ea quae sunt secundum rationem humanam.

De influxu divino in alias facultates breviter tantum sermonem instituit Thomas monens, mentem prophetae moveri non solum ad apprehendendum, sed etiam ad loquendum vel faciendum (2, 2, q. 173, a. 4). Potest autem fieri, ut propheta cognoscat se moveri a Spiritu divino. Si hoc non cognoscit, non est perfecta prophetia, sed quidam instinctus propheticus. Talis instinctus est quiddam imperfectum in genere prophetiae (2, 2, q. 171, a. 5). Ex quibus verbis auctores concludunt, secundum mentem S. Thomae non esse necessarium, ut auctor sacer habeat conscientiam suae inspirationis.

De *ratione qua* Deus utitur homine ut *instrumento* ad mentem S. Thomae dicendum est, eum adhiberi secundum illud quod est sibi proprium (1, q. 45, a. 5); proinde homo secundum suam ipsius indolem naturam et in libris ss. conscribendis agit. Ita in Prologo commentarii in ep. ad Hebr., in Isaiam, in Ieremiam. Nihilominus totus effectus attribuitur et causae principali et causae instrumentali; etiam differentias locutionis aliquomodo Spiritui Sancto adscribit: « iudicio Spiritus Sancti determinatum est quibus similitudinibus in certis Scripturae locis res spiritales significentur, ut cum Deus aliquando metaphorice significatur per lapidem, quandoque per leonem, quandoque per solem aut aliud huiusmodi » (*C. Gentes* 3, 70; *in Mt.* 3, 11; *Summa* 3, q. 60, a. 5 ad 1) (1).

§ 2. Doctores saeculi 16-18

20. Ex *posterioribus* aliquos afferre placet.

Melchior Canus († 1560). « Libros sacros et canonicos appellamus, quos Spiritu Sancto dictante auctores exceperunt » (*De loc. theol.* l. 1, c. 1). « Fateor non singulas Scripturae particulas, ut a sacris auctoribus scriberentur, propria et expressa *revelatione* indiguisse, sed singulas tamen scriptas ex peculiari Spiritus Sancti *instinctu* afflatuque vere et iure contendo », l. 2, c. 18. « Alia vero (ss. scriptores) naturali cognitione tenebant, atque haec quidem... supernaturali lumine et expressa revelatione, ut scriberentur, non egebant, sed egebant tamen Spiritus Sancti praesentia et auxilio peculiari, ut licet humana essent et naturae ratione cognita, divinitus tamen sine errore scriberentur », *l. c.*

Dominicus Bannez († 1604) asserit alia quidem Deo revelante scripta esse, « altero autem modo, quoniam res quae scribitur, nota quidem erat scriptori, tamen quod animum ad scribendum appulerit, Deo specialiter movente atque inspirante factum est ». *Scholastica commentaria in I partem Angel. Doctoris*, q. 1. Prologus super istum articulum.

---

(1) Cf. Reginaldus Schultes, O. P., *Lehre des hl. Thomas ueber das Wesen der biblischen Inspiration*, Jahrbuch fuer Philosophie und spekulative Theologie 16 (1902), 80-95; Marcus Sales, O. P., *Principia tradita a Divo Thoma pro ss. Scripturarum interpretatione*, Xenia Thomistica II, 19-34, Romae, 1925; J.-M. Vosté, O. P., *De natura et extensione inspirationis biblicae secundum principia Angelici Doctoris*, l. c., 35-64.

BILLUART († 1757) « suppono omnes Scripturae sententias esse a Spiritu Sancto inspiratas et dictatas ». Scriptor sacer « est quidem calamus Spiritus Sancti sed calamus vivus et liber ». *De regulis fidei* diss. 1.

GREGORIUS DE VALENTIA († 1603). « Constat inter omnes Scripturam divinam esse doctrinam, quam Spiritu Sancto inspirante et dictante auctores sacri litteris mandaverunt ». « Auctores igitur canonicos scribere Spiritu Sancto dictante ob eam rem proprie dicimus, quoniam in doctrina scripto tradenda sic illorum opera Spiritus S. utitur, ut in eo negotio non tam illi agant, quam agantur a Spiritu Sancto, plane instar calami, cum usurpantur a scriptore ». *Comment. theol.* III, disp. 1, q. 1, punct. 7; q. 8.

B. R. BELLARMINUS († 1621) haeresim dicit existimare « in sacris ac divinis libris non omnia scripta esse dictante Spiritu S., sed aliqua interdum sola prudentia et humana ratione duce ». Agit etiam de ratione qua Spiritus S. egerit in libro 2 Mach. inspirando. *De verbo Dei*, lib. 1, c. 6, 10.

21. Plura disputat de natura inspirationis SERARIUS NICOLAUS S. J. († 1609, *Prolegomena Biblica*, Moguntiaci 1612).

Agit de nostra quaestione Cap. V, De Bibliorum causa efficiente, Quaestiuncula I: Quis sit auctor Bibliorum. « Unus est principalis et generalis: Deus nimirum Optimus Maximus: alter est instrumentalis et particularis, varii scilicet homines, quorum opera et manu ad Bibliorum scriptionem primo uti dignatus est princeps illa causa Deus » (pag. 10 b). Postea (Quaest. 13) quaerit: quonam modo author Bibliorum Deus? « Scripsit tota Biblia Deus, per homines, quibus ea *dictavit*... Scripsisse dico, quia quae per alios facimus, facere et ipsi dicimur ».

Quomodo autem dictaverit Biblia Deus deinde interrogans respondit: Scriptorum « et mentem et voluntatem et manum affecit » (Quaest. 14). De singulis hac ratione disserit (Quaest. 15): Quomodo bibliaci scriptoris mentem affecerit Deus? Primo in hominis mentem ea quae scribi vult, imprimit Deus sive immediate sive mediate; respectu subiecti mediationem spectando, ita ut scilicet in aliud subiectum prius non agat, priorem facultatem non attingat et pulset. Si mediante, vel per sensus exteriores vel interiores. Secundo. Intellectum scriptoris illuminat Deus luce quapiam vel omnino *supernaturali*, vel naturali quidem, sed *supernaturaliter data* vel aucta. Et hoc vel ad *percipiendum* tantum, quod dictatur; vel ad *iudicandum* tantum, vel ad utrumque. Tertio. Hoc autem iudicium, quod a scriptoribus de dictatis fit, vel *theoreticum* est vel *practicum*. Illud est, quando scriptor iudicat ea quae dictantur, esse vera. Hoc autem practicum est, quando iudicat ea sibi scribenda, et his quidem verbis, isto modo, isto tempore. Et *ad utrumque iudicium* lux divina dari solet, qua mens in veritate ista diiudicanda iuvetur. Et interdum etiam habitus quidam, verbi gratia, virtutis veritatis ». Quando res novas loquitur Dominus, labor pene nullus scriptori est, et tunc species vel prorsus

novae sunt, vel autem novo illustratae modo aut copulatae. Quando autem res antea cognitas loquitur aut scribi vult Deus, esse potest aliquis scribenti labor, ut Lucae, et tunc satis est species antiquas novo quodam modo divinitus adiuvari, ita scilicet ut adsistat Deus, ne falso ac temere species illae accipiantur, coniungantur, etc. Nam neque in necessariis deesse solet Deus, neque in non necessariis abundare.

Septimo. Si ab aliquo vere ac sincere scriptum esset quidpiam, idque postea Deus verum esse testaretur, non posset id quidem proprie a Deo dictatum dici, improprie tamen, seu aliquo modo dictatum dici possit, quasi nimirum eminenter: quia includit id, quod ab ipso dictari potuisset, et quod postea testimonio quasi suo signarit.

De *voluntatis* motione haec proponit (Quaest. 16). « Primo movet voluntatem, ut quae dictat, scribat scriptor vere ac fideliter: et haec motio dicitur *incitatio* et *inspiratio*... Et colligi potest ex D. Thoma p. p., q. 36, art. 1). Secundo fit autem scriptoris voluntas ad istum scribendi modum apta, vel per solum Dei auxilium actuale, vel per habitum aliquem v. g. veritatis ».

Exsecutionem autem hoc modo describit (Quaest. 17). « Nihil opus est in corporis membris istam ad rem aliquem ponere habitum, sed satis Deum scribentis manui assistere, eamque veluti tenere, ne rem pro re, verbulum pro verbulo, literam pro litera ponat. Et *assistentia* haec in omnibus etiam superioribus est necessaria, ut omnis a scriptore incogitantia, negligentia, et aberratio absit ».

Inspirationem verbalem quoque attingit (Quaest. 20) quaerens num omnia in Scriptura divinitus dictata sint: « Dicendum omnia et singula a Spiritu S. divinitus dictata esse dictatione vel presse sumpta vel ample. Alioquin enim si minimum in Scriptura sit quod a Spiritu S. non sit, ansa dabitur de aliis omnibus, vel certe de quibus cuilibet lubebit, dubitandi et aliter sentiendi: sicque tota scripturarum vacillaret authoritas; ideoque fides nostra, inquit Augustinus ».

22. Suarez († 1617) easdem fere quaestiones tractat.

« Supponimus dari in ecclesia quosdam libros quos canonicos vocamus, in quibus verbum Dei scriptum contineri credimus. Quae suppositio tamquam dignitas seu primum principium accipitur ab omnibus, qui Christianorum nomen profitentur, et ideo inter eos probandum non est ». Haec autem « Scriptura instinctu Spiritus Sancti est scripta *dictantis* non tantum sensum, sed etiam *verba* ». « Debet autem haec Scriptura habere Deum *auctorem proprium*... quia nisi habet Deum auctorem, non potest divinam auctoritatem habere ».

De *inspiratione verbali* explicite tractat dicens aliquos dubitare scripturam debere esse a Spiritu Sancto quoad verba tum quia non videtur necessarium ad certitudinem fidei et veritatis Scripturae; tum etiam quia verba scriptoris sacri interdum sunt minus polita et aliquando fortasse non satis congrua. Ipse vero sententiam affirmativam sequitur, sed eam sic exponit: « Adverto duobus modis posse intellegi singula

verba Scripturae esse a Spiritu S., scilicet per specialem motionem antecedentem, vel tantum per assistentiam et quasi custodiam. *Prior modus* erit, quando Spiritus Sanctus vel imprimit conceptum verbi per species infusas, saltem per accidens, vel peculiariter movendo et excitando species praeexsistentes, et hic modus est maxime proprius et perfectus, et verisimilius est observari a Spiritu S., quoties mysteria quae scribuntur supernaturalia sunt et captum humanum excedunt. Non videtur autem necessarium, etsi eruditi quidam recentiores id contendant, ut semper dicitentur verba hoc peculiari modo. Quando enim auctor canonicus scribit aliquid, quod secundum se humanum est et subiacet sensibus, satis videtur, quod Spiritus illi specialiter assistat et custodiat illum ab omni errore et falsitate et ab omnibus verbis, quae non expediunt vel decent talem Scripturam, avertendo scilicet speciali providentia omnia obiecta, quae conceptus talium verborum excitare possunt, et in reliquis permittendo, ut scriptor sua memoria et suis speciebus ac sua diligentia utatur in scribendo, sicut Lucas profitetur c. 1 sui Evangelii, ut ibi communiter notatur. Satis ergo est, ut uno vel altero modo iuxta exigentiam materiae, *verba sint a Spiritu Sancto* ». *Tract. de Fide, de regulis fidei*. Disput. 5, sect. 3.

« Tandem advertendum est, licet in Scriptura omnia sint scripta Spiritu divino nihilominus eundem Spiritum relinquere scriptorem, ut modo sibi accommodato et secundum suum ingenium, eruditionem et linguam singula scribat, et ita etiam permittit, ut aliqua familiari et humano modo scribat, quamvis sub directione sua ».

« Inde vero oriebatur curiosa quaestio, an scriptor canonicus certo cognoscat se canonice scribere et gubernatum esse a Spiritu Sancto... securius videtur idem in praesenti affirmare, quod de prophetia certum est, nimirum prophetam verum et proprium cognoscere quae praedicit »... « Sancti Spiritus auxilium, quod canonico scriptori datur, dupliciter dari potest: primo ut is qui scribit certo cognoscat se in ea scriptione esse instrumentum Spiritus Sancti... et hoc plane ad veram prophetiam pertinet. Secundo posset quispiam in re ipsa scribere a Spiritu S. motus, ipso tamen ignorante et nesciente se in ea scriptione a Spiritu S. dirigi. Qui modus an interdum contigerit, exploratum non habeo; si tamen contingeret ita fieri, scriptor ille proprie non esset propheta neque eius cognitio prophetica, scriptura vero in se esset infallibilis et sacra, quamvis apud nos auctoritatem non haberet, nisi Spiritus S. auctoritate alias nobis constaret se esse talis scripturae *principalem auctorem*, *l. c.*, disp. 8, sect. 4 n. 5 sq.

23. Cornelius a Lapide († 1637) de inspiratione tractat exponens 2 Tim. 3, 13. «Sacra Scriptura dicitur verbum Dei et Spiritus Sancti, prophetae vero et alii scriptores hagiographi vocantur calami et instrumenta Spiritus S., quasi scribae velociter scribentis, inspirantis et dictantis sacras litteras». «Nota Spiritum Sanctum non eodem modo dictasse omnes sacras litteras, nam legem et prophetias ad verbum revelavit et dictavit Moysi et prophetis, historias vero et morales exhortationes, quas antea visu vel auditu, vel lectione, vel meditatione didicerant ipsi scriptores hagiographi, non fuit necesse inspirari aut dictari a Spiritu S...

Dicitur tamen Spiritus S. ea quoque illis *dictasse*. Primo quia scribentibus adstitit, ne vel in puncto a veritate aberrarent. Secundo quia eos excitavit et suggessit, ut haec potius scriberent quam illa. Tertio quia omnes eorum conceptus et sententias ordinavit, digessit et direxit Spiritus S., v. g. ut hanc sententiam primo, illam secundo, aliam tertio loco et ita consequenter collocarent et scripto consignarent ».

24. Doctrinam de inspiratione fusius evolvit Ioannes Franciscus MARCHINI († 1774) in opere postumo: *De divinitate et canonicitate ss. librorum* (1777, Taurini).

« Inspiratio dicenda est singularis ea Spiritus S. moventis ad scribendum impulsio, directio ac praesentia mentem animumque scriptoris gubernans, quae errore non sinit efficitque ut scribat quae velit Deus ». Haec deinde explicantur quoad motionem voluntatis et intellectus illustrationem. « Spiritus Dei effecit ut voluntate firma, constante, perpetua essent dicendi veri nec umquam verum desererent; simulque in animum lumen intulit ac diffudit plenissimum, quo perceptam antea doctrinam veram esse certo cognoscerent neque inter scribendum labi, errare, decipi inconsiderate ne verbo quidem possent ». « Haec tamen Spiritus S. praesentia non effecit, quin sacrorum librorum auctores operam multam interdum ac diligentiam conferant ».

Inerrantiam S. Scripturae omnimodam tuetur. « Numquam tamen in eorum errorem labemur, qui iniuriam sacris litteris faciunt, arbitrati nonnulla ex parvis saltem, ut ipsi inquiunt, et ad salutem nostram non spectantibus humano tantum spiritu humanaque industria aut prophetas aut apostolos scripsisse, destitutos ea singulari Dei praesentia sine qua intellegi nequit librum esse divinum ».

De inspiratione verbali plura habet. Negat Spiritum S. ipsa verba inspirasse, satis consultum esse dignitati et infallibilitati Scripturae, si « Spiritus in scriptoris animum indiderit aut excitaverit atque ei adstiterit: ut apta verba sumeret, incongrua relinqueret ». Censet ex stili et orationis varietate demonstrari Deum verborum auctorem non esse. « Spiritus S. se cuiusque scriptoris ingenio attemperavit. Haec demonstrant voces et scribendi tenorem a Spiritu S. dictante sacros viros non accepisse ». Neque traditio hoc postulat. « Erunt autem et illa (verba) divina prorsus, si mentem scriptoris Spiritus S. regens nullum passus sit ineptum verbum excidere, quemadmodum hac de causa Dei Spiritus, eius mentem totam suo lumine opplens, tuendam et regendam sumpsit ». Eadem breviter recolit in thesibus de divinitate et canonicitate sacrorum bibliorum generatim, potissimum thesibus 5-6. Antea articulo V tractat, qua ratione Spiritus S. sacros scriptores affecerit, pag. 67-84.

25. *Conclusio.* — Omnium horum theologorum doctrina in eo convenit, quod *factum* inspirationis tamquam indubitatum et fundamentum totius doctrinae christianae habent.

De conceptu vero inspirationis inter omnes eo convenit, ut Deus habeatur auctor verus et principalis ss. librorum, homo auctor secundarius et instrumentalis. Rationem instrumentalitatis in eo ponunt, quod Deus mentem hagiographi lumine novo illustret, quod appellatur lumen divinum, vel ab antiquioribus revelatio sensu latiore. Hoc lumen secundum S. Thomam spectat etiam ad iudicium speculativum de veritate eorum quae scribenda sunt.

Quaestionem de inspiratione S. Scripturae aliqui explicite tangunt, alii omnes inerrantiam omnimodam supponunt aut occasione data docent.

De inspiratione verbali plures sermonem instituunt, et plerumque eam admittunt, sed nullus ex catholicis auctoribus inspirationem stricte mechanicam docet, quamvis alii alio modo inspirationem verborum et vocum interpretentur. Illi autem qui inspirationem verbalem non admittunt, ut Marchini, non solum praeservationem ab errore omni modo tenent, sed directionem et positivam assistentiam per S. Spiritum, qui mentem hagiographi totam suo lumine replet et dirigit, ita ut etiam verba recte divina dici possint, quod Suarez quoque et Serarius et alii tenent, qui tamen retinent locutionem inspirationis verbalis.

Theologi saeculi undevicesimi, vestigiis priorum incedentes quaestiones de inspiratione ulterius expoliverunt, maxime conceptum Dei auctoris principalis et hagiographi auctoris instrumentalis magis declaraverunt et quaestionem de inspiratione verbali funditus tractaverunt. Inter eos eminet Cardinalis I. B. FRANZELIN, qui concilii Vaticani theologus magnam partem habuit in elaboranda et statuenda doctrina de inspiratione.

Sed antequam ad recentiorem aetatem accedimus, placet recolere, quae ab Ecclesiae magisterio de inspiratione emissa sunt.

ART. 4. — Ecclesiae de inspiratione doctrina.

26. Iam saeculo secundo S. Scripturae auctoritas a MARCIONE eatenus oppugnabatur, quatenus originem divinam Veteris Testamenti negabat. Gnostici quoque aliqui eosdem errores admittebant, et saeculo quarto Manichaei denuo Vetus Testamentum impugnabant. Unde viri ecclesiastici originem divinam Veteris et Novi

Testamenti et utriusque dignitatem aequalem defendebant. Postea vero haec doctrina ab ipsa Ecclesia proposita est. Primo in « Statutis ecclesiae antiquis », quae olim adscribebantur concilio IV Carthaginensi, sed probabiliter sunt Caesarii Arelatensis († 543), legitur declaratio aliqua contra Manichaeos, quae ita se habet: « Quaerendum etiam ab eo, si Novi et Veteris Testamenti, id est legis et prophetarum et apostolorum, unum eundemque credat auctorem et Deum » (1). (Cf. *Ench. bibl.* nn. 21-23).

Eadem doctrina postea saepius enuntiata est: anno 1053 a Leone IX in epistula ad Petrum Antiochenum (*Ench. bibl.* n. 26, D 348); denuo praescripta ab Innocentio III (a. 1208) Waldensibus: « Novi et Veteris Testamenti unum eundemque auctorem credimus esse Deum » (*Ench. bibl.* n. 27, D 421). Idem profitetur Eugenius IV in Bulla « Cantate Domino » anni 1441: « Sacrosancta Romana Ecclesia... unum atque eundem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti sancti locuti sunt » (*Ench. bibl.* n. 32, D 706 sq.). Hanc de Deo auctore librorum utriusque Testamenti doctrinam renovavit Concilium Tridentinum in decreto de canonicis Scripturis (1546) « omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor » (*Ench. bibl.* n. 42, D 783).

Concilium Vaticanum in Constitutione dogmatica « Dei Filius » fere repetiit definitionem Tridentinam addens interpretationem aliquam de ipsa inspirationis notione (*Ench. bibl.* nn. 62-64, D 1787).

In utraque definitione edicitur libros inspiratos « pro sacris et canonicis » esse recipiendos (*Ench. bibl.* nn. 45, 62, 64). De hac duplici appellatione in Concilio Vaticano quaestio exorta est, in qua Gasser episcopus declaravit, non esse discrimen inter libros canonicos et sacros seu inspiratos. Concessit tamen per se posse distingui inter librum inspiratum et canonicum (Collect. Lac. 7, 138 sq.; 225 sq.; 239 sq.). Atque revera quoad conceptum haec distingui omnino possunt. Nam liber inspiratus eo ipso nondum

(1) Paulo aliter apud Harduin, *Conciliorum Collectio* I, 978, « unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem »; Mansi, *Coll. Conc.* III, 950.

est formaliter canonicus, sed potius destinatione et in actu primo. Canonicitas in actu secundo includit agnitionem libri ex parte Ecclesiae ut inspirati et ut regulae fidei (cf. BAINVEL, *De Script. Sacra* n. 97, 4).

27. Deus auctor. De significatione locutionis « Deum esse auctorem utriusque Testamenti » maxime in primis decretis ambigitur quidem aliquo modo. Nam quaeritur, num de *libris* sit sermo an potius de *oeconomia* salutis utriusque Testamenti, quae ab eodem Deo processerit. Sed certum est, adversarios illos, contra quos haec edita sunt, reiecisse tum oeconomiam Veteris Testamenti tum libros ipsos, in quibus haec traditur. De qua re constat ex historia. Praeterea vidimus, iam S. IRENAEUM, ORIGENEM, fortasse etiam CLEMENTEM ALEXANDRINUM, explicitis verbis *libros* utriusque Testamenti Deo omnium Patri adscripsisse, in quo modo loquendi aperte continetur reprobatio doctrinae adversariorum.

Ceterum idem explicite enuntiatur in disputatione ARCHELAI, saeculi fere quarti. MANES († 270) affirmat: « Non est igitur sine periculo cuiquam vestrum pariter cum lege et prophetis novum adiungere Testamentum, tamquam unius sint utraque doctoris...; ita ergo et recipientes legem, nisi agnoveritis cuius sit, animas cum salute perditis » (15, 13 s.). Antea dictum erat: « quae omnia ad ipsum pertinent Satanam et ad prophetas eius, quae transformare voluit in patrem Christi et scribere pauca quaedam vera, ut per haec etiam cetera, quae sunt falsa crederentur » (15,10). Similia de lege leguntur postea c. 44, 6-10 in epistula Diodori ad Archelaum et in responso Archelai c. 46 sqq. (Edit. CH. HENRY BEESON. Leipzig 1906).

S. AUGUSTINUS idem tradit. Ex quibus apparet revera simul fuisse disceptationem et de oeconomia et de libris utriusque Testamenti. Ergo Deus in his documentis dicitur auctor etiam ss. librorum utriusque Testamenti.

28. Terminus *auctoris* proinde est traditione nobis quasi authenticus, qui deinde magis explicatus est, potissimum in concilio *Vaticano*, in quo conceptus inspirationis clarius nobis exhibetur hisce verbis: « Eos (libros sacros) vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto

inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt » (Constitut. dogmat. de fide catholica c. 2; *Ench. bibl.* n. 62, D 1787).

Facile intellegitur, exinde terminologiam esse passim receptam et a Summis Pontificibus identidem sancitam, a LEONE XIII anno 1893 (« Provid. » *Ench. bibl.* n. 109 sq., D 1952), a PIO X in Decreto « Lamentabili » reprobata Propositione 9 « Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturae Sacrae auctorem » (*Ench. bibl.* n. 193, D 2009) et in Encyclica « Pascendi » (*Ench. bibl.* n. 273, D 2101 sq.). Idem a BENEDICTO XV in litteris « Spiritus Paraclitus » asseritur (*Ench. bibl.* 461, D 2186).

29. Ex his ergo constat quam certissime de *facto* ipso inspirationis, cum vix ulla veritas tam universaliter, constanter, indubitanter enuntiata sit et in tota ratione argumentandi supponatur quam haec de vera inspiratione divina librorum sacrorum, apud Patres, Theologos, in declarationibus Ecclesiae etiam maxime sollemnibus; praeterea constat de ipso inspirationis *conceptu* saltem aliquomodo, quatenus terminus *auctoris* ab antiquis temporibus iam communis evasit, donec ultimis decenniis ita in decretis ecclesiasticis adhibetur, ut tamquam authenticus sit habendus. Tandem in testimoniis allatis ipsa quoque *inerrantia* tam clare enuntiatur, ut de hac quoque ex omnium aetatum testibus certissime constet.

Sed antequam ad singula magis explicanda accedimus, brevi conspectu acatholicorum de inspiratione doctrinam et opiniones exponemus.

ART. 5. — Doctrina Protestantium de inspiratione.

§ 1. AB INITIO PROTESTANTISMI

30. Protestantismus, cum solam S. Scripturam ut fontem revelationis divinae agnosceret, dignitatem Scripturae quam maxime extollebat atque propterea inspirationem ipsam omnino tuebatur, sed eius notionem ab initio non excolebat.

LUTHERUS quoque Scripturae praestantiam maximopere celebrabat et singulis eius libris summam auctoritatem vindicabat. Nihilominus saepe in libris sacris, in Pentateucho, Iacobo, Apocalypsi vel in ipsis epistolis Paulinis aliqua reprehendit, ita ut appareat eum sibi non constitisse (1).

ZWINGLI, CALVINUS, TH. BEZA († 1605) alii, auctoritatem Scripturae multis quidem [illegible] et originem divinam admittunt, et [illegible] Scripturae asserunt, sed simul in rebus minoris momenti, in historicis et similibus errores admittunt. Primae lutheranae et calvinianae, Formula Concordiae (1577), [illegible] Confessio (1581) S. Scripturam tamquam unicum fundamentum doctrinae christianae proclamant. Confessio Helvetica prior (1536) et posterior (1566) Scripturam vocant Verbum Dei, [illegible] a Spiritu S. [illegible] et inspiratam. Similia tradunt aliae Confessiones gallicana, anglicanae, belgicae; conceptum vero inspirationis non exposuerunt.

31. Cum autem saeculo 17 controversiae ortae essent de auctoritate textus hebraici traditi, theologi tum calvinistae tum lutherani [illegible] inspirationis magis extenderunt, ut e. g. IOANNES GERHARDUS.

[illegible] textus traditi tam hebraici quam graeci [illegible] sunt, et [illegible] a Deo esse formaliter inspirata. [illegible] non esse perfectissimum. [illegible] homo merum instrumentum Dei est [illegible] Spiritu S. [illegible] supernaturaliter [illegible] debent [illegible] hagiographum non [illegible] ad [illegible]. J. A. QUENSTEDT († 1688), Theologia didactico-polemica I, c. 4; D. HOLLAZ († 1713), Examen theologicum, Prolegom. III.

[illegible] BUXTORFII. COCCEIUS († 1669), Summa doctrinae de foedere et testamento Dei IV, 89. GISB. VOETIUS († 1676), [illegible] inspiratio et revelatio [illegible] Dei revelatio tantum in [illegible] Scriptura consistit.

(1) Cfr. W. ROHNERT, Die Inspiration der hl. Schrift, Leipzig 1889; P. O. [illegible]

32. In ecclesia *anglicana* antiqua plerumque retinebatur doctrina catholica. Sed paulatim opiniones liberiores exortae sunt, quae satis differunt a rigoroso conceptu lutheranorum vel reformatorum. D. WHITBY († 1726) et G. BURNET († 1715) eam fere sententiam exponunt, quae illo tempore apud catholicos auctores recepta erat (*Exposition of the* 39 *Articles*, 1699).

Mox autem varii gradus inspirationis, veritates necessariae ab aliis minus necessariis distinguebantur, aliquae partes Scripturae non sub inspiratione scriptae sunt, ita e. g. R. BAXTER († 1691).

33. Contra extremam et exaggeratam aestimationem Scripturae G. CALIXTUS († 1656) pugnabat statuens duas classes veritatum, alteram quae ex vera revelatione divina derivatur, alteram quae solum cum assistentia Spiritus S. scripta est. Pietistae et mystici in Scriptura errores inveniri concedebant et litteram spernebant, ita V. WEIGEL († 1588), THEOPHR. PARACELSUS († 1541), alii. FAUSTUS SOCINUS († 1603) et ARMINIANI inspirationem verbalem negaverunt, in quibusdam errores admiserunt, aliquos libros sine divino instinctu esse scriptos, eosque posse vocari canonicos solum, quia indolis piae sint et sanam doctrinam contineant, e. g. H. GROTIUS [† 1645]; J. LECLERC [† 1736].

§ 2. AB EXORTO RATIONALISMO

34. Ex his quae exposuimus, facile intellegitur, quomodo paulatim tota inspiratio in dubium vocata sit. Rationalismus biblicus ex Gallia et Anglia, ubi inspiratio S. Scripturae irrisioni erat (E. HERBERT, H. BOLINGBROKE, VOLTAIRE) in Germaniam transiit, atque aliquos eiusdem notae propugnatores invenit (J. CH. EDELMANN, S. REIMARUS), alii vero non eo usque progressi agnoscebant Scripturam tamquam fontem doctrinae moralis eamque sub hoc respectu divinam dixerunt. De facto inspirationem et veram originem divinam negaverunt, ex Scriptura pro libitu expungenda esse, quae ad finem moralem non conducerent; ita J. S. SEMLER († 1791), HERDER, KANT, GRIESBACH, PAULUS, STRAUSS et permulti usque ad nostra tempora qui dogma de inspiratione iam prorsus negant.

Non multum ab hoc rationalismo differt *semirationalismus* a SCHLEIERMACHER et R. ROTHE evolutus, qui inspirationem librorum negat, aliquem autem influxum divinum in illis viris admittit, qui sunt organa divinae revelationis, quatenus in eius historica evolutione aliquam partem habuerunt.

Secundum Schleiermacher inspiratio nihil est nisi spiritus Christi, qui a Christi discipulis receptus et in ecclesiam transmissus est. Hic autem spiritus semper viget, non solum in libris sacris, sed in apocryphis quoque

potest inveniri. Porro inspiratio Veteris Testamenti est longe alia ac Novi Testamenti, quia V. T. ex alio spiritu exortum est ac Novum. Non pauci similes opiniones proferunt, quamvis in pluribus inter se dissentiant, e. g. H. Cremer, O. Kirn, alii.

35. Sed saeculo elapso in Gallia et Germania vetus *doctrina orthodoxa* de inspiratione iterum redintegrata est duce L. Gaussen (*Theopneustie ou pleine inspiration des Écritures*, Paris 1840), Rudelbach, A. Vilmar († 1868), Th. Kliefoth († 1895), A. Kuyper, W. Rohnert (*Die Inspiration der Hl. Schrift*, Leipzig 1889), qui inspirationem verbalem quoque sensu orthodoxo defendit.

Sententiam *liberiorem* tenent inter orthodoxos Hengstenberg, Stier, Franc. Delitzsch, Thomasius, Luthardt, Philippi. In Anglia W. Sanday, qui varios inspirationis gradus statuit, inerrantiam in multis reiecit, humana cum divinis mixta asserit (*Inspiration*, ed. 4, London 1901). Sed vix possibile est singulorum opiniones uno conspectu exhibere, cum in pluribus inter se discrepent. Ex parte inspirationem Novi Testamenti et Veteris distinguunt. Auctores Novi Testamenti habitualiter fuisse inlustratos, inspirationem V. T. non per modum habitus infuisse auctoribus illis. Varios quoque gradus inspirationis et dignitatis aliqui statuunt. Verbalem inspirationem omnes reiciunt.

36. *Recentissimi* auctores fere omnes inspirationem veri nominis negant. Illi vero qui non sequuntur rationalismum, docent libros inspiratos continere revelationem divinam quibusdam hominibus factam. Aliqui admittunt providentiam vel adiutorium Dei in librorum origine, sed morale tantum, non physicum. Ita e. g. S. Goebel (*Die Inspiration der Bibel*, Allgem. Evangel. Luther. Kirchenzeitung 59, 1926), K. Girgensohn (*Die Inspiration der Hl. Schrift*, Dresden 1925).

Alii vero omnem influxum supernaturalem negant. Scripturam eatenus posse dici divinam, quia et quatenus excitat in legente fidem religiosam. Uniuscuiusque esse in se experiri, num Scriptura sit Dei verbum, et num sensus religiosos in ipso excitet. Inerrantiam non esse quaerendam in libris sacris, e. g. E. Haupt (*Die Bedeutung der Hl. Schrift für den evangelischen Christen*, Bielefeld 1891). Ulterius alii progressi asserunt Scripturam nihil esse nisi libros hominum indole religiosa insignium ex enthu-

siasmo aliquo profectos, non aliter ac alii libri ex inspiratione poetica nati, G. P. MAINS (*Divine Inspiration*, New York 1915). H. VOLLMER (*Religion in Geschichte und Gegenwart* III, 559 sq., 1912) his fere verbis concludit: Si sententia inspirationis verbalis relinquitur, nihil iam remanet, quo inspiratio biblica distinguatur a conceptione poetica aut ab enthusiasmo religioso, etiamsi retinetur et urgetur, divinam providentiam specialem habuisse partem in origine librorum biblicorum. E. RABAUD, *Histoire de la doctrine de l'inspir. des Saintes Écritures dans les pays de langue française*, Paris 1883.

37. Ex rationalismo descendit *Modernistarum* de S. Scriptura doctrina. Hi quoque retinentes nomen inspirationis rem ipsam plane reiciunt. In decreto « Lamentabili » enuntiatur eorum doctrina hisce propositionibus damnatis: 9. « Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturae Sacrae auctorem. 10. Inspiratio librorum Veteris Testamenti in eo consistit, quod scriptores israelitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt ». 12. (*Ench. Bibl.* n. 193 sqq.). Magis positive eadem doctrina exponitur in Encyclica « Pascendi »: (Inspiratio) « ab impulsione illa nisi forte vehementia, nequaquam secernitur, qua credens ad fidem suam verbo scriptove aperiendam adigitur. Simile quid habemus in poetica inspiratione; quare quidam aiebat: Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Hoc modo Deus initium dici debet inspirationis ss. librorum » (*Ench. bibl.* n. 265). Haec elementa omnia invenimus apud rationalistas, eaque agnoscuntur aperte ad ipsis modernistis, ut A. LOISY, qui loquens de Decreto Lamentabili omnino confirmat propositionem ibi enuntiatam eamque suam facit dicens, Deum esse auctorem ss. librorum, sicut est architectus basilicae romanae S. Petri (*Simples réflexions sur le décret du S. Office « Lamentabili sane exitu » et sur l'Encyclique « Pascendi »*, Ceffonds 1908, 42).

Caput II

De natura inspirationis

Art. 1. — Praenotanda

§ 1. De ratione procedendi

38. Quamvis tot exsistant testimonia de facto inspirationis antiquissima et toties in fontibus de libris sacris et eorum auctoritate sermo sit, nihilominus de ipsa *notione* inspirationis ab antiquis vix disputatum est, adeo ut ne in media Ecclesiae aetate quidem hae quaestiones fusius tractatae sint. S. Thomas egregie quidem de prophetia scripsit (2, 2, q. 171-174, et alibi), idem perspicue tractat de causa principali et instrumentali (IV *Dist.* I, q. 1, a. 4 ad 1; *Summa* 3, q. 62 a. 1 ad 2), et haec explicite ad Sacrae Scripturae Inspirationem applicat, sed non omnia ad unitatem comprehendit. Posteriores vero vix quidquam addiderunt doctrinae Angelici doctoris. Saeculo demum 16 de notione et natura inspirationis magis agi coeptum est. Sed ne tum quidem terminologia eadem communiter recepta erat. Unde factum est, ut auctores non eodem modo loquantur, et termini *inspirationis* et *revelationis* nondum clare inter se distinguantur. Hoc autem ex eo facile intellegitur, quod non solum S. Thomas, sed iam auctores antiquissimi inspirationem ad prophetiam reducebant et auctores inspiratos simpliciter prophetas appellabant. Similiter, quid nomine Sacrae Scripturae designetur, vel designari possit, controversum aliquomodo erat. Quaerebant enim, num nomen et appellatio Scripturae etiam libro applicari possit, qui non sensu stricto inspirativa actione divina ortus sit, sed tantum a Deo post scriptionem approbatus sit. Talem librum numquam fieri posse inspiratum patet, sed si agitur de auctoritate et veritate eorum quae in tali libro continentur, certum est, eam non esse minorem, cum approbatio divina omne dubium et omnem falsitatem excludat.

39. Iam si accedimus ad quaestionem de natura inspirationis, videmus auctores non eadem ratione procedere, alii enim magis ex ipso conceptu *auctoris* essentiam inspirationis derivant, neque

sine ratione ita procedunt, cum concilium Vaticanum ita loquatur, ut notione auctoris tandem id designet, quo liber inspiratus ab alio quocumque libro discernatur. Praeterea in ipso concilio Vaticano de auctoris conceptu actum est. Hi autem auctores, inter quos maxime Cardinalis FRANZELIN nominandus est, non ex nudo conceptu auctoris disputationem instituunt, sed simul habita ratione actionis inspirativae, prout ex traditione nobis exhibetur. Concedimus quidem auctoris conceptum vario sensu accipi posse et admittere ambitum strictiorem et latiorem. Quapropter ex sola voce non sufficienter ipsa actio Dei ut auctoris libri inspirati circumscribi potest. At nullus ex auctoribus, qui hunc modum procedendi sequuntur, ita agit.

Alii autem censent rectius ex notione *inspirationis* initium disputationis sumendum esse. Sed haec ipsa notio inspirationis vel actionis inspirativae satis indeterminata est, et de facto terminus sensu omnino diverso adhibetur, ita ut ne hac quidem via ambiguitates omnes evitentur. Quod ex ipsis disputationibus de notione inspirationis satis elucet. ZANECCHIA, LAGRANGE et qui eos sequuntur praeferunt quidem methodum hanc, neque improbamus eam, dummodo concedatur aliam viam esse aeque bonam et aptam, et dummodo in utraque via sequenda ratio habeatur traditionis, et concedatur notionem « inspirationis » necessario complendam esse notione « auctoris ». De controversia circa hanc quaestionem cf. ZANECCHIA, *Div. Inspiratio* 75 sq. 82-87, *Scriptor sacer sub div. inspiratione*, Romae 1903, PESCH n. 309-314.

40. Nobis ita procedendum esse videtur, ut notio auctoris cum actione Dei inspirativa componatur, et utraque se invicem explicet et praeterea utraque notio ex constanti traditione Ecclesiae accuratius definiatur.

Ex traditione autem constat, conceptum auctoris *sensu* omnino *formali* et *stricto* esse sumendum, neque ullo modo ex traditione commendatur sententia eorum qui conceptum sensu illo latiore acceperunt, quo aut a nobis aliquando sumitur, cum dicimus aliquem auctorem fuisse alteri ideam libri aut operis inspirando et etiam adiuvando aut approbando, aut quo ab orientalibus vox accipiebatur sensu fere improprio (cf. LAGRANGE).

§ 2. Sententiae quaedam insufficientes

41. Cum autem de expoliendo et demonstrando conceptu inspirationis ultimis demum temporibus actum sit, atque ita ut Ecclesiae quoque doctrina occasione disputationum et controversiarum evoluta sit, placet de his controversiis pauca praemittere, ut appareat, quo sensu theologi et Ecclesia naturam inspirationis exposuerint.

Iam diximus in antiquitate et media Ecclesiae aetate nullam fuisse controversiam de quaestione fundamentali, quamvis explicite in singula elementa notionis inspirationis nondum inquisitum sit. Deum esse *auctorem primarium* ss. librorum, hominem *auctorem instrumentalem*, in concessis erat.

Saeculo 16 quaestiones motae sunt occasione doctrinae Protestantium de libro secundo Machabaeorum, quem canonicum et inspiratum negabant, cum industria humana scriptus sit. Contra eos L. Lessius S. J. theses aliquas statuit (a. 1586), quae ab Academia Lovaniensi a. 1587 in censuram vocabantur et hac ratione enuntiabantur: 1. « Ut aliquid sit Scriptura S., non est necessarium singula eius verba inspirata esse a Spiritu Sancto. 2. Non est necessarium, ut singulae veritates et sententiae sint immediate a Spiritus S. ipsi scriptori inspiratae. 3. Liber aliquis (qualis forte est 2 Machabaeorum) humana industria sine assistentia Spiritus S. scriptus, si Spiritu S. postea testetur ibi nihil esse falsum, efficitur Scriptura Sacra ». Lessius theses his verbis enuntiatas secundum contextum interpretandas esse respondit et relate ad duas priores asserit non fuisse necesse, ut auctores acciperent novam illuminationem, qua novo modo cognoscerent veritates quas scribebant, et viderent verba, quibus Spiritus S. volebat eos uti, sed suffecisse, ut Spiritus S. peculiari modo illos excitaret ac impelleret ad scribendum ea, quae vel audierant vel viderant vel alio modo cognoverant, et simul iis ad singulas sententias ac verba assisteret et ubi opus esset dirigeret.

De *tertia* propositione haec dicit: « semota parenthesi, videtur mihi esse omnino certa, nisi quaestio sit de nomine ». Supponit piam historiam a viro pio ex instinctu Spiritus Sancti scriptam, qui absque illa singulari assistentia verum scripturus sit et nullum omnino commissurus errorem. Si Spiritus S. deinde testetur « omnia quae ibi scripta sunt, vera ac salutaria esse, non video cur talis liber non sit habiturus *auctoritatem Scripturae Sacrae*, cum eandem habeat rationem credendi quam alia quaevis prophetia, nempe *auctoritatem divinam* ». Addit postea: « Et hoc non dico, non quod asseram hunc modum in aliqua Scripturae parte servatum; immo puto de facto hunc modum in Scripturis non inveniri, sed tantum loquor de possibili. Unde propositio est condicionalis ».

Patet librum ex solo instinctu Spiritus S. scriptum non esse vere

inspiratum; sed aeque patet, librum, qualem Lessius describit, habere eandem auctoritatem ut Scripturam Sacram, nempe divinam (1).

42. Denuo I. Bonfrère S. J. discipulus Lessii, quaestionem speculativam movit de auctoritate alicuius libri: « Consequenter se habere posset Spiritus, si quid humano spiritu absque Spiritus ope, directione, assistentia a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen Spiritus S. testaretur omnia quae in eo scripta essent, vera esse; certum est enim tunc totum hoc scriptum fore Dei verbum et eandem infallibilem veritatem habiturum quam habent cetera quae inspiratione vel directione eiusdem Spiritus S. conscripta essent ». Cum his verbis solum hypothesis statuatur et sub hac suppositione quaeratur, quaenam sit auctoritas talis libri, patet nihil hic edici contra catholicam de inspiratione doctrinam. Cf. *Praeloquia in Script. Sacr.* c. 8, sect. 7. Bonfrère igitur non docuit inspirationem quam vocaverunt falso « subsequentem ».

Sententiam a Bonfrère condicionate et mere speculative enuntiatam suam fecit D. Haneberg episcopus Spirensis († 1876), qui putavit libros quosdam historicos revera factos esse verbum Dei per receptionem in canonem, id est Ecclesiae agnitione (*Geschichte der bibl. Offenbarung*[3], Regbg 1863, 817; in ed. 4, 1876 B. Weinhart hanc sententiam emendavit secundum mentem ipsius auctoris). Quae sententia certo longius progreditur quam Bonfrère, cum non solum loquatur de possibilitate in abstracto, sed de libris nostris, et praeterea de *Ecclesiae* agnitione, non de testificatione *S. Spiritus*.

43. Alia ratione per defectum peccat L. Ellies du Pin (*Dissertation préliminaire* t. I, Paris 1701, liv. 1, ch. 2, §§ 6-8), secundum quem inspiratio est illuminatio aliqua, qua auctor sacer in scribendo dirigitur, ne quid eorum quae scribere debeat omittat neve falsi quid dicat. Cum his verbis nihil positivi enuntietur, sed solum negativus influxus statuatur, haec sententia non satisfacit conceptui per traditionem transmisso. In eundem sensum loquitur J. Jahn (*Einleitung in die göttl. Bücher des Alt. Bundes* I[2], Wien 1803, 93), explicitis verbis influxum positivum Dei

(1) De quaestione agitata circa hanc Lessii sententiam in Concilio Vaticano cf. *Coll. Lac.* VII, 140 sq.; Pesch n. 283-287; H. Dieckmann, *Gregorianum* 10 (1929), 72-84.

negans, et solum negativum admittens, quo auctor sacer ab errore in scribendo praemuniatur. Recte quidem Jahn affirmat inspirationem a revelatione distinguendam esse, neque per se nova docere, sed falso putat propter hanc rationem influxum positivum excludi.

Art. 2. — De essentia inspirationis

§ 1. Notiones essentiales

44. Tota autem traditio manifeste *positivum* aliquem influxum divinum in auctorem sacrum postulat. Quem postea *Concilium Vaticanum* apertis verbis pronuntiat: libros sacros non ideo ut inspiratos esse habendos, quod revelationem sine errore contineant.

Ex eadem traditione porro constat Deum non eo vocari posse auctorem librorum sacrorum, quod *voluit*, ut hi libri scriberentur. Non enim solum hoc voluit, sed etiam voluit, ut *suo nomine* scriberentur et praeterea curavit et effecit, ut scriberentur et ita scriberentur, prout voluit. Non est solum causa moralis, sed etiam physica et efficiens librorum sacrorum.

Proinde dicendum est haec omnia elementa pertinere ad verum et receptum conceptum inspirationis. Quem conceptum clare et perspicue exhibet Leo XIII in Litteris encyclicis « Providentissimus » his verbis: « Nam supernaturali ipse virtute ita eos (auctores sacros) ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent et fideliter conscribere vellent et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor Sacrae Scripturae universae ». *ASS* 26 (1893-94), 288 sqq.; *Ench. bibl.* n. 110, D 1952.

Hisce videntur omnia contineri quae ad inspirationem veri nominis spectant, id est quae requiruntur, ut Deus vere et proprie auctor litterarius libri inspirati dici possit.

45. Ut autem clarius exponamus quae ad quaestionem nostram pertinent, inspirationem cum auctoribus distinguimus active, passive, terminative spectatam. Inspiratio *active* spectata est actio Dei ad extra tribus personis communis, qua Deus ss. librorum auctor efficitur; *passive* sumpta est motio divina, quatenus ab auctore humano recipitur; *terminative* sumpta est ipse liber inspiratus.

Verbis Pontificis ea enuntiantur, quae necessaria sunt, ut aliquis liber divinitus inspiratus haberi possit, vel actio divina in hominem, ut est instrumentum Dei, describitur. Supponitur voluntas Dei, qua cum hominibus aliqua communicare et per hominem suo nomine docere intendit. Ex hac voluntate consequitur influxus divinus in hagiographum talis, ut omnes actus afficiat, qui ad scriptionem huius libri necessarii sunt.

46. Hic influxus a theologis recentioribus et a LEONE XIII vocatur *supernaturalis*. Nam eiusmodi actio et motio non continetur in ordine naturali, ergo eum trascendit et superat, ideoque est saltem praeter naturam. Porro cum referatur ad ordinem nostrum supernaturalem, tota actio divina intra hunc ordinem aliquomodo appellari potest supernaturalis. Si ultra quaeritur, qualis hic influxus sit, recte adnumeratur *donis charismaticis supernaturalibus*, quae conferuntur hominibus ad utilitatem aliorum, non ad propriam sanctificationem. Quare distinguitur a gratia sanctificante, etsi concedimus hagiographum plerumque esse hominem sanctitate praestantem et in libro inspirato scribendo mereri; sed hoc non fit ex gratia inspirationis. Recte motio inspirativa a quibusdam theologis comparatur cum *gratia actuali*, quia non communicatur per modum habitus permanentis, sed per modum actus transeuntis. Idem iam docuit S. THOMAS reducens inspirationem ad prophetiam, quae ipsa quoque non per modum habitus datur (*ad Hebr.* 1,1).

Quoad internam naturam autem inspiratio non potest comparari cum gratia sanctificante aut actuali, cum non conferat entitativam elevationem supernaturalem.

47. *De ratione*, qua motio divina hagiographum et singulas eius facultates et actus attingit, haec dicuntur: auctores sacri ad scribendum excitantur, moventur, in scribendo assistentiam divinam experiuntur, ut ea quae Deus iubet, et recte mente concipiant et fideliter conscribere velint et apte infallibili veritate exprimant.

Influxus in facultates superiores, intellectum et voluntatem, primarius est, cum per eum tantum homo ut instrumentum rationabile adhibeatur. Quare de influxu in intellectum et voluntatem principaliter agendum est.

§ 2. DE ILLUSTRATIONE INTELLECTUS

48. Deus secundum verba Pontificis ita excitat hagiographum, ut recte *mente concipiat* quae scribenda sint. Enuntiatur igitur aliqua mentis illustratio per luminis divini infusionem. Hoc autem lumen datur ad recte percipiendum scribenda. Si in se consideratur, non est revelatio, quippe quae conceptu suo distinguitur ab inspiratione; est enim revelatio *locutio Dei attestans*, cuius homo ut divinae conscius esse debet, quod in inspiratione non necessario obtinet. Neque per inspirationem per se infunduntur novae species aut omnino communicatur scientia ipsa. Quae est doctrina S. Thomae et communis doctorum (cf. n. 19).

Hoc confirmatur *ex natura rei*. Nam hagiographus ut instrumentum Dei a causa principali assumitur ad communicandum per scriptionem res, quas saepe antea iam sciebat. *Acquisitio* scientiae est praesuppositum ipsius compositionis litterariae, non pertinet formaliter ad eam. Unde non includitur in notione inspirationis. Ergo illustratio divina datur ad iudicium efformandum de iis quae scribenda sunt.

49. Hoc vero iudicium est iudicium *practicum*, vi cuius homo iudicat, haec esse scribenda, omnia et sola esse scribenda, quae Deus per instrumentum suum scribere intendit. Eiusmodi iudicium secundum omnes auctores essentialiter pertinet ad inspirationem, et si illustratio divina quidquam efficit, hoc iudicium afficiat oportet, quia ab ipso proprie incipit motio ad scribendum.

Ulterior quaestio agitatur, num praeter iudicium practicum de scribendis etiam *speculativum* iudicium de veritate rerum scribendarum requiratur. In qua re auctores dissentiunt. Negant necessitatem iudicii speculativi cum adiutorio divino efformati PESCH (1), LEVESQUE (*Rev. Bibl.* 6 [1897] 324 sqq.), MERKELBACH (*L'inspiration* n. 10) alii. PESCH consentit quidem cum aliis theologis eo, quod asserit vi luminis divini veritatem rerum affirmari idque requiri, sed putat hanc affirmationem includi in lumine con-

(1) *De inspiratione* n. 418 sq.; *Theolog. Zeitfragen* 3, latine: *Apparatus ad histor.*, pp. 80-83.

cesso ad iudicium practicum efformandum. « Si Deus movet supernaturaliter auctorem sacrum, ut scribat ad aliorum doctrinam hoc vel illud, hoc ipso suas facit cogitationes et iudicia scriptoris, eorum veritatem testatur et eos docet ad quos scripta diriguntur » (*Apparatus* 81). Secundum hanc expositionem quaestio nostra potius redit ad quaestionem psychologicam, cum rationem principalem, propter quam alii auctores iudicium speculativum postulant, Pesch quoque admittat. Haec autem ratio in eo est, quod secundum S. Thomam hagiographus « secundum certitudinem veritatis divinae », vel « cum adiutorio divini luminis » vel « divino instinctu certius ceteris » iudicat de rebus iam aliunde notis. Talis vero certitudo ex lumine divino derivata requiritur, ut veritas divina, quae est obiectum inspirationis, vi originis in libro sacro habeatur. Verba quibus S. Thomas de hoc lumine divino loquitur, sine dubio ad iudicium speculativum referuntur; praeterea ea, quae antea allegavimus ex encyclica *Providentissimus* « ut recte mente conciperent », magis ad iudicium speculativum quam ad practicum spectare videntur. Quare sententia, quae utrumque iudicium ex lumine divino exortum dicit, magis consentanea habetur cum modo loquendi recepto et communius admittitur.

50. Cum iam constet de hoc lumine divino in mente hagiographi, de eius *effectu* in auctorem haec asserimus. Afficit omnia illa et sola ea, quae Deus hominibus manifestare intendit, omnia igitur quae ad talem librum pertinent. *Qua autem ratione* illustratio divina agat, paucis exponamus. Lumen divinum extenditur certo ad totam libri materiam, ad res scribendas omnes et singulas. Consequenter etiam ad formam illam, quae alicui libro propria est; ita in libro Iob non solum forma poetica, sed etiam forma dialogi hac illustratione divina determinatur; simili ratione parabolae, allegoriae et alia subsunt lumini supernaturali, in quantum auctor haec non aliunde assumit, ut v. g. parabolas evangelicas. Cum autem de iudicio etiam speculativo dixerimus, ulterius quaeritur quatenus etiam forma externa, signa, vocabula divino influxu determinentur. Aliqua ratione haec quoque includi in actione Dei non ambigitur, cum sine verbis liber aliquis cogitari non possit. Ergo locutio attingitur ab influxu divino, saltem in quantum re-

spondere debet intentioni et menti Dei. Quousque vero se extendat, hoc loco non accuratius definimus, sed specialem de hac re inquisitionem mox instituemus.

§ 3. DE INFLUXU DIVINO IN VOLUNTATEM ET ALIAS FACULTATES

51. Praeter influxum Dei in intellectum hagiographi admittenda est motio *voluntatis* ex parte Dei, secundum verba LEONIS XIII: « supernaturali virtute ita eos ad scribendum movit, ut ea quae ipse iuberet fideliter scribere vellent ». De qua voluntatis motione veteres vix locuti sunt, sed eam omnino supponunt. Recentiores vero unanimiter eam tamquam necessariam requirunt, ut Deus vero et physico sensu auctor libri inspirati dici possit.

Non eadem autem ratione necessitatem huius motionis demonstrant auctores. Alii eam ex eo derivant, quod per intellectus illustrationem ipsa electio nondum certo sequatur, ne per iudicium practicum quidem de re scribenda a Deo inditum, cum homo ut est liber, aut ipsum actum voluntatis cohibere possit, aut dum eum ponit, ex sua mere naturali electione ponere possit. Esset proinde actus humanus, qui non ad Deum ut causam principalem referretur. Et haec est altera ratio, cur immediata motio voluntatis postulatur. Prima ratio nor videtur strictam necessitatem *immediati* influxus divini in voluntatem demonstrare. Nam Deus certissime praevidet, num et ex qua illustratione intellectus sequatur actus voluntatis, atque talem et in iis adiunctis potest conferre. ex quibus infallibiliter effectus sequitur. Unde haec ratio non demonstrat necessitatem immediatae motionis voluntatis, mediata per se sub hoc respectu sufficeret. Apposite in nostra quaestione BILLOT monet: « Motio voluntatis requiritur solum ad hoc, ut (sententiae Dei supernaturali illustratione productae in mente hagiographi) sint ad nos transmissae in materiali scripturae signo » (*De inspiratione*, ed. altera 56). His etiam indicatur, ad quae voluntatis motio sese extendat. Comprehendit primo ipsum propositum efficax scribendi omnia et sola, quae intellectus percepit, deinde imperium in facultates, quibus exsecutio ipsa incumbit.

De ratione, qua Deus voluntatem infallibiliter movet, hic non agendum est, cum non differat ab ea, quae in gratia efficaci conferenda obtinet.

52. De influxu *in facultates exsecutivas* pauca dicenda manent. Scriptio materialis quoque a Deo ut causa principali procedat oportet, cum liber tandem oriatur per scriptionem. Sed nova motio physica immediata in facultates exsecutivas non iam requiritur, si voluntas, quae physice facultates movet, ipsa supernaturaliter elevata est. At certo in ipsa scriptione postulatur assistentia divina, qua facultates exsecutivae ab errore praemuniantur et rite munere suo fungantur.

Quoniam vero libri alicuius conscriptio non unico actu absolvitur, sed repetitos actus tum intellectus tum voluntatis includit, motio divina in hagiographum ita concipienda est, ut perduret toto illo tempore, quo auctor sacer in libro elaborando occupatur. Neque enim censendum est, Deum ideam perfectam et integram alicuius libri quasi unico intuitu infundere, ut auctor quodammodo passive tantum se habeat et libri imaginem ante mentis oculos conspiciat, ad quam identidem recurrat. Sed motio divina tamdiu adest hagiographo, quamdiu in libro suo perficiendo occupatus est, sive illum concipiendo, sive scribendo. Non vero asserimus divinam actionem semper actu perseverare. Nam eo tempore, quo auctor laborem intermittit et aliis rebus distinetur, non censendus est experiri influxum divinum. Concordant enim theologi in eo, ut negent lumen divinum per modum habitus infundi. (S. Thomas, Suarez, Serarius, Marchini, Franzelin, Zanecchia, Billot, Pesch, van Laak, alii).

Corollarium

53. Poterit proinde inspiratio *definiri:* « charismaticus influxus divinus in intellectum et voluntatem et facultates exsecutivas hagiographi ad ea omnia et sola scribenda, quae Deus suo nomine scribi vult ». De singulis antea disputatum est. Haec communiter a theologis traduntur, a Franzelin praeclare exposita et a Cornely breviter comprehensa sunt (*Compendium Introductionis*, ed. 2, Paris 1891) et a Leone XIII anno 1893 verbis fere eisdem enuntiata sunt (cf. Pesch n. 428).

Solent auctores etiam quaestionem movere, num inspiratio *diversos gradus* admittat. Iudaei quidem et protestantes et aliqui catholici putabant alios libros prae aliis habere maiorem auctoritatem et eatenus esse magis verbum Dei. Sed hoc admitti non potest, et in concilio Tridentino omnis distinctio reiecta est. Si vero quaeritur, num *subiectiva* inspiratio hagiographi gradus admittat, hoc omnino concedendum est, cum et illustratio intellectus et motio voluntatis et influxus in verba diversus esse possit.

Scholion — De revelatione et inspiratione

54. Postquam notionem inspirationis exposuimus, paucis eius relationem ad *revelationem* examinare placet. Vidimus in antecedentibus ab antiquis et in media aetate inspirationem saepe appellatam esse revelationem. Quod non ideo solum factum esse videtur, quia nondum accuratius in utriusque conceptum inquisitum erat, sed etiam quia inter revelationem et inspirationem relatio obtinet. Secundum S. Thomam inspiratio reducitur ad prophetiam, proinde eo ipso aliquo modo ad revelationem quoque pertinet. Porro si quaelibet positiva Dei locutio ad homines potest vocari et vocata est revelatio, etiam inspiratio hoc nomine potest designari, praesertim cum secundum Concilium Vaticanum (*Constitut. Dei Filius* c. 3) omnia, quae in verbo Dei scripto continentur, fide divina credenda sint. S. Scripturam autem esse verbum Dei solemnis est omnium temporum et doctorum et Ecclesiae professio, quae in ipsa Scriptura fundatur, secundum illud: Deus, Spiritus Sanctus, Scriptura dicit (cf. Mt. 19, 4-5; 22,31; Ioh. 10,35; Mt. 22,43; Act. 1, 16; 4, 25; 28, 25; Hebr. 3, 7; 9, 8; 10, 15; 1 Pet. 1, 11; Mc. 15, 28; Ioh. 7, 38, 42; 19, 37; Rom. 4, 3, 9, 17; 10, 14; 11,1, 2; Gal. 3, 8; 4, 30; 1 Tim. 5, 18).

Sed quoniam in inspiratione iuxta doctrinam S. Thomae lumen intellectuale per se non infunditur ad cognoscendum aliqua supernaturalia, sed solum ad iudicandum secundum certitudinem veritatis divinae ea quae humana ratione cognosci possunt, inspiratio aliquo modo deficit a perfecta prophetia et distinguitur a revelatione quae est formalis locutio Dei et attestans. Praeterea quamvis inspiratio possit appellari revelatio, non omnis revelatio est inspiratio.

§ 4. De influxu divino in formam externam libri sacri

55. Cum antea agentes de illustratione intellectus (n. 50) dixerimus lumen divinum dari ad efformandum iudicium de rebus scribendis et aliqua saltem ratione determinare etiam formam externam sententiarum, hic iam quaeritur, quid de hoc influxu in linguam libri sacri statuendum sit. Cum enim lumen divinum

detur ad librum scribendum, liber autem cogitari non possit sine signis externis, haec eatenus saltem actioni divinae subsint oportet, ut Dei sensa aptis verbis enuntientur. De qua re nulla est controversia. Attamen in determinando influxu divino auctores aliquo modo dissentiunt. Fuerunt qui *immediatum influxum physicum* Dei in ipsa verba statuerent, quo homo mere passive se habuerit. Alii *dictationem* sensu latiore admittebant, in qua homo non ut instrumentum fere inanime a Deo adhibitus sit, sed secundum suam naturam rationalem, ita tamen ut singula verba a Deo indita sint. *Alii* deinde inspirationem verbalem aut negabant aut ita interpretabantur, ut de dictatione sermo non esse possit. Alii denique *sententiam* fere *mediam* inter has ultimas defendunt, retinentes terminum inspirationis verbalis eum tamen sensu latiore intellegentes. Singula iuvat examinare.

56. De inspiratione *stricte mechanica verbali.* Hanc videtur tenuisse Philo loquens de prophetia, qua aliquo modo comprehendit inspirationem. Προφήτης ἴδιον μὲν οὐδὲν ἀποφθέγγεται, ἀλλότρια δὲ πάντα ὑπηχοῦντος ἑτέρου,... ἐπεὶ καὶ μόνος (ὁ σοφός) ὄργανον θεοῦ ἐστιν ἠχεῖον, κρουόμενον καὶ πληττόμενον ἀοράτως ὑπ' αὐτοῦ.τῷ δὲ προφητικῷ γένει φιλεῖ τοῦτο συμβαίνειν. ἐξοικίζεται μὲν γὰρ ἐν ἡμῖν ὁ νοῦς κατὰ τὴν τοῦ θείου πνεύματος ἄφιξιν. κατὰ δὲ τὴν μετανάστασιν αὐτοῦ πάλιν εἰσοικίζεται. θέμις γὰρ οὐκ ἔστι θνητὸν ἀθανάτῳ συνοικῆσαι. διὰ τοῦτο δὴ δύσις τοῦ λογισμοῦ καὶ τὸ περὶ αὐτὸν σκότος ἔκστασιν καὶ θεοφόρητον μανίαν ἐγέννησε (*Quis rer. div. heres* 52 sq., nn. 259-265; *De spec. leg.* IV, 8, n. 49; cf. Pesch nn. 13-16; J. B. Frey, *Rev. Bibl. N. S.* 13 [1916] 495-501; W. S. Reilly l. c. 14 [1917] 492 sq.).

Iosephus similem de prophetia sententiam profert, asserens nihil in nobis nostri manere, si Spiritus Dei intrat; Spiritum voces et sermones edere quos vult, nihil nobis scientibus (*Ant.* IV, 5; X 10, 2 sq.; de Moyse, *Ant.* XII 2, 14); haec autem sicut apud Philonem etiam de libris prophetarum valent. Differentiam tamen inter Philonem et Iosephum eam agnoscimus, quod hic non de divina illa insania loquitur.

Eandem fere prophetiae notionem propugnaverunt versus finem saeculi secundi Montanistae.

57. PATRES adhibent quidem locutiones et imagines quae mechanicam vel manticam inspirationis rationem videntur supponere, cum dicant Deum uti hagiographo ut tibia vel plectro vel cithara. Sed si haec aut in contextu leguntur aut cum aliis eorum dictis conferuntur, apparet eos neque sensus alienationem neque etiam verborum *dictationem* strictam docuisse. Ex auctoribus catholicis posterioris temporis similem videtur sententiam tenuisse FREDEGISUS abbas Turonensis (saec. 9), quem ita corripit AGOBARDUS Lugdunensis episcopus: « Apparet etiam ex his verbis vestris, quod ita sentiatis de prophetis et apostolis, ut non solum praedicationis et modos vel argumenta dictionum Spiritus S. iis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba extrinsecus in ore illorum ipse formaverit ». *Liber contra obiectiones Fredegisi abbatis* 12, *PL* 104, 165.

58. Inspirationem stricte *mechanicam verbalem* tenebant saeculo 17 et sequenti non pauci ex protestantibus orthodoxis, qui eo usque processerunt, ut dicerent hagiographos non plus contulisse ad Scripturam quam calamus scribae. Hinc ex inspiratione omnia et singula repetebant, ipsas syllabas, litteras, apices, signa quoque et puncta textus hebraici; barbarismos, soloecismos in Scriptura admittere impium dicebant. Ita FORMULA CONSENSUS HELVETICA can. 2 (1675), BUXTORFII, I. GERHARDUS († 1657), G. VOETIUS († 1676), CARPZOW († 1767), QUENSTEDT, alii; versus finem ultimi saeculi W. ROHNERT (*Die Inspiration der Hl. Schrift*, 1889). Sed haec necessario ex ipsa doctrina fluunt, secundum quam auctores humani adeo sunt mera instrumenta divina, ut ipsi suo intellectu non utantur neque ideas sua mente concipiant.

Hanc sententiam non posse componi cum traditione, quae semper auctorem sacrum secundum suam naturam a Deo adhiberi docuit, manifestum est.

59. Altera sententia, quae inspirationem *stricte verbalem*, dictationem vel quasi dictationem retinet a priore magnopere differt. Hagiographus in manu Dei est instrumentum rationale, quod secundum suam indolem naturalem sub influxu divino agit. Aliqui conatum et laborem in scribendo non excludunt; alii autem ut

Bannez videntur affirmare auctores sacros sine conatu scripsisse. Inter eos qui hanc sententiam defendunt potissimum nominamus Bannez, Billuart, Gregorium de Valentia.

Bannez docet, Spiritum S. non solum res in Scriptura contentas inspirasse, sed etiam singula verba, quibus scriberentur, *dictasse* atque *suggessisse*. Concedit quidem, non esse contrarium fidei, si quis asserat, verborum compositionem saepe relinqui scientiae et diligentiae sacri scriptoris, dummodo S. Spiritus assistentia affirmetur, ne scriptor in verbis erret; nihilominus tutius dici, quod quemadmodum Spiritus S. animum ad scribendum applicet, etiam verba et compositionem tradat. *Dictare* autem verba significat ipsa verba *determinare*. Argumenta vero, quibus haec sententia comprobatur, non adeo demonstrativa sunt, ut eam evincant. Nam primarium petitur ex periculo errandi in legitima explicatione eorum quae revelata sunt. Patet autem ad hoc periculum avertendum plane sufficere assistentiam. Si Bannez deinde censet, nisi admittatur determinatio verborum, vix posse differentiam assignari inter S. Scripturam et definitiones conciliorum, haec ratio non urget, cum essentiales differentiae intercedant inter haec duo, etiam abstrahendo a verborum determinatione.

De ratione, qua Deus in mentem hagiographi agat, haec tradit: Cum Deus omnia suaviter disponat, ita uniuscuiusque scriptoris sacri mentem illuminabat eidemque verba dictabat, quae maxime illorum statum et condicionem decebant, quemadmodum musicus spiritu oris sui aliter tibia aliter tuba et aliis instrumentis personat. Probabilius est, ut ea ipsa, quae ss. auctores viderant et contrectaverant, superiore lumine iterum a Spiritu S. illuminati intellexerint et ab ipso verba, quibus scriberent, acceperint. Eandem doctrinam sequitur Billuart, qui eam habet probabiliorem eamque dicit communiorem. Similiter loquitur Gregorius de Valentia affirmans auctorem sacrum sponte quidem scribere, sed omnino necessario ita, ut minime in ipsius arbitrio sit positum aut non scribere aut alio modo, alio tempore, aliis verbis. Cf. n. 20.

60. Paulo aliter inspiratio verbalis concipitur a Suarez aliisque illius temporis theologis. Terminum inspirationis verbalis Suarez retinet.

Docet enim: « Est Scriptura instinctu Spiritus S. scripta dictantis non tantum sensum, sed etiam verba ». Notat aliquos de verborum dictatione dubitare, cum non videatur necessaria ad certitudinem fidei et veritatis Scripturae Sacrae. Nihilominus dubitandum non esse de veritate et necessitate talis dictationis. At postea explicat, quomodo singula verba possint dici a Spiritu Sancto dictata. Aut per specialem motionem antecedentem aut tantum per assistentiam et quasi custodiam. Priore modo Spiritus S. imprimit conceptum verbi per species infusas vel peculiariter movendo et excitando species praeexsistentes. Altero modo, quando Spiritus S. auctori specialiter assistat et custodiat illum ab omni

errore et falsitate et ab omnibus verbis, quae non expediunt vel decent talem Scripturam. Non esse necessarium, ut verba semper priore illo modo dictentur. Sed asserit, nullum esse librum S. Scripturae, in quo verba ut plurimum non sint priori modo dictata (*De Fide*, disp. 5, sect. 3).

Duplicem hanc rationem agnoscit etiam N. SERARIUS, qui ipse quoque verba omnia et singula dictata dicit, sed dictatione vel presse sumpta vel ample (Quaest. 20). De altera vero haec docet: Si agitur de rebus antea cognitis, satis est species antiquas novo quodam modo divinitus adiuvari, ut assistat Deus, ne falso ac temere species accipiantur, coniungantur (Quaest. 15).

Eiusdem sententiae est CORNELIUS A LAPIDE asserens, Spiritum S. non eodem modo omnes sacras litteras dictasse. Posse tamen ea quoque, quae aliunde iam sciebant auctores sacri, dici dictata, quia Spiritus S. scribentibus adsistit, ne vel in puncto a vero aberrarent. Secundo, quia excitavit eos et suggessit, ut haec potius scriberent quam illa. Tertio quia omnes eorum conceptus et sententias ordinavit, digessit et direxit, ut hanc sententiam primo, illam secundo, aliam tertio loco collocarent (*Comm. in* 2 *Tim.* 3, 16). Apparet secundum Cornelium etiam in hoc altero modo satis magnum influxum positivum in formam externam contineri (cf. supra nn. **21-23**).

Hi auctores proinde adnumerandi sunt iis, qui verbalem inspirationem propugnant, sed in explicatione suae sententiae dictationem sensu latiore et strictiore distinguunt; qua ratione viam praeparaverunt ad doctrinam de inspiratione verborum magis excolendam.

61. *De inspiratione non verbali*

Primo videtur LESSIUS necessitatem dictationis singulorum verborum negasse. Prima eius propositio quae a Lovaniensibus impugnata est, ita enuntiabatur: « Ut aliquid sit Scriptura S., non est necessarium singula eius verba esse inspirata a Spiritu Sancto ».

Hanc autem propositionem Lessius ita explicavit: « Non negamus auctores hagiographos ex peculiari inspiratione Spiritus Sancti et directione ac assistentia scripsisse; sed hoc tantum dicimus, non fuisse necesse ut ad singulas sententias et ad singula verba scribenda habuerint novam et positivam inspirationem ex parte ipsius, id est novam illuminationem, qua novo modo cognoscerent veritates quas scribebant, et viderent verba quibus Spiritus S. volebat eos uti; sed suffecisse, ut Spiritus S. peculiari modo illos excitaret ac impelleret ad scribendum ea, quae vel audierant vel viderant vel alio modo cognoverant, et simul iis ad singulas sententias ac verba assisteret et ubi opus esset dirigeret ». Lessius proinde etiam in ipsa verba admittit influxum divinum, qui manifeste non est solum negativus, sed maxime positivus, ita ut propter eum etiam verba ipsa possint eadem ratione dici inspirata, ut apud Suarez aliosque.

Sententia haec similibus terminis a non paucis recepta est et saeculo 18 satis communis evasit. I. Fr. Marchini eandem suam fecit et pluribus exposuit quaerens, num singula verba Spiritus Sanctus in sacri scriptoris mente atque ore posuerit.

Respondit inutile hoc esse neque ad tuendam veritatem Scripturarum necessarium, cum eidem satis consultum sit, si quae scripta sunt, ea in scriptoris animum Deus indiderit aut excitaverit atque ei adstiterit, ut apta verba sumeret, incongrua relinqueret. Rationem suae sententiae in eo invenit, quod modus loquendi apud ss. auctores adeo varius est et singulorum scriptorum ingenio adaptatus, ut non dicendum sit, Deum ipsa verba dictasse. Neque traditionem aut Scripturam ipsam aliud docere. Tamen verba posse dici divina, quia sunt ex regimine Spiritus Sancti, qui scribentibus adsisterit, numquam recessit nec permisit aliter scribi, quam vellet ipse. Dei Spiritus mentem hagiographi totam suo lumine opplens tuendam et regendam suscepit (*De divinitate et canonicitate ss. Bibliorum*, Pars I, art. 5.) Cf. n. 24.

62. Doctrinam hanc Cardinalis Franzelin magis evolvit speculative, sicut conceptum Dei auctoris principalis omni ex parte declaravit. Distinguit in libro *partem formalem*, quae continet res scribendas, *a parte materiali*, a verbis et dictione. Deus vere est auctor libri sacri, si efficit, ut hagiographus omnia eaque sola scribat, quae per eum scribenda intendit. Signa autem externa, dummodo apta sint ad exprimendum sensum ab auctore intentum, non necessario debent esse per se intenta. Inspiratio ergo intellecta *sensu stricto* de iis, quae Deus cum hominibus communicare vult, non includit formaliter verba. Sed si termino inspirationis comprehenduntur omnia, quae ex parte Dei ad librum inspiratum perficiendum spectant, « cum ipsa cohaeret omnino seu in ea includitur talis operatio divina, qua homo non solum actu eligat, sed etiam infallibiliter eligat signa apta ad res et sententias inspiratas vere et sincere exprimendas atque adeo in signorum aliorumque, quae ad partem materialem pertinent, apta electione reddatur infallibilis ». Consequenter dicit, non requiri, ut Deus ubi signa mere materialiter se habent ad sensa exprimenda, signa omnia in individuo determinaverit et suppeditaverit (*De divina Traditione et Scriptura*, Sect. I, C. I, Thes. 3, 322 sqq. ed. 4). Optime de hac re de San (*De div. Tradit. et Script.* nn. 303-305).

Cui sententiae permulti theologi eximii accesserunt vel similem statuerunt, inter quos nominamus J. Kleutgen, Fr.

Hettinger, Card. Mazzella, G. J. Crets, De San, Fr. Schmid, J. Brucker, Vigouroux, Cornely, Knabenbauer, Trochon, Szekely, Schiffini, Chr. Pesch, Dorsch, van Laak.

63. Sententia prout a Franzelin exposita est, quaestionem nostram secundum principia et speculative solvere conatur. Distinctio illa partis formalis et materialis librorum in se spectata omnino admittenda est, cum eadem res salva veritate et salvo sensu terminis diversis enuntiari possit. Ipsa veritas indifferens est ad haec vel illa verba externa. Hoc etiam de S. Scriptura manifeste valet. Nam non solum eaedem res et veritates saepe verbis diversis proponuntur, ipsae quoque versiones variae S. Scripturae idem comprobant; sunt enim variae versiones Scripturae in eandem linguam, sunt ab antiquitate christiana versiones plurimae diversarum linguarum. Omnes tamen continent verbum Dei et textum inspiratum. Vulgata nostra, quae tanta gaudet in Ecclesia latina auctoritate et sollemniter declarata est authentica, abstrahendo a mendis et imperfectionibus saepe a constructione et modo loquendi textus immediate inspirati recedit. Ergo forma externa cum inspiratione non adeo necessario conexa est, ut ipsa verba in individuo debeant a Deo esse determinata. Ecclesiae sensus certo hoc non postulat, cum haec quaestio semper liberae disputationi fuerit relicta.

Porro communi fere sententia hodie a catholicis theologis admittitur epistulam S. Pauli ad Hebraeos non ab apostolo illam formam externam accepisse, quam habet; tamen est inspirata et verbum Dei, et pauci sunt, qui asserant Pauli amanuensem fuisse inspiratum. Idem concluditur ex decreto Commissionis Biblicae de Mosaica authentia Pentateuchi. Secundum hoc enim decretum hypothesis potest admitti, Moysen opus a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum aliis scribendum commisisse, ita ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent; ac tandem opus hac ratione confectum ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum ipsius nomine vulgaretur (*Ench. bibl.* n. 175, D 1998). In hac declaratione solus Moyses supponitur esse auctor inspiratus, cuius adiutores sensa auctoris accurate quidem reddiderint, sed evidenter non verba

ipsa Moyse dictante scripserint. Ergo hic quoque forma externa non necessario immediate sub inspirationem cadit. Hoc vero sufficit, ut distinctio inter formam et materiam a Franzelin statuta non solum ut speculative sed etiam ut practice possibilis agnosci possit. Eam sensui Ecclesiae plane conformem esse ex his elucet.

64. *Recentior forma inspirationis verbalis.* Nostro vero tempore sententia Cardinalis Franzelin a non paucis impugnatur et derelinquitur. Defendunt enim hi auctores denuo inspirationem *verbalem*, quam ipsi vocant. Inter eos primo fere loco nominandus est H. SCHEEBEN, qui suam sententiam hunc in modum exponit.

Inspiratio non est restringenda ad inspirationem sensuum vel verbi formalis, ita ut inspiratio verbi materialis omnino excludatur. Virtus enim inspirativa Dei auctorem humanum totum et in omni sua operatione dirigit et elevat, et suo influxu etiam formae externae plus tribuit, quam mera assistentia tribueret. Attamen non est asserendum, singula verba semper auctori inspirata esse eadem ratione ut sensa. Neque etiam auctor per Spiritum S. ipsum determinatus est in verbis eligendis. Deus enim influxum in formam externam ideo tantum et eatenus exercet, ut ipsius mens et intentio recte describatur. Propterea influxus Spiritus Sancti in verba non tam spectat partem materialem vel externam, quam formalem et substantialem, quae salva substantia vario modo verbis externis describi potest (*Handbuch der katholischen Dogmatik* I 116 sq.). Ex his elucet, sententiam a Scheeben expositam quoad rem vix differre a sententia Cardinalis Franzelin, quam Scheeben tacite aliquo modo impugnat.

Simili ratione loquitur HEINRICH. Inspiratio secundum ipsum determinat voluntatem et illustrat intellectum ad ea eaque sola scribenda et ea forma scribenda, quae respondet intentioni S. Spiritus. Igitur non tantum res sed etiam tota forma S. Scripturae est inspirata. In multis autem sufficiebat, ut Spiritus Sanctus mentem auctoris sacri ita custodiret, illustraret, dirigeret, ut eius effata simul et principaliter effata Spiritus S. sint. Cum Heinrich provocet ad Suarez et eius verba supra (n. 60) allegata, patet ipsum fere eandem sententiam quoad rem tenere sicut Franzelin (*Dogmatische Theologie* I², 722-26).

65. Sententiam his enuntiatam aliquo modo mutatam amplexi sunt permulti ex auctoribus nostri temporis, ex quibus allegamus D. DE SCHAEZLER († 1880), CHAUVIN (*L'inspiration des divines Écritures*, 1896, 48-51, 157-165), PÈGUES, LAGRANGE, TH. CALMES, P. MANNENS, ZANECCHIA, H. POELS, L. BILLOT,

A. Tanquerey, G. van Noort, J. V. Bainvel, J.-M. Vosté, H. Hoepfl, A. Bea. Hi auctores omnes urgent terminum *inspirationis verbalis*, praeterea conveniunt in eo, quod inspirationem verbalem, quae in *dictatione* consistat relinquant, immo plerique ne ipsam quidem determinationem formalem antecedentem verborum videntur admittere. In singulis autem aliquo modo inter se dissentiunt.

Essentia doctrinae in eo fere est, ut secundum eam Deus simili ratione ac in gratia actuali totum hominem, in quantum est instrumentum divinum, ita supernaturaliter elevat et movet, ut hic determinatus liber cum omnibus suis perfectionibus et imperfectionibus oriatur. Et quia omnia, quae in libro continentur, ex hac motione divina procedunt, propterea omnia inspirata sunt, nec quidquam ab inspiratione eximendum est. Cum porro doceant, omnem distinctionem et separationem inter actionem causae principalis et instrumentalis esse reiciendam, totum opus esse a Deo et totum ab homine, haec sententia vocari solet *psychologica* explicatio inspirationis verbalis, cui repugnet omnis « vivisectio ».

66. *Quo modo haec sententia est diiudicanda?* 1. Quatenus retinet terminum *inspirationis verbalis*, non est improbanda, dummodo concedatur, appellationem eo fere sensu ut apud Suarez, Cornelium a Lapide usuvenire et hanc recentiorem hypothesim ab antiqua differre, ita ut non simpliciter cum ea identificari possit. Antiquiores enim illi, ut Bannez, Gregorius de Valentia, Bellarminus, Billuart, alii, potius defendebant strictam *determinationem verborum* et totius formae externae, etiamsi admittebant, auctorem sacrum secundum suam naturam a Deo ut instrumentum adhiberi.

2. *Apte* in hac sententia dicitur, *totum librum*, prout ab hagiographo scribitur, esse inspiratum, nihil in eo esse, quod non sit inspiratum. Neque minus apte asseritur, auctorem humanum in tota sua operatione a Deo assumi et elevari. Notamus autem, hoc a Franzelin et iis qui eius sententiam sequuntur, nullo modo negari. Idem iam docuerat Suarez, ne Lessius quidem aliter sentit. Marchini, qui magis quam alii verbalem inspirationem reicit, contendit, Spiritum S. mentem auctoris sacri totam *suo lumine opplere eamque tueri et regere*. Utitur ergo verbis, quibus recentiores

suam sententiam fere enuntiare solent. Proinde quod rem ipsam attinet, vix quidquam seriae differentiae adest, neque est, cur sententia Marchini, Franzelin et aliorum impugnetur.

3. BAINVEL recte distinctionem elementi formalis et materialis admittit, quam etiam Scheeben approbavit, et censet eius rationem habendam esse. Nam verissimum est, inspirativam actionem Sancti Spiritus primario ferri in res ipsas, et propter res consequenter etiam in formam externam. Nisi haec distinctio admittatur, revera periculum est, ne notio inspirationis aliquo modo confusa et indefinita evadat (BAINVEL, *De Scriptura Sacra* n. 117 sq.). Revera enim modus, quo nova sententia exponitur, non raro aliquid incerti et indeterminati habet. Non clare appareret apud aliquos auctores, num Deus linguam et verba, quae a sacro auctore adhibentur, *antecedenter* et abstrahendo ab eius indole et dispositione eligat et determinet, an *consequenter* tantum. Si prius, habemus utique sententiam antiquitus propositam; si alterum, quod videtur ex ipsa hypothesi consequi, sine dubio sententia redit fere ad illam de inspiratione non verbali, et differentia est potius *de modo loquendi*. Difficulter sane affirmatur, Deum diversitatem linguae in Evangeliis synopticis positive et antecedenter ad ipsam indolem et consuetudinem litterariam auctorum sacrorum voluisse, ut e. g. S. Lucas adhibuerit vocem κλίνη vel κλινίδιον non κράβαττος; λίμνη non θάλασσα; διδάσκαλος aut ἐπιστάτης non ῥαββί, et similia permulta. Manifeste etiam secundum recentiorum sententiam dicendum est, Deum haec consequenter tantum ad electionem determinati auctoris voluisse. Concedimus ultro, Deum post electionem instrumenti sui etiam haec voluisse et approbasse, et omnia eius virtuti inspirativae subesse, sed distinguimus varios gradus vel respectus.

67. Aliud notandum occurrit circa hanc sententiam, quod ab initio non solum satis *indeterminate* proponebatur, sed modo omnino inepto. Imperfectiones locutionis enim simul cum imperfectionibus *enuntiatorum* ipsorum aliqui asseclae admittebant, ita ut errores quoque vi suae hypothesis concedi posse dicerent. Sufficit in memoriam revocare verba PII X in encyclica « Pascendi » de modernistis quibusdam, qui asserunt, nihil in ss. libris inspira-

tione carere et tamen errores multiplices in eis contineri (*Ench. bibl.* n. 266, D 2090). Idem notat BENEDICTUS XV carpens eos, qui inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias, immo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed eius effectus, atque inprimis erroris immunitatem absolutamque veritatem, ad elementum primarium seu religiosum contrahunt et coangustant (*Ench. bibl.* n. 467, D 2186). Ergo in hac sententia periculum errandi non excludebatur.

Concedimus autem hoc periculum non ex ipsa hypothesi exoriri et a defensoribus recentioribus excludi. Non igitur est, cur hanc sententiam oppugnemus aut eam reiciamus, cum modus concipiendi et loquendi pluribus rationibus commendetur. Quare ei aliquo modo assentimur. Terminus vero « dictationis » in hac sententia non nisi sensu valde analogo et translato adhiberi potest. At cum ab ipso concilio Tridentino de traditionibus oralibus quoque adhibeatur (« sine scripto traditiones, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto *dictante* ad nos usque pervenerunt, traditiones a Spiritus Sancto *dictatas* », Decretum de canon. Script., *Ench. bibl.* n. 42, D 783), non est cur ab hac voce abstineamus.

De SS. PATRUM sententia in nostra quaestione non est, cur multum inquiramus, cum ipsi quaestionem non ex professo tractaverint. Ex altera parte singulas voces omni cum diligentia considerant et exponunt, monentes in minimis rebus magna mysteria latere, neque verbum unum otiose esse positum; ex altera autem monent, non in litteris esse haerendum, neque nos debere miseros esse vocum aucupes. Nota sunt de his dicta *SS. Hieronymi* et *Augustini* in utramque partem. Ex his consequitur, SS. Patres non docuisse inspirationem verbalem mechanicam (PESCH, nn. 462-66).

S. THOMAS, ut diximus (n. 19), explicite de nostra quaestione non loquitur. Secundum eius principia effectus (liber) totus etiam causae principali attribuendus est. Unde intellegimus, eum diversitatem locutionum apud Evangelistas reducere ad Spiritum Sanctum (*In Mt.* 3, 11). Similiter docet: « Iudicio Spiritus Sancti determinatum est, quibus similitudinibus in certis Scripturae locis res spiritales significentur, ut cum Deus aliquando, meta-

phorice significatur per lapidem, quandoque per leonem, quandoque per solem, aut aliud huiusmodi » (3 q. 60, a. 5,ad 1; cf. Marcus Sales, *Xenia Thomistica* II, 22 sq.). Sed patet, his quaestionem solum tangi et cum his verbis utramque sententiam componi posse.

Ex iis quae exposuimus, consequitur, doctrinam de inspiratione relate ad formam externam librorum sacrorum ultimis temporibus per inquisitiones Cardinalis Franzelin et doctorum posteriorum magis enucleatam esse, et quamvis quoad *modum loquendi* nondum perfecta concordia habeatur, quoad *rem* unitatem doctrinae fere iam vigere.

Caput III

De extensione inspirationis

68. Praenotanda. — Cum iam constet de notione inspirationis et eius influxu in librum inspiratum, quaestio oritur, num hic influxus libros sacros *integros* afficiat, an fortasse aliqua ab eo eximantur. De hac re iam in antiquitate disputatum est. Teste enim S. Epiphanio (*haer.* 76, PG 42, 638) Anomoei negabant inspirationem ad omnia extendi, quae in ss. libris continentur, et vim argumentorum ex S. Scriptura eo effugere conabantur, quod dicerent: ista apostolus tamquam homo dixit; aut: quid tu mihi Vetus Testamentum obicis? Haec postea renovata sunt. Holden († 1662) enim restringebat inspirationem ad sola *doctrinalia* aut ea quae cum doctrinalibus nexum necessarium haberent (*Divinae fidei Analysis*, Paris 1652, libr. 1, c. 5, lect. 1). Cardinalis Newman putabat obiter dicta carere inspiratione. Alii alia ratione inspirationem restringebant, res profanas ab ea excludentes. A. Rohling (*Natur und Offenbarung* 18 [1872] 97-108), Lenormant, S. de Bartolo, Semeria, Savi, alii. Vel etiam auctoris sacri affectus et asserta quaedam leviora ad inspirationem pertinere negabant.

69. Sed traditio ab antiquissimis temporibus ad nostra usque unanimi sententia tenet, *omnia*, quae ab auctore sacro affirmantur, etiam esse inspirata. De duobus igitur in sequentibus agemus. 1. Num omnia quae ab hagiographo asseruntur sint inspirata. 2. Quae in libris sacris censenda sint ab auctore asserta, quae non.

Art. 1. — Omnia asserta auctoris sacri sunt inspirata.

Assertio haec probatione vix indiget. Nam tam clare in professione totius traditionis continetur, ut nullum dubium contra eam moveri possit.

70. 1. Ex modo agendi *Christi* et *Apostolorum* elucet eos ex omnibus partibus S. Scripturae, aliquando ex dictis minimis sua argumenta desumere eaque omnia supponere ut divina. Sufficit provocare ad Domini verbum apud Ioannem (10, 34 sq.), ubi allegat verbum ex Ps. 81, 6, vel ad illa quae a S. Paulo ex Vetere Testamento in epistula ad Romanos proferuntur (c. 9-11, vel 15, 9-12).

71. 2. Non aliter sentiunt SS. Patres, ipsi quoque innumeris locis docentes, omnibus verbis S. Scripturae inesse sensum profundum, omnia a Spiritu S. esse profecta, et omnes conatus contrarios constantissime reicientes. Pauca quaedam illustrationis causa afferre placet. S. Irenaeus docet, universas Scripturas esse spiritales. Per dictionum multas voces una consonans melodia inter nos sentietur (*Adv. haer.* II 28, 2 sq.). Similia leguntur apud Hippolytum. Origenes sua ratione interpretandi idem quam maxime confirmat. Divina sapientia omnem Scripturam divinitus inspiratam vel ad omnem usque litteram attigit. Non possumus dicere de Spiritus Sancti litteris, quod aliquid in iis otiosum sit aut superfluum (*In Ps.* 1, n. 4; *In Num. hom.* 27, 1). S. Hilarius (*in Ps.* 135 n. 1 sq.) monet: quidquid in his est, excelsum, divinum et rationabile et perfectum esse existimetur. Omnia autem maximum humanae salutis et doctrinae profectum in se habent. Non aliter docent S. Gregorius Naz. (*Orat. Apolog.* 2, 105), S. Basilius (*in Hexaëmeron hom.* 6, 11), S. Hieronymus multis locis, item S. Augustinus, S. Ioannes Chrysostomus (*hom.* 15 *in Gen.* 1, PG 53, 119), in ultimo capite epistulae ad Romanos exponendo non solum singula interpretatur, sed etiam eos vituperat, qui illud praetermittunt, ac si nihil magni contineat; ibidem in genealogiis Evangeliorum profundum sensum latere affirmat (*ad Rom. hom.* 31, 1).

72. 3. S. Thomas, S. Bonaventura et omnes theologi mediae aetatis eandem doctrinam multoties profitentur. Henricus Gandavensis omnia usque ad verborum qualitatem ac formam ab inspiratione derivat, auctores sacros ea sola docuisse, quae a Spiritu S. didicerant (*Summa* P. I, a. 9, q. 2). Posteriores, Melchior Canus, S. Bellarminus, Bannez, Suarez, Serarius, Marchini et quotquot de nostra re scripserunt, unanimi consensu idem docent. S. Bellarminus censet sententiam eorum, qui ab epistulis S. Pauli vel in aliis libris inspiratis aliqua sola humana prudentia ac ratione scripta esse putent, haereticam (*De Verbo Dei* l. 1, c. 6).

73. 4. Tandem Ecclesiae sensus satis manifestatur in definitione concilii Tridentini. Verba enim « integros libros cum omnibus suis partibus » esse tamquam inspiratos habendos, eandem doctrinam continent, etsi intentio concilii non formaliter in nostram quaestionem fertur. Leo vero XIII explicitis verbis docet: « Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum S. Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Non enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus se expediunt, id nimirum dare non dubitantes inspirationem ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum, quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque in tegri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante conscripti sunt » (*Provid. Ench. bibl.* n. 109, D 1950 sq.). Verba Summi Pontificis nihil sunt nihil explicatio definitionis concilii Tridentini.

Manifestum est autem, indolem librorum integrorum ut inspiratorum non iam salvam consistere, si in illis elementum profanum a religioso distinguatur, si res minoris et maioris momenti separentur. Omnia enim fluctuabunt, incerta erunt, si eiusmodi distinctiones invehuntur. Neque iam dici poterit, integros libros cum omnibus suis partibus esse inspiratos; nam vi talium distinctionum non pauca ab inspiratione excipiuntur.

Quae a Leone sancita sunt, a Benedicto XV confirmantur

in litteris « Spiritus Paraclitus », in quibus denuo reicitur distinctio « inter elementum Scripturae primarium seu religiosum et secundarium seu profanum » et illi notantur, qui inspirationem « ad elementum primarium seu religiosum contrahunt et coangustant » (*Ench. bibl.* n. 467 sq., D 2186).

Art. 2. — Quae sint asserta auctorum sacrorum in libris inspiratis.

§ 1. Quaestio et principia generalia

74. Postquam vidimus distinctionem variorum elementorum in S. Scriptura non esse admittendam, quaeritur, *quo sensu* omnia asserta librorum ss. sint inspirata. Non omnia enim, quae in libris inspiratis legimus, sunt assertiones ipsorum hagiographorum. Permulta in iis inveniuntur, quae ab aliis dicta sunt et ab auctore referuntur tamquam talia. Legimus epistulas, decreta, et alia huiusmodi, quae hinc inde inserta sunt. Habentur in ss. libris, e. g. in libro Iob, dialogi, in quibus plures personae introducuntur loquentes. Quid de inspiratione horum verborum, documentorum, allegationum est sentiendum? Principium universale hoc est: Ea sunt verbum Dei et accipienda sunt ut formaliter inspirata, quae ab auctore sacro ut tali affirmantur. De applicatione iuvat pauca dicere (1).

75. Ea quae auctor sacer *ipse* refert sive sunt historica, sive doctrinalia, sive de se vel suis factis et affectibus loquitur, haec omnia vi assertionis ab auctore factae sunt dicta sub inspiratione et sunt consequenter verbum Dei ad nos.

De dictis aliorum vero vel allegationibus in libris sacris plura dicenda occurrunt. Atque primum videndum est, sintne allegationes formales et explicitae, an implicitae vel tacitae, ut vocari solent.

---

(1) Cum de his et sequentibus in Hermeneutica fuse et dilucide agatur ab A. Fernandez, hic solum principia et summa capita tangimus.

§ 2. De citationibus explicitis

76. 1. Si agitur de *allegationibus explicitis*, in quibus auctor sacer formaliter asserit, se aliorum verba vel scripta afferre, quid sentiendum? Haec non sunt neque efficiuntur verbum Dei, sed verbo vel testimonio Dei asseritur, haec vel illa dicta vel scripta esse (Augustinus, *ad Orosium contra Priscillianistas* c. 9, PL 42, 676 sq.). Haec auctor sacer per se neque approbat neque improbat, sed tantum *testatur*, ea esse dicta vel scripta. Afferuntur autem ad comprobanda vel illustranda sive propria sive aliena dicta aut facta. Patet verba regum vel hominum impiorum non approbari ab auctore sacro, neque documenta in se approbari, ut e. g. epistula David ad Ioab (2 Sam. 11, 14 sq.), aut epistula ad Artaxerxem regem (Esdr. 4, 6-16), vel epistulae in 1 Mach. 12, 4-18, 19-23; 2 Mach. 1, 1-10*a*; 1, 10*b*-2, 18; Act. 23, 26-30, epistula Lysiae tribuni ad Felicem procuratorem, et alia permulta. Si vero constat, haec documenta respondere intentioni et fini auctoris inspirati, nondum sequitur eum omnia, quae in ipsis continentur, sua facere velle.

Verba Dei, *Christi*, aut *Angelorum*, ab auctore sacro relata, eo quod in librum sacrum assumuntur, non fiunt inspirata. Sed hagiographus haec evidenter sua fecit et approbat. *Apostolorum* quidem *verba* in Evangeliis tradita sane non omnino approbanda sunt, cum non semper respondeant menti Christi. Post missionem Sancti Spiritus vero generatim sermones eorum ab auctoribus sacris approbantur; tamen possunt in iis quaedam contineri, quae non approbantur. S. Stephanus in sermone habito coram synedrio fortasse quaedam dixit, quae non perfecte cum historia populi Israel congruunt. S. Paulus Mileti senioribus dixit, ipsos faciem eius non iam visuros esse (Act. 20, 25), quod testibus epistulis pastoralibus non ita evenit (1 Tim. 1, 3; 3, 14; 2 Tim. 4, 14, 20).

2. Alia quaestio circa citationes explicitas occurrit, num di cendae sint *ad litteram usque* accurate redditae. Respondemus, hoc non requiri, sed sufficere, ut *sensus* fideliter referatur. Huius rei exempla permulta afferri possunt tum ex verbis Christi tum ex allegationibus Veteris Testamenti in Novo, quae ostendunt, auctores inspiratos saepe liberiore modo procedere.

Textus Veteris Testamenti in Novo allegati saepius neque cum textu masoretico neque cum texto graeco perfecte congruunt. Sane textus Veteris Testamenti ideo non est corrigendus secundum formam, qua in Novo Testamento affertur. Difficilior est quaestio, si *argumentatio* fit ex textu graeco, qui ab hebraico differt. Textus hebraicus Ps. 39, 7 habet: « aures perfodisti mihi », quae verba ab Apostolo Hebr. 10, 5 ita allegantur: « corpus aptasti mihi », secundum versionem graecam; et cum Apostolus postea 10, 10 dicat nos sanctificatos esse per oblationem *corporis* Christi, vocem corporis manifeste effert. Simile quid invenitur Hebr. 12, 26: « adhuc semel et ego movebo terram » ex Agg. 2, 6, ubi legimus: « adhuc unum modicum est et ego commovebo ». Cum in utroque loco agatur de differentia textus, quae ex textu primitivo per conclusionem vel amplificationem derivari potest, difficultas non est magna. Si vero ageretur de *essentiali* differentia, non iam haberetur argumentatio stricte biblica, sed argumentum ex textu recepto. Sed verba, quae ab hagiographo ad veritatem aliquam enuntiandam adhibentur, in hoc casu fiunt verbum Dei secundum sensum ab auctore sacro intentum, etsi non eo sensu exstant in Vetere Testamento (Pesch, n. 449).

3. Si agitur *de libris poëticis*, ut e. g. de dialogis in libro Iob descriptis, non quaerenda est fidelitas verborum, cum ipsi sermones ab auctore conficti sint. Sed quo modo hagiographus se habet ad singulorum effata? Non omnia, quae ab amicis Iob proferuntur, approbantur, cum Deus ipse illos reprehendat. Iob a Deo prae amicis suis laudatur, sed aliquatenus ipse quoque corripitur et confitetur, se stulte locutum esse. Quae vero in singulis reprobanda sint, difficilius statuitur. Proinde sollicita inquisitione opus est, ut inveniamus, quid sacer auctor suum faciat, quid non. Aliquando autem videndum est, num forte hagiographus in dialogo, e. g. in Cantico sua ipsius sensa per plures gradatim evolvat. Quod si obtinet, patet hos ipsius nomine loqui neque quis loquatur distinguendum esse, sed omnia ipsius hagiographi esse; et propterea inspirata sunt.

4. Aliud est, si auctor sacer in libro scribendo aliquem fontem ita sequitur, ut secundum suam intentionem et finem alia assumat,

alia omittat, alia suo modo et suis verbis enuntiet. Quod cum obtinet, suum opus sub inspiratione conficit et tamquam instrumentum Dei operatur: proinde omnino dicendus est, haec omnia sua facere, et integrum opus inspiratum est. Sic censemus factum esse in 2 libro Machabaeorum, fortasse ex parte etiam in libris Regum et Paralipomenon aut etiam in 1 Machabaeorum libro. Horum auctores enim passim loquuntur de libris scriptis, quos noverunt et in permultis secuti esse videntur.

§ 3. De citationibus implicitis

77. His iam accedimus ad quaestionem illam ultimis annis tantopere agitatam de *citationibus implicitis* vel *tacitis*. Ex iis quae modo diximus, satis constare videtur, in libris sacris aliquando legi textus, qui quoad rem vel etiam quoad formam aliunde desumpti sunt, quin tamen auctores sacri clare indicent, quae aliunde hauserint et qua fidelitate fontibus usi sint. Videntur igitur haberi eiusmodi allegationes, quae recte *tacitae* appellari possunt. De *facto* ipso dubium vix esse potest. Verba quae toties inveniuntur in libris Regum et Paralipomenon « Reliqua verborum ecce scripta sunt » (cf. 3 Reg. 11, 41; 14, 19; 2 Par. 9, 29; 12, 15; 1 Mach. 16, 23 sq.), manifestant auctores sacros ex his fontibus hausisse. Si in libro 4 Reg. 25, 1-12, narratur excidium urbis Ierusalem iisdem fere verbis, quibus idem factum traditur apud Ieremiam 39, 1-10, concludimus narrationem hanc aut ex eodem fonte communi fluxisse aut alteram ab altera pendere. Sed nihil in alterutro textu de hoc traditur aut insinuatur. Simile quid obtinet 4 Reg. 18, 13-34 et 19, 14-37 et Is. 37, 1-13; 14-38; Ps. 17 et 2 Sam. 22. Igitur de facto non videtur ambigendum esse.

At si agitur de eiusmodi citationibus accuratius definiendis, gravius exoritur negotium. Nulla quidem est difficultas in iis locis determinandis, in quibus eadem bis recurrunt, si abstrahimus a quaestione, quis prior scripserit. In aliis vero locis, in quibus sola coniectura assequi licet, agi de citatione tacita, ut diximus de fontibus allegatis in libris Regum et Paralipomenon, criteria deficiunt, quibus citationes hae agnoscantur et ab iis distinguantur, quae auctor ipse asserit. Cum autem citationes tacitae ideo potissimum

a quibusdam auctoribus admittantur, ut difficultatibus textus facilius satisfacere possint, primo constare debet, agi revera de citatione, ne temere partes librorum inspiratorum inspirationis expertes dicantur. Unde facile intellegitur, in decreto *Commissionis biblicae* die 13 Februarii 1905 edito solida argumenta postulari, 1° ut admitti possint tacitae allegationes; 2° ut ostendatur, hagiographum res allegatas nec probare nec sua facere, ut iure censeri possit non proprio nomine loqui (*Ench. bibl.* n. 153). Citationes autem tacitas aliter diiudicandas esse ac formales et explicitas non est cur multis demonstretur. In explicitis allegationibus positive ostendendum est, auctorem eas suas facere; in implicitis nisi auctor positive dicat vel innuat, se plura afferre, quae non sua faciat, hoc non supponendum est, idque eo minus, quo magis fontes suos ad finem suum et intentionem adaptat et in novam formam redigit, ut auctor secundi libri Machabaeorum fecisse videtur. Cf. Fernandez, *Hermeneutica* n. 148-151.

§ 4. Hagiographi persona et affectus

78. De assertionibus hagiographorum de se ipsis et eorum affectibus haec valent: si affirmant, se haec vel illa fecisse aut intendisse, vi inspirationis Deus testatur veritatem harum assertionum. Si agitur de affectibus, quos auctor sacer in ipso libro e. g. S. Paulus in epistula ad Galatas scribenda quasi elicit, quibus gaudium, indignationem vel similia manifestat, hos sub inspiratione exortos esse constat, ideoque a Deo ipso suggeruntur et approbantur, neque possunt esse moraliter mali.

Hoc autem supposito affectus autem illi, qui *imprecatorii* vocantur, quales leguntur in Pss., apud prophetas e. g. apud Ieremiam, alibi, tum contra alios, tum contra se ipsum, difficultatem creare videntur. De Pss. imprecatoriis iam in antiquitate agitatum est et Patres plures solutiones proposuerunt. Atque re vera non eadem omnium interpretatio videtur dari posse. A Patribus, S. Thoma (2, 2, p. 83, a. 8, ad 1) imprecationes considerantur ut prophetice aut condicionate enuntiatae, praeterea iuvat notare peccatum saepe diiudicari tamquam offensam Dei vel etiam contra populum Dei, et sub hoc respectu aliter diiudicandum est, quam

iniuria privata. Porro desiderium vindictae, in quantum spectat reparationem iustitiae laesae, non est illicitum, et respondet spiritui Veteris Testamenti, etsi non est perfectio Novi Testamenti. Deus ipse toties contra hostes populi sui poenas gravissimas externas intentat, occasione data in expugnatione terrae promissae et postea populo vindictam permisit vel etiam praecepit. Ergo hic modus cogitandi et sentiendi non erat alienus ab oeconomia Veteris Testamenti. Tandem iuvat notare, orientalem affectus facilius et vehementius manifestare quam nos, et modos loquendi alios esse ac apud nos, neque omnia ad litteram esse sumenda et interpretanda. Fernandez, *Hermen.* n. 164 sq. A. van der Heeren, *Collationes Brug.* 26, 1926, 346-358.

Caput IV

De inerrantia effectu inspirationis S. Scripturae

79. Praenotanda. — Effectus principalis inspirationis est *inerrantia* ss. librorum. Et quia in praecedentibus ostendimus, inspirationem se extendere ad omnia, quae auctor sacer affirmat, consequens est, inerrantiam quoque omnia S. Scripturae effata attingere.

Quaestio de S. Scripturae inerrantia maxime ultimis temporibus vehementius agitata est. In antiquitate quidem aliqui erant qui inspirationem et inerrantiam aliquomodo restringerent, utraque enim quaestio intime cohaeret. Illi quoque, quos capite praecedente enumeravimus, ideo extensionem inspirationis ad omnia negabant, quia putabant, inerrantiam omnimodam sustineri non posse. Accesserunt deinde alii, qui inerrantiam S. Scripturae ad res religiosas restringerent, ut M. d'Hulst (*La question biblique*, *Correspondant* 1893, I, 201-265), qui tamen sententiam suam eodem anno post editam encyclicam « Providentissimus » retractavit. F. Girard (*L'autorité de la Bible*, in *Annales de philosophie chrétienne* III, S. 2 [1904] 399-417, 621-633), A. Loisy, alii.

Acatholici hodie maxima ex parte errores in libris ss. admittunt, exceptis paucis orthodoxis, qui in plerisque inerrantiam defendunt, in minoribus autem errores concedunt, e. g. Th. Zahn.

Alia ratione procedebant catholici aliqui, ut inerrantiam tuerentur; aut supponebant sacros auctores non omnia sua fecisse, statuentes citationes illas tacitas, de quibus modo egimus; aut varia genera litteraria aut modos loquendi distinguebant. Cum hi catholicam doctrinam de inerrantia profiteantur, non sunt iis adnumerandi, quos modo allegavimus. Sed quaeritur, num efficaciter et secundum sensum Ecclesiae inerrantiam propugnaverint. Quare primo agemus de ipso facto inerrantiae; deinde de applicatione ad singula quaedam secundum mentem Ecclesiae tractabimus.

ART. 1. — De facto inerrantiae

80. Cum antea in extensionem inspirationis in omnes partes S. Scripturae inquireremus, vidimus traditionem catholicam universalem et omnium saeculorum indubitanter tenere omnimodam inspirationem atque ita tueri, ut simul perfecta inerrantia enuntietur.

Primo ex testimoniis plurimis *Novi Testamenti*, ex verbis Christi et Apostolorum haec intima persuasio elucet. Absoluta Scripturae auctoritas et supponitur et expressis verbis docetur. « Non potest Scriptura solvi » teste Domino (Ioh. 10, 35), « ut Scriptura impleatur » (Ioh. 17, 12). « Necesse est impleri omnia quae scripta sunt » (Luc. 24, 44). Et alia. Apostolorum dictis et consuetudine idem comprobatur. Cf. Act. 1, 16; Ioh. 2, 17, 22; 12, 38 sqq.; 19, 24, 28, 36; 1 Cor. 15, 4 et alia permulta, ex quibus apparet, secundum persuasionem Apostolorum nihil esse in Scriptura, quod non verum sit et eo quod in Scriptura legatur ut verum debeat admitti.

81. SS. PATRUM traditio ab aevo apostolico plenissime concordat. Nam eundem modum loquendi et argumentandi tenent S. CLEMENS ROM., IGNATIUS, POLYCARPUS. S. IUSTINUS explicitis verbis reicit opinionem, S. Scripturam posse secum pugnare (*Dial.* 65). S. IRENAEUS qui toties dicit Scripturam divinam, eam absolute veram pronuntiat, nullam in ea contradictionem admittit, omnia perfectam habere impletionem: omnimoda igitur inerrantia (1).

---

(1) *Adv. haer.* IV 8, 2 sq.; V 32, 2 et alia; cf. HOH, *Die Lehre des hl. Irenaeus über das N. T.*, 1919, 90-100.

Eandem doctrinam profitentur ORIGENES, Patres graeci, latini, syri. EUSEBIUS, in *Ps.* 33, n. 1 dicit, facinus esse audax et temerarium pronuntiare, Scripturam divinam lapsam esse (PG 23, 289). S. BASILIUS: « est manifesta defectio a fide et crimen superbiae, si quis aut quidquam eorum quae scripta sunt reprobet, aut quidquam eorum, quae non scripta sunt introducat » (*De fide* n. 1, PG 31, 679). S. IOANNES CHRYSOSTOMUS plurima de nostra re habet, sufficiat unum dictum adscribere: « divina est utraque Scriptura. Si vero divina, etiam vera sunt, quae in ea de Deo dicuntur » (*In Ps.* 4, 11, PG 55, 57). De S. HIERONYMO plura exhibet Benedictus XV (*Spiritus Paracl., Ench. bibl.* n. 463 sq.). S. AUGUSTINI verba ad Hieronymum notissima sunt: « Ego fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris qui canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam... Nec te, mi frater, sentire aliud existimo. Prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle tamquam prophetarum et Apostolorum, de quorum scriptis quod omni errore careant, dubitare nefarium est » (*ep.* 82, 3).

82. THEOLOGORUM sententia est eadem, ut prodit tota ratio agendi eorum, quippe qui Scripturam habent inconcussum fundamentum doctrinae revelatae. S. Scripturae a Spiritu Sancto traditae non potest falsum subesse, sicut nec fidei, quae per eam docetur, monet S. THOMAS (*de Pot.* q. 4, a. 2); idem statuit principium, ut in quacumque interpretatione « veritas Scripturae inconcusse teneatur » (1, q. 68, a. 1); falsum admittere in Scriptura est haereticum. « Haereticum est dicere quod aliquid falsum non solum in Evangeliis, sed etiam in quacumque canonica Scriptura contineatur (*In Ioh.* 13, lect. 1), aut: « Hoc tenendum est, quod quidquid in Scriptura continetur verum est, alias qui contra hoc sentiret, esset haereticus » (*Quodl.* 12, q. 16, a. 26) (1).

Concordes sunt S. BONAVENTURA, scholastici theologi omnes, posteriores quoque, MELCHIOR CANUS, B. BELLARMINUS, SUAREZ,

(1) Cf. MARCUS SALES, O. P., *Doctrina S. Thomae de inerrantia biblica*, *Divus Thomas* (*Plac.*), ser. III, 1 (1924) 84-106.

Bannez, alii. Non aliter, ut patet, recentiores. Franzelin, Kleutgen, Mazzella, Pesch, Billot, Méchineau, van Laak, Vosté, Dorsch.

83. *Ecclesiae* autem *documenta* luculenta exstant de inerrantia Scripturarum, etsi formalis definitio non est emissa. Attamen res ipsa in tam aperta professione Ecclesiae est, ut non opus sit definitione sollemni. Iam eo ipso quod Ecclesia sequitur et secuta est semper doctrinam et modum agendi Patrum, « quidquid in Scriptura habetur, est verbum Dei, omnia in Scriptura sunt inspirata », simul profitetur doctrinam de inerrantia. Eo porro quod Ecclesia Scripturam habet tamquam fontem certum traditionis et fundamentum fidei, sicut in concilio Tridentino declaratum est (*Ench. bibl.* n. 45, D 783), inerrantiam eiusdem pronuntiavit. Nam non potest Deum habere auctorem ss. librorum et eos proclamare fundamentum professionis fidei, quin ipsos veracissimos declaret. Unde Leo XIII expressis verbis docet: « tantum abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum summam Veritatem nullius omnino erroris auctorem esse » (*Ench. bibl.* n. 109, D 1951). Postea pergit: « Quare nihil admodum refert, Spiritum S. assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidquam falsi elabi potuisset » (l. c. n. 110, D 1952).

Eadem doctrina affirmatur in encyclicis « Pascendi » (*Ench. bibl.* n. 273, D 2102), « Spiritus Paraclitus » (*Ench. bibl.* nn. 464-469, D 2186 sqq.). Porro in propòsitionibus reprobatis decreti « Lamentabili » legimus hanc: 11. « Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat » (*Ench. bibl.* n. 195, D 2011). In *decreto* vero *de Parousia*, lato die 18 Iunii 1915, n. II, sermo est de « dogmate catholico de inspiratione et inerrantia sacrarum Scripturarum » (*Ench. bibl.* n. 433, D 2180). Ex his testimoniis elucet doctrinam de inerrantia absoluta S. Scripturae pertinere ad ipsa fundamenta fidei catholicae eamque implicite esse definitam, cum errores in Scriptura non possint componi cum iis, quae explicite definita sunt.

Art. 2. — De applicatione doctrinae de inerrantia

§ 1. De vario genere et indole litteraria

84. Quoniam constat de inerrantia S. Scripturae, inter catholicos quaestio esse non potest, num effatum aliquod libri inspirati sit verum necne, sed solum quomodo doctrina haec sit *applicanda* ad singulos libros et particularia dicta. Atque in hac applicatione fere consistit hodie controversia et disputatio in re biblica inter catholicos.

Varia ratione auctores difficultatibus sive veris sive apparentibus S. Scripturae occurrere et eius inerrantiam tueri conabantur. Secundum axioma fere receptum inter theologos: « Alia inest veritas in aliis S. Scripturae partibus », varios gradus veritatis distinxerunt. Veritatem *absolutam* et *relativam*, veritatem diversam *secundum indolem vel genus* librorum singulorum, loquebantur de *erroribus formalibus et materialibus*, priores negantes, posteriores admittentes. Distinguebant ea quae auctores sacri *docent* et ea quae *dicunt;* ea quae *sua faciunt*, et ea quae *non sua faciunt.* De aliquibus capite praecedente iam egimus (de citationibus, maxime tacitis).

De his quaestionibus tractaverunt L. Fonck, *Der Kampf um die Wahrheit der hl. Schrift seit 25 Jahren*, Innsbruck 1905; Pesch, *De inspiratione*, nn. 332-342, 346-371; *Supplementum* 1926; Höpfl, *De inspiratione, Caput V, De quaestione biblica*, 57-98.

De singulis pauca videamus, uberiorem expositionem inveniet lector in Hermeneutica.

85. 1. De vario genere litterario. — Primo loco placet tractare de quaestione fere fundamentali in nostra re. Quoniam diximus in aliis libris vel partibus librorum sacrorum aliam posse inveniri veritatem, videndum est, quomodo hoc intellegere oporteat. Aliam esse indolem librorum historicorum, aliam poëticorum, ab omnibus admittitur. Agitur proinde in libris sacris diiudicandis et veritatis gradu et modo investigando de indole eorum litteraria definienda. Res notissima sane, sed recentiore tempore

multum agitata et maxime ad S. Scripturam applicata. Quae a pluribus auctoribus de hac materia enuntiata sunt, a FR. DE DE HUMMELAUER S. I. collecta et digesta sunt (*Exegetisches zur Inspirationsfrage*, Freiburg, 1904) (1).

Genera vero *litteraria* in S. Scriptura hac ratione distinguuntur: historicum, didacticum, poëticum. Singula autem varias species induere possunt.

Genus *historicum*, quod sensu stricto historicum est, historicam veritatem in omnibus intendit et prosequitur. Ab hoc distinguitur genus magis *liberum*, in quo res historicae cum aliqua libertate tractantur, res delectationis vel aedificationis gratia exornantur maiori vel minori cum libertate, ea fere ratione, qua recentiores solent narrationes historicas romanenses componere. Huc referri potest *Midrasch haggadicum* a Iudaeis posterioribus excultum, in quo narrationes S. Scripturae libero modo exponuntur. In eorum numero aliqui posuerunt libros Paralipomenon, libros Tobiae, Iudith, Esther, Ruth, 2 Machabaeorum.

Minorem etiam gradum veritatis historicae attribuere oportet libris illis, qui solas *traditiones populares* continent, fundamento historico non destitutas quidem, sed adeo deformatas, ut historica veritas iam non investigari possit.

Tandem narrationem mythicam quoque, vel fabulas vel etiam parabolas et allegorias distinguunt.

---

(1) P. DE HUMMELAUER mentem suam in Praefatione libelli sui his verbis explicat: Se collegisse quae ab aliis antea proposita et disputata erant, ut hae quaestiones novae discussioni subicerentur et ultimae solutioni maturescerent. Praeterea auctor negat se ullo modo velle propugnare rationalismum biblicum (VI sq.). Ipse certo has sententias non primus enuntiavit.

De veritate historica narrationis biblicae auctor hoc principium statuit: Retinenda est generalis conformitas cum factis, modus vero loquendi est liberior. Narratio ipsa generatim est historice stricte vera. Etiam in permultis rebus singularibus de plena veritate historica omnino constat. In omnibus scilicet quae internam relationem cum doctrina fidei et morum habent. Una vero ex gravissimis veritatibus fidei sine dubio est ea de Dei providentia erga populum suum. Omnia autem fere facta sacrae historiae cum una hac veritate religiosa intime nectuntur (« Wie vieles in der heiligen Geschichte steht aber mit dieser einen Wahrheit in Zusammenhang! Im grossen ganzen alles », 19 sq.). Ex qua auctoris declaratione patet, secundum ipsum non esse locum maioris libertatis in libris historicis. Sed concedimus, applicationem aliquando ab eo fieri minus felicem. Neque approbandum esset principium, sola ea stricte historica esse, quae cum rebus fidei et morum habent internam conexionem.

Si agitur de *genere poëtico*, habetur genus *didacticum*, quod apud orientales fere semper aliquomodo poëticum est; genus stricte *poëticum*, lyricum, dramaticum, historicum, quatenus facta historica modo poëtico describuntur et decantantur.

Ad haec autem genera litteraria omnia alia fere reduci possunt.

86. 2. Sed iam quaeritur de his distinctionibus *applicandis* ad S. Scripturam; in quo duo examinanda occurrunt: *a*) Alterum est, quid de possibilitate applicationis ad ss. libros? Respondemus, haec genera in se spectata nihil continere, quod Deum aut auctorem inspiratum dedeceat. Finis didacticus etiam per librum poëticum attingi potest, neque excludenda est necessario narratio historica libera vel omnino conficta, cum parabolae aut allegoriae in ss. libris sint receptissimae. Ergo nisi *aliunde* ex fine vel modo narrandi et scribendi aliquid *inhonesti* aut *ludicri* accedit, a priori nullum ex his generibus excludere oportet.

87. *b*) Alia autem quaestio est, num revera haec principia applicari possint *ad libros nostros sacros*. Id quod aliqui ex scriptoribus recentioribus facere facilius conati sunt, ut iam indicavimus.

Ecclesia pluries ultimis temporibus suam mentem de hac re manifestavit. Anno 1905 editum est decretum Commissionis biblicae de libris specie tenus historicis (*Ench. bibl.* n. 154, D 1980), num libri, qui pro historicis habentur, sive totaliter, sive ex parte, non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrent. In responso Commissionis haec ratio explicandi non approbatur, nisi in casu, *non facile nec temere admittendo*, in quo salvo Ecclesiae iudicio solidis argumentis probatur, hagiographum noluisse veram et proprie dictam historiam tradere. Ratio huius responsi facile intellegitur. Similis decisio habetur in *decreto* de tribus prioribus capitibus Geneseos, in quo negatur varia systemata exegetica, quae ad excludendum sensum litteralem historicum excogitata sunt, solido fundamento fulciri. Et fit applicatio ad singula quaedam (*Ench. bibl.* n. 332 sqq., D 2121 sqq; cf. Fernandez, *Hermeneutica* nn. 126, 132). Neque magis favent eiusmodi co-

naminibus verba Benedicti XV in encyclica « Spiritus Paraclitus », qui carpit eos, qui genera quaedam litterarum in libris sacris inveniri contendunt, quibuscum integra ac perfecta verbi divini veritas componi nequeat (*Ench. bibl.* n. 474, D 2188). De hac quaestione Fernandez, *Hermeneutica*, nn. 107-111, 126-135).

88. Eadem quaestio tangitur et eodem sensu resolvitur in aliquibus decisionibus *de quarto Evangelio*, cuius historicam indolem etiam aliqui ex catholicis magna ex parte negabant. *Commissio biblica* anno 1907 negavit, dici posse « facta narrata in quarto Evangelio esse totaliter vel ex parte conficta ad hoc ut essent allegoriae vel symbola doctrinalia, sermones vero Domini non proprie et vere esse ipsius Domini sermones, sed compositiones theologicas scriptoris, licet in ore Domini positas » (*Ench. bibl.* n. 182, D 2112). Et eodem anno in *decreto* « Lamentabili » legimus tres propositiones reprobatas, quae idem Evangelium spectant: 16. « Narrationes Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones in eius Evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis, historica veritate destitutae. 17. Quartum Evangelium miracula exaggeravit non tantum, ut extraordinaria magis apparerent, sed etiam ut aptiora fierent ad significandum opus et gloriam Verbi Incarnati. 18. Ioannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo; re tamen vera non est nisi eximius testis vitae christianae, seu vitae Christi in Ecclesia, exeunte primo saeculo » (*Ench. bibl.* n. 200-202, D 2016-18). Huc spectat verbum Benedicti XV in encyclica « Spiritus Paraclitus », quo commemoratur recentiorum assertum, in Evangeliis, maxime in quarto, Christi verba et gesta non integra atque immutata ad nos pervenisse, sed partim ab Evangelistis prodiisse, partim e narratione fidelium alterius aetatis esse congesta; ob eamque causam aquas e duobus fontibus manantes uno eodemque alveo sic hodie contineri, ut nulla iam certa nota distingui inter se possint (*Ench. bibl.* n. 475, D 2188). Ex hoc exemplo elucet, quae sequelae ex liberiore applicatione variorum generum litterariorum exoriantur, et quomodo veritas historica multarum rerum necessario in dubium vocetur et permulta incerta reddantur.

§ 2. De principiis quibusdam interpretationis

89. Vidimus in S. Scriptura interpretanda, non temere nec sine solidis rationibus sensum obvium et litteralem relinquendum esse; nihilominus in interpretatione plura observanda sunt, ut sensum ab auctore intentum attingamus, ne contra mentem sacri auctoris aliquid statuamus aut postulemus, quod ipse praestare non intendit. Quare de quibusdem principiis tractabimus, quae ex ipsis sacris libris eruuntur. Plura hic examinanda occurrunt. Quid generatim de ratione scribendae et tradendae historiae, quid de modo loquendi, quid de particularibus quibusdam quaestionibus sit sentiendum.

90. 1. *De ratione scribendi generatim.* Fuerunt qui dicerent auctores sacros historiam concepisse et scripsisse more antiquorum modo imperfectiore, maxime admittendo incerta, res a vulgo traditas, hagiographos simpliciter traditiones retulisse eas nec approbando nec reprobando. Ex iis quae iam diximus patet haec sustineri non posse, cum non consistant cum veritate et inerrantia S. Scripturae. Attamen notare iuvat, quid ss. auctores, etiam si historica tradunt, intendant, quid non.

a) Sacri auctores non semper sequuntur *ordinem historicum* in rebus narrandis et ordinandis. Quod de Evangeliis synopticis certo constat, et alibi quoque ut probabile admittitur.

b) *Non omnia* scribunt, quae fortasse scribi potuerunt de aliqua materia. De hoc quoque ex Evangeliis certiores reddimur. Idem ostendi potest de libris historicis Veteris Testamenti. Proinde erraret, qui de his libris ita iudicaret, ac si omnia continerent. Fortasse auctor scripsit secundum determinatum finem et respectum. Hic igitur ab interprete inquirendus est, ut mentem auctoris assequamur.

c) In singulis factis scribendis saepe alii aliis *breviores* sunt, quod potissimum in Evangelio S. Matthaei observamus, ita ut ex ipso solo perfecta imago rerum saepe non habeatur.

91. In *sermonibus* aliorum etiam ipsius Christi referendis potius *sensum* quam ipsa *verba* curant. Omnino sane retinere opor-

tet. ss. auctores aliorum verba quoad sensum accurate tradere. Neque enim sequuntur in hoc morem scriptorum profanorum, qui in sermonibus fingendis solebant artem suam demonstrare. Tamen concedimus auctores inspiratos salvo sensu sermones aliorum liberius reddere, atque etiam locutionem et verba ad suam ipsorum indolem aliquomodo conformare. Quod tum eo facilius admittitur, cum agitur de versione in aliam linguam, ut e. g. in Evangeliis.

92. Quod *modum loquendi* attinet, eadem principia valent, ac in similibus locutionibus, quae in aliis scriptis aut in vita cotidiana usuveniunt. Si S. Lucas affirmat homines omnium nationum sub caelo Hierosolymis fuisse (Act. 2, 5), haec sensu latiore et vulgari sumenda esse manifestum est. Idem dic de verbis Apostoli Phil. 2, 21 « omnes quae sua sunt quaerunt », quae non absolute dicuntur, sed ex contextu ad Pauli adiutores restringuntur, qui actu cum ipso versantur. Prudentis interpretis erit ex adiunctis sensum determinare. Huc pertinent etiam *numeri*, qui aliquando aperte sunt symbolici, ut in Apocalypsi et alibi, aut rotundi et indeterminati. Saepius numeri videntur poni sensu, qui vocari potest *praecisivo*, ut sensus sit saltem decem vel triginta homines aut annos fuisse. Ita fortasse licet verba S. Lucae de Domini aetate (Luc. 3, 23) intellegere, scilicet Christum habuisse saltem 30 annos, id est illam aetatem, quae apud Iudaeos requirebatur ad magisterium exercendum (cf. U. Holzmeister, *Sensus exclusivus et praecisivus in S. Scriptura*, *Biblica* 7 [1926] 170-182).

93. 2. In libris non solum poëticis sed etiam in historicis saepissime *metaphorae* inveniuntur, quod genus dicendi orientalibus quam maxime est familiare. Haec in interpretatione et proinde etiam in diiudicanda veritate sententiarum perpendere oportet. Huius rei exemplum commemoratur in *decreto Commissionis biblicae* supra laudato de charactere historico trium priorum capitum Geneseos, in quo post statutum sensum litteralem et historicum textus in genere et aliquorum factorum in specie ulterius quaeritur: « Utrum omnia et singula, verba scilicet et phrases, quae in praedictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipienda sint

sensu proprio, ita ut ab eo discedere numquam liceat, etiam cum locutiones ipsae manifesto appareant improprie, seu metaphorice vel anthropomorphice usurpatae, et sensum proprium vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere? Resp. Negative » (*Ench. bibl.* n. 336, D 2125).

94. 3. Specialis quaestio movetur circa locutiones de *rebus naturalibus* in ss. libris. De his multum disputatum est pridem, sed principia interpretationis clare exponuntur in encyclica « Providentissimus »: « In consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura; quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadunt sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) « ea secutus est, quae sensibiliter apparent » seu quae Deus ipse homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more » (*Ench. bibl.* n. 106, D 1947). Idem affirmatur in decreto modo allegato, sacrum auctorem noluisse intimam rerum adspectabilium constitutionem ordinemque creationis completum scientifico more docere, sed potius suae genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo ferebat per ea tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, et propterea in horum interpretatione non adamussim semperque investiganda est scientifici sermonis proprietas » (*Ench. bibl.* n. 338, D 2127). Haec ratio interpretandi eo facilius applicari potest, quo magis usitatae sunt locutiones et quo magis genus dicendi accedit ad metaphoricum aut poëticum. De singulis cf. FERNANDEZ, *Hermen.* nn. 112-114.

95. 4. *De rebus historicis.* Cum iam ante encyclicam *Providentissimus* quaestio inter catholicos agitata esset, num in narranda historia libertas maior, errores materiales in ss. libris admitti possint, post encyclicam editam haec quaestio magis exarsit, quia fautores huius sententiae in verbis Pontificis confirmationem

suae sententiae se invenisse censebant. Prosequitur enim encyclica postquam de rebus naturalibus dixit, his verbis: « Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri » (*Ench. bibl.* n. 108, D 1949). Non pauci ex his verbis occasionem sumpserunt idem principium de sermone vulgari, de modo loquendi accommodato, non scientifico transferendi ad historiam. Proinde traditiones vulgares, legendas et similia secundum mentem ipsius Pontificis in ss. libris inveniri asserebant.

Alii vero hanc illationem legitime fieri negabant. Atque si tota encyclicae indoles et mens Summi Pontificis perpenditur, de hac re dubium esse non potest. Tota enim versatur in vindicanda veritate et auctoritate S. Scripturae. Admisso autem semel illo principio in historia narranda, plurima in ss. libris veritate erunt destituta, plurima omnino incerta. Deinde si contextus accuratius inspicitur, evidens est, Pontificem loqui antea et immediate postea de impugnationibus contra S. Scripturam et de iis refellendis. Unde excluditur interpretatio ab his auctoribus proposita. Tandem Benedictus XV hanc interpretationem reiecit simul notans essentialem differentiam inter res physicas et historicas. « Contendunt hagiographos, uti in physicis secundum ea, quae apparerent, locuti sint, ita eventa ignaros retulisse, prouti haec e communi vulgi sententia vel falsis aliorum testimoniis constare viderentur, neque fontes scientiae suae indicasse, neque aliorum enarrationes fecisse suas.

Rem in decessorem Nostrum plane iniuriosam et falsam plenamque erroris cur multis refellamus? Quae est enim rerum naturalium cum historia similitudo, quando physica in iis versantur, quae « sensibiliter apparent », ideoque cum phaenomenis concordare debent, cum contra lex historiae praecipua haec sit, scripta cum rebus gestis, uti gestae reapse sunt, congruere oportere? Recepta semel istorum opinione, quo pacto incolumis consistat veritas illa, ab omni falso immunis, narrationis sacrae, quam decessor Noster in toto Litterarum suarum contextu retinendam esse declarat? » (*Ench. bibl.* nn. 469-471, D 2187). Fernandez n. 117-122.

96. *De genere poëtico*, didactico, prophetico non est, cur pluribus hic loquamur, cum haec potius ad hermeneuticam spectent. Id

solum notamus, in his maiorem libertatem quoad compositionem, modum loquendi et describendi etiam res historicas permitti. Ceterum considerare oportet, quid in his libris fortasse historicae indolis sit, e. g. in libro Iob. In prophetis interpretandis descriptionis poëticae ratio quam maxime habenda est, tum in comminationibus tum in promissionibus messianicis.

Ab auctoribus etiam quaestio moveri solet, num in libris poëticis et didacticis etiam *pseudonymia* admitti possit. Hunc morem, attribuendi libros personis notis et fama conspicuis apud antiquos fuisse receptum notum est. Inter ss. libros hodie communi consensu Sapientia Salomonis tamquam pseudonymus habetur; Salomon ipse pluries in eo loquens introducitur (7, 1-8, 21; 9, 1-18). Fernandez n. 152-162.

97. Scholion. — 1. Cum antea dixerimus, in S. Scriptura haberi passim modum loquendi vulgarem et accommodatum de rebus naturalibus, quaeritur, num propterea dici possit, in ea inveniri *errores materiales* vel *propositiones falsae* de rebus physicis. Quatenus error materialis intellegitur propositio, quae abstrahendo a mente auctoris, prout verba sonant, erronea est, eo sensu potest sermo esse de materiali errore. Attamen non ideo dicendum est, Scripturam continere propositiones falsas, cum propositio ut talis sit assertio et includat iudicium. Hoc autem sensu non est concedendum esse falsitates, falsa iudicia in verbis auctorum sacrorum.

98. 2. In capite praecedente, ubi agebatur de citationibus sive explicitis sive implicitis, sermo erat de assertis quae sacer auctor sua facit vel non sua facit. Haec autem distinctio a recentioribus alio sensu adhibetur, quatenus scilicet auctor sacer quaedam solum aliquando *affirmet*, non vero *doceat*. Haec autem non esse vera, nisi etiam simul doceat quod asserit. Haec distinctio et applicatio ad libros ss. omnino reprobanda est, nam aliqua propositio est falsa, si affirmatio non est conformis cum ipsa re, nisi forte auctor ipse condicionem vel restrictionem apponit. Iam Leo XIII hanc distinctionem reiecit, qua tum admittebantur errores in rebus profanis, quas auctor inspiratus non docere intendat. Falso eos arbitrari dicit, « de sententiarum veritate cum agitur, non adeo exquirendum,

quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam dixerit » (*Ench. bibl.* n. 109, D 1950). Eadem leguntur apud Benedictum XV, qui reprehendit eos, qui res profanas quasi quandam externam divinae veritatis vestem considerant easque scriptoris imbecillitati relictas putant (*Spiritus Paraclitus*, *Ench. bibl.* n. 467, D 2186).

99. De difficultatibus, quae ex SS. Patrum verbis, S. Hieronymi potissimum, contra omnimodam inerrantiam S. Scripturae moventur, vix est cur dicamus, cum textibus accurate inspectis appareat, eos nulla ratione errores in ss. libris admittere (*In Ier.* 23, 15-17; *in Mt.* 14, 8; *Spiritus Paracl.*, *Ench. bibl.* n. 472 sq.). Idem dicendum de S. Ioanne Chrysostomo (e. g. *in Mt. hom* 1, 2-4) et aliis.

Caput V

De criteriis inspirationis

Art. 1. — Praemittenda

100. Postquam de natura et effectibus inspirationis tractavimus, illud restat examinandum, qua ratione libros inspiratos ut tales agnoscamus. Haec autem quaestio duplici modo moveri potest: aut inquiritur, qui libri in concreto habeant indolem inspirationis, aut quo modo discernantur libri inspirati a non inspiratis, aliis verbis quid sit *criterium* inspirationis. De hoc altero instituimus inquisitionem. Prius autem relinquimus examinandum sequenti tractatui de *historia canonis* librorum sacrorum.

101. *Criterium* hoc loco dicimus id, quo liber inspiratus a non inspirato certo dignoscitur. Potest esse *negativum*, quatenus ex eo cognoscitur, librum aliquem certo non esse inspiratum, v. g. si apertos errores continet, aut bonis moribus contrarius est, aut omnino ineptus vel ludicrus est. *Positivum* criterium habetur, si ex eo positive demonstrari potest, aliquem librum esse revera inspiratum. Criterium deinde potest distingui *internum* et *externum*. *Internum* illud est, quod desumitur ex indole libri inspirati

ipsius aut auctoris, aut ex interna aliqua experientia legentium. *Externum* criterium est illud, quod habetur in re vel facto ipsi libro inspirato externo. Utrumque hoc criterium potest esse positivum aut negativum.

102. Agimus potissimum de criterio *universali*, quod certo sufficit et ultimum tandem est. De aliis, quae praeterea afferri possunt, brevissime tantum loquemur. *Duae* autem *quaestiones* in hac investigatione distinguendae sunt. *Altera* est, unde primo innotescat, aliquem librum esse inspiratum, *altera* est, unde integer librorum inspiratorum canon aut libri alicuius inspiratio nobis innotescat. Altera quaestio cum priore cohaeret et eius solutio a priore pendet.

103. Auctores qui fusius de nostra quaestione scripserunt, sunt Pesch, *De inspiratione*, nn. 583-635; Franzelin, *De divina Traditione et Scriptura*, ed. 4, Caput II, 344-368; Crets, *De divina Bibliorum inspiratione*, Sectio prima 8-47; Zanecchia, *Divina inspiratio*, Caput III; Bainvel, *De Scriptura Sacra*, Caput IV; Dausch, *Die Schriftinspiration*, potissimum de criteriis, quae statuuntur a Protestantibus, pagg. 107-144; Dorsch, *De inspiratione*, ed. 2, pars I, Caput V, 213-246.

Art. 2. — De criteriis internis

§ 1. Quae sint et a quibus statuantur.

104. Criteria *interna*, ut diximus, varia esse possunt. Aut ex ipsis libris petuntur, aut ex hagiographis, haec sunt interna obiectiva; aut petuntur ex effectibus, interna experientia. Quae ex libris petuntur, possunt iterum diversimode considerari, in quantum librorum indoles probat divinam originem aut in quantum testimonium explicitum librorum respicitur. Haec omnia autem tamquam criteria statuuntur a protestantibus, qui plerumque criteria externa omnino aut saltem magna ex parte reiciunt.

In toto modo procedendi apparet difficultas vel potius impossibilitas demonstrationis verae et scientificae ex meris criteriis internis, quae tamen ex principiis protestantismi omnino postulanda est. Aliqui propterea confugiunt simul ad criteria externa. Iam videamus, quae sint in concreto haec criteria interna.

105. 1. Sacros libros ipsos testimonium suae inspirationis exhibere, erat ab orto protestantismo axioma universaliter proclamatum, ita ut omnia criteria externa reicerent. Hoc autem testimonium vario modo concipiebant. *Obiectivum* illud esse putabant, quatenus S. Scriptura Novi Testamenti inspirationem Veteris Testamenti et aliquorum librorum Novi Testamenti testetur. Pro omnibus libris Novi Testamenti non potest probari ex ipsa S. Scriptura sola, sed praeterea recurrendum est ad formationem canonis, ad historiam Ecclesiae et experientiam fidelium. Ita recentissime S. Goebel (*Die Inspiration der Bibel*, Allgem. Evang. Luther. Kirchenzeitung, 59 [1926] 893 sqq.). Hic iam plura criteria interna cum externo simul sumuntur.

2. Alio modo iam antiqui proclamaverunt testimonium Scripturae, quod ipsa sibi exhibeat. Scriptura est αὐτόπιστος, ut vox erat sollemnis saepe repetita. Sensus huius vocis est duplex: primo provocant ad Scripturae indolem obiectivam, ad doctrinae sublimitatem, maiestatem, pulchritudinem, harmoniam, quam verbis maxime celebrant, et propter quam non possit nisi Deum ipsum habere auctoren. Quod argumentum a multis iam ab initio fere proferebatur. Addunt aliqui miracula in sacris libris contenta vel etiam miracula in confirmationem religionis christianae patrata. Ergo argumenta externa quoque in adiutorium vocant. Immo etiam ad traditionem provocant. Sed haec argumenta secundaria esse volunt.

3. Cum criteriis obiective internis alia coniungunt aut aliquando illa praeferunt, quae mere *subiectiva* sunt: effectus salutares ex lectione Scripturae in corde hominis productos, gustum illum, gaudium, religiosam excitationem et profectum. Haec demonstrare Deum vere esse Scripturae auctorem. Ita orthodoxi Lutherani usque ad saeculum 18, e. g. I. Gerhardus, Quenstedt, etiam Calvinistae similia docent, Zwingliniani, Angli permulti, e. g. Whitaker.

4. Recentiores similes vias ingrediuntur, sed aliqui magis ad traditionem recurrunt, aut cum Kähler, Cremer, aliis charisma apostolicum, munus speciale docendi agnoscunt, quod hagiographi etiam in libris scribendis exercuerint. Quod argumentum apud plures recurrit et aliquomodo idem est ac apostolatus apud quosdam catholicos. Sic fere *R. Rothe*, qui directam inspirationem ss. librorum negat, solam inspirationem quandam illorum virorum admittens, qui Sancto Spiritu pleni in tota activitate sua, maxime vero in scribendis libris a Spiritu dirigebantur (*Studien und Kritiken* 33 [1860] 221-338). Similiter sentiunt Bleek, Dorner, alii.

5. Qui ex recentioribus retinent aliquam inspirationem, eius criteria potissimum inveniunt in ipsa Scriptura, sive quia sunt propheticae et se tamquam veras exhibent, sive quia ipsis praesto est testimonium Christi et Apostolorum, Gaussen, Rudelbach, Kliefoth, Vilmar,

6. Aliis magis redeunt ad effectus S. Scripturae, ut E. Haupt, qui docet, libros canonicos semper fuisse efficaces et sufficientes ad doctrinam religiosam fundandam et diiudicandam (*Die Bedeutung der Hl. Schrift für den evangelischen Christen*, Bielefeld 1891). Leipoldt vero asserit,

se Novum Testamentum agnoscere, quia scientifice ostendere possumus, in eo contineri doctrinam de Christo eximiam, historice certam, et quia nobis persuasum est, in Novo Testamento Deum ad nos loqui (*Geschichte des neutestamentl. Kanons* I, 169, Leipzig 1907). Haec autem persuasio est ex fide, cuius veritas probari non potest, ut monet P. Ewald (*Der Kanon des Neuen Testaments*, Gr. Lichterfelde 1906).

Ex hoc conspectu elucet, quaedam elementa apud omnes fere inveniri, sed simul esse magnam varietatem opinionum. Plerique enim intellegunt, criteria interna sola non sufficere, ita ut aliqui etiam ad ipsam traditionem confugiant, a qua tantopere abhorrent. Sed cum ipsi hanc traditionem non ut authenticam et infallibilem agnoscant, patet ne hac quidem via certitudinem gigni posse.

§ 2. Quid criteria interna valeant.

106. Haec criteria in se esse insufficientia tum singula, tum simul sumpta facile demonstratur.

1. Criteria magis *obiectiva*, prout enumerantur, non sufficiunt.

a) Non sufficit testimonium *Scripturae ipsius*, cum non pro omnibus libris adsit, quod ab ipsis auctoribus conceditur. Maxime pro libris Novi Testamenti fere omnino deficit. Praeterea testimonium ipsorum auctorum per se non aptum est ad fidem gignendam, nisi aliunde constet, auctores hos esse testes idoneos huius facti supernaturalis.

b) *Miracula et prophetiae* in ss. libris tradita non ad omnes libros referuntur, neque facta sunt ad divinam originem librorum ipsorum demonstrandam, etiamsi concedi possit quaedam miracula facta esse ad divinam originem doctrinae aut ad missionem divinam alicuius legati probandam.

c) Si provocant ad inspirationem *apostolicam*, quam viri illi vi muneris habuerint et quae etiam ad libros scribendos data sit, quaeritur, quid de auctoribus Veteris Testamenti? Porro unde constat omnes illos auctores habuisse semper illam motionem divinam?

d) Criteria vero illa, quae petuntur ex *doctrina* et *librorum pulchritudine*, maiestate, efficacia aut antiquitate, non sufficiunt,

quia non omnes libri sunt eiusdem antiquitatis, neque ipsa antiquitas ullo modo considerari potest tamquam criterium aptum. Pulchritudo et maiestas certo non omnibus libris eadem ratione convenit. Sunt alii libri non inspirati, qui non videntur inferiores esse sub hoc respectu quibusdam libris inspiratis. Deinde hoc criterium est nimis subiectivum, cum alii aliter in hac re sentire possint et sentiant.

Efficacia vero ad fidem vel pios sensus fundandos neque omnibus libris eadem ratione convenit neque eadem est apud omnes homines, sed potissimum ab eorum subiectiva dispositione pendet.

2. Criteria magis vel exclusive *subiectiva* minus etiam sunt apta ad persuasionem indubiam creandam. Internus ille gustus, sapor, gaudium, compunctio et alia id generis sunt tam subiectiva, tam incerta, apud eosdem homines diverso tempore adeo varia, ut verum criterium nullo modo esse possint. Reformatores qui saepe ad suam ipsorum experientiam provocaverunt, sibi non constiterunt aut certo alios ad eandem experientiam provocantes reprobaverunt et damnaverunt. Historia teste hoc criterium quam maxime ineptum est et sequelas pessimas habuit.

Proinde quomodocumque rem consideramus, apparet nullum ex his criteriis ne omnia quidem collective spectata esse sufficientia.

Concedimus, admissa iam et probata aliunde inspiratione alicuius libri saepe haberi argumenta et indicia plura interna, quibus divina origo vel doctrinae veritas magnopere commendetur. Non raro lectio producit fructus optimos. Sed haec omnia habentur aliquando etiam in libris non inspiratis.

Art. 3. — De apostolatu et prophetia ut criterio

107. Antea diximus ab aliquibus acatholicis munus apostolicum declaratum esse criterium inspirationis, quatenus Spiritus Sanctus Apostolos non solum ad praedicandum sed etiam ad scribendum idoneos reddiderit et eos ut instrumenta elegerit. Similem deinde sententiam etiam de prophetis statuerunt relate ad libros Veteris Testamenti. Protestantes qui talem sententiam propugnabant, ex parte apostolatum tam stricto sensu intellegebant, ut Evangelia secundum Marcum et Lucam ab inspiratione exclu-

derent, ita J. D. MICHAELIS (*Einleitung in die göttlichen Schriften des Neuen Bundes*, 1788). Haec sententia sed alio modo concepta et restricta etiam inter catholicos quosdam asseclas habuit, ex quorum numero sunt UBALDI et P. SCHANZ (*Theol. Quartalschrift* 67 [1885] 666-670; 85 [1903] 358-364). Alii in modo loquendi ad hanc opinionem accedunt, quamvis eam non omnino suam faciant. SCHANZ apostolatum non restringit ad duodecim, sed sensu latiore sumit, alii strictiore sensu intellegunt terminum et Evangelia secundum Marcum et Lucam inspirata dicunt, quatenus auctores eorum doctrinam Apostolorum fideliter reddiderint.

Argumentum primarium huius sententiae hoc est: Apostoli habuerunt Spiritum Sanctum ad munus suum recte exsequendum. Ad hoc autem munus ex providentia divina pertinebat etiam munus docendi per libros. Ergo etiam in libris scribendis agebant sub influxu Spiritus Sancti.

108. Haec sententia tamen sustineri non potest. Nam *primo* non solis Apostolis concessum est charisma inspirationis, sed aliis quoque. Et si retinetur vera inspirationis notio, eo quod aliquis fideliter et infallibiliter doctrinam apostolicam conscripserit, nondum potest dici auctor inspiratus. Neque etiam apostolus qui habet Spiritum Sanctum, etsi aliquam motionem et assistentiam in scribendo habet, fit hagiographus sensu stricto.

Porro si apostolatus et assistentia Spiritus Sancti esset criterium inspirationis, apostoli quandocumque scribebant essent dicendi inspirati, quod sane non est affirmandum, vel saltem gratis asseritur. Si quis autem affirmaret, ab ipsis apostolis dependisse, quando vellent uti munere et charismate inspirationis, affirmaret rem omnino novam nec ulla ratione approbandam, in ipsius hominis scilicet potestate esse se ipsum excitare ad usum talis charismatis.

109. Defensores huius sententiae provocant ad dicta quaedam SS. PATRUM, quibus aliquando ita argumentantur: liber aliquis ab apostolo conscriptus est, ergo est canonicus et inspiratus. Sed ne haec ratio quidem est simpliciter efficax, cum pluries in talibus locutionibus tantum habeatur argumentum ad hominem, vel verba intelligenda sint ex suppositione, aliquam epistulam prae se ferre inscriptionem Paulinam. Praeterea argumentatio saepius sensu negativo adhibetur: nisi constat de aposto-

lica origine alicuius libri, qui apostoli nomen prae se fert, non asserenda est eius inspiratio.

De uno vel altero loco apud S. HIERONYMUM vel AUGUSTINUM dubitari potest, e. g. de asserto S. Augustini ad Hieronymum (*ep.* 82, 7). Sed ne hic textus quidem, si in contextu examinatur, rem evincit (1).

Ceterum concedimus, apostolatum sensu latiore posse dici criterium negativum inspirationis librorum Novi Testamenti, quia post tempus apostolicum charisma inspirationis cessavit.

Quod de apostolatu dictum est, eadem ratione valet de *prophetia* ut criterio inspirationis. Praeterea plures libri Veteris Testamenti nulla ratione propheticis adscribi possunt, auctores quoque non pauci nobis prorsus sunt ignoti.

ART. 4. — Verum et sufficiens criterium inspirationis

110. Ut antea monuimus, duae quaestiones hic considerationi se offerunt, quas inter se cohaerere diximus. *Prior* est, unde factum inspirationis alicuius determinati libri primo innotescat? *Altera*, quomodo fideles certitudinem acquirant sive de singulis libris sive de canone librorum inspiratorum. Haec altera quaestio supponit priorem, id est de facto inspirationis singulorum librorum solutam. Unde primo de hac quaestione agemus.

§ 1. UNDE PRIMO CONSTET DE INSPIRATIONE ALICUIUS LIBRI.

111. Cum inspiratio sit *factum* aliquod, eget testimonio positivo. Hoc autem testimonium positivum non potest esse aliud nisi *revelatio* divina.

---

(1) Si S. HIERONYMUS dicit, epistulam ad Philemonem numquam a cunctis ecclesiis receptam fuisse, nisi apostoli Pauli crederetur (*in Philem. prol.*), patet, his quaestionem nostram non tangi, cum agatur de epistula, quae secundum inscriptionem et totam indolem vult esse Paulina.

S. AUGUSTINUS loquens de apocryphis dicit, si illa essent revera apostolorum, recepta essent ab Ecclesia (*Contra advers. legis et prophetarum* I, 20, 39, PL 42, 626). Ex his autem verbis nondum sequitur auctoritas canonica librorum sed tantum historica eorum fides et doctrinae veritas.

In epistula autem ad Hieronymum, in qua agitur de illa controversia inter utrumque doctorem de Gal. 2, 11, AUGUSTINUS haec habet: « Hoc ad quaestionem, quam suscepi, maxime pertinet, ut veritas divinarum Scripturarum ad nostram fidem aedificandam memoriae commendata non a quibuslibet, sed ab ipsis apostolis ac per hoc in auctoritatis culmen recepta, ex omni parte verax atque indubitanda persistat ». Sensus horum verborum aperte hic est: Si libri sacri per apostolos nobis commendati sunt, eo ipso in auctoritatis culmen sunt recepti et verissimi. Nihil de apostolicitate ut criterio inspirationis.

Nam secundum ea, quae in praecedentibus exposuimus, ex ipso libro inspirato (inspiratione *terminative sumpta*) non potest haberi criterium sufficiens. Sed ne inspiratio *passive sumpta* quidem aptum est criterium, cum actio divina ex doctrina communi theologorum non necessario ab hagiographo percipiatur. Deinde etsi hic testimonium suae inspirationis reddere posset, hoc testimonium per se nondum esset criterium sufficiens et efficax pro aliis.

Inspiratio autem quatenus est *actio Dei* in se spectata, abstrahendo ab eius effectibus nobis est plane impervia.

Tandem *persona* vel *munus* hagiographi per se non potest esse criterium inspirationis, ut demonstratum est.

112. Unde nihil aliud remanet nisi explicitum *testimonium divinum* per locutionem, id est per veram *revelationem*. Haec autem revelatio talis esse debet, ut certis criteriis demonstretur, qualia in tractatu de revelatione divina statuuntur. Agitur enim ex supposito de libris, qui ut sacri et inspirati suscipiendi sunt, cum sint fundamentum doctrinae revelatae. Ergo non ad libitum accipi vel reici possunt, sed ab omnibus fidem postulant. Igitur non quaelibet revelatio sufficit, sed talis, quae apud omnes fidem meretur. Cum autem revelatio publica morte apostolorum absoluta sit, haec quoque de libris inspiratis ante mortem apostolorum facta sit oportet.

§ 2. Quod sit criterium universale inspirationis.

113. Secundum ea quae modo exposuimus, constat inspirationem ultimatim non potuisse alio modo innotescere nisi per revelationem divinam, eamque ut certo demonstratam et publicam. Revelatio autem talis habetur et conservatur unice in traditione Ecclesiae catholicae. *Sacra traditio catholica* proinde est fidelibus, etiam theologo unicus fons certus, ex quo certa notitia facti inspirationis hauriatur.

114. Haec conclusio *confirmatur* ex modo agendi Ecclesiae et SS. Patrum. Hi enim semper, ab initio in quaestione de canone librorum sacrorum provocaverunt ad traditionem Apostolorum

et Ecclesiae. Sic S. Irenaeus, qui identidem docet, Scripturam ab Ecclesia discendam esse (*Adv. haer.* III, 4, 1; IV, 33, 8; 36, 2, 5; V, 20, 2). Notum est Origenis testimonium in epistula ad Iulium Africanum. Non minus explicita testimonia habentur apud S. Athanasium, S. Cyrillum Hieros., S. Augustinum, S. Hieronymum, Rufinum, apud theologos.

Potissimum autem haec doctrina confirmatur et demonstratur ex modo agendi Ecclesiae ipsius. Haec enim totiens in conciliis provincialibus et universalibus canonem librorum sacrorum statuit et sanxit, atque ita sanxit, ut poenam anathematis in eos enuntiaret, qui libros ab ipsa agnitos non amplecterentur. Ita a fine saeculi quarti plures definitiones canonis factae sunt, in *Africa* anno 393 (*Ench. bibl.* n. 11), 397 (D 92), 419 (*Ench. bibl.* 14), ab Innocentio I anno 405 (*Ench. bibl.* n. 16, D 96), a Gelasio exeunte saeculo quinto (*Ench. bibl.* n. 19, D 161). In decreto pro Iacobitis in concilio Florentino 1441 (*Ench. bibl.* n. 32, D 706); in concilio Tridentino anno 1546 (*Ench. bibl.* n. 43, D 784), tandem in concilio Vaticano (*Ench. bibl.* n. 62, D 1787). Ex quibus apparet Ecclesiam catholicam sibi adscribere in hac re gravissima absolutam auctoritatem; interponit ergo suam summam potestatem sibi a Christo concessam.

Atque revera Ecclesia catholica, quae declarat, sibi traditas esse Sacras Scripturas, tuetur et defendit in vindicanda inspiratione S. Scripturae donum excellentissimum a Deo optimo generi humano concessum. Spiritus Sanctus autem, qui sua luce illustravit mentes hagiographorum, Ecclesiae semper adstitit assistetque, ut in libris sacris custodiendis, defendendis, exponendis thesaurum hunc divinum fidelibus conservet et adaperiat et divinae bonitatis dona et divitias dispendat.

LIBER II

DE CANONE

auctore JOHANNE RUWET S. I.

1. Quisquis ad studium s. librorum accedere vult, illud primum omnium cognoscat, illud quaerat necesse est, *quinam* sint libri speciali hac praerogativa divinae originis atque auctoritatis donati. Hoc item in qualibet disciplina rectus ordo postulat, ut ante omnia adamussim definiatur subiectum circa quod versatur; idque eo magis praestandum in re nostra, quoniam hic agitur non tantum de disciplinae nostrae subiecto sed de ipsius etiam fidei fundamentis. Hanc autem gravissimam quaestionem versat ac solvit tractatus *de Canone s. Scripturarum;* quem ita instituemus, ut primo quaedam necessaria cognitu praemittamus de ipsa voce et conceptu canonis ac de criterio canonicitatis, deinde in duabus distinctis partibus agamus de Veteri et de Novo Testamento; et ex ipsa canonis historia, quoniam agitur de re positiva, petemus argumenta quibus pateat, quinam libri habendi sint ut sacri et a Deo inspirati.

PRAENOTANDA

CAPUT I

De voce et conceptu canonis

2. Canon (κανών) vi vocis primaria *regulam* dicit, sensu derivato significat *collectionem* (vel *catalogum*) *librorum inspiratorum* (1), illorum scilicet qui propter divinam suam auctoritatem « veri-

(1) Si documenta interrogantur, vox κανών et derivata vocabula, cum primum apparent de libris sacris usurpata (saec. IV in canone Laodiceno, S. ATHANASII *Ep. fest.* cet.), significant *collectionem* librorum sacrorum; videntur postea tantum, accedente sensu primitivo, significasse collectionem librorum illorum, prout sunt *regula veritatis.* Cf. VAN KASTEREN, *Le canon juif vers le commencement de notre ère,* in *Rev. bibl.* 1896, 409.

tatis regula » iure dici possunt (cfr. Iren., *Adv. haer.* 4, 35, 4; *PG* 7, 1089).

Ex derivatis adiectivis magis usurpata sunt: *canonicus* (κανονικός), de libro qui inter inspiratos recensetur, proinde qui *est in canone;* κανονιζόμενος, de libro qui *in canonem relatus est.* Alia quoque verba ad idem significandum usurpabantur, v. g. ἐνδιάθηκος et ἐνδιάθετος (Orig., *de Or.* 14; *PG* 11, 461; Euseb. *H. E.* 3, 3, 1; *PG* 20, 216), ἐκκλησιαζόμενος (Cyr. Hier., *Catech.* 15, 13; *PG* 33, 885), ἔγκριτος (S. Greg. Naz., *Carm.* 1, 12; *PG* 37, 472).

3. Praeterea, cum de quibusdam libris sacris, saltem per aliquod temporis spatium, praesertim ante medium saeculum quintum, dubitaverint plures, utrum necne inspirati essent atque in canone ad alios adiungendi, factum est ut de sacris libris verba usurparentur quibus significaretur, eorum inspirationem vel ab omnibus admitti, vel negari a nonnullis: qui ab omnibus ut inspirati habebantur, dicti sunt ὁμολογούμενοι, ii de quorum inspiratione disputabatur, ἀντιλεγόμενοι vel ἀμφιβαλλόμενοι vocati sunt (Euseb., *H. E.* 3, 25; *PG* 20, 268; Cyr. Hier., *Catech.* 4, 33; *PG* 33, 496).

Aliae duae voces a Sixto Senensi (*Bibliotheca sancta* 1, 1) videntur invectae, quibus distinguerentur libri qui semper ab omnibus agniti sunt ut inspirati, ab iis de quorum inspiratione, postquam nonnullae ecclesiae dubitaverunt, tandem in Ecclesia universa consensus factus est. Priores, quasi primi in canonem accepti, *protocanonici*, posteriores *deuterocanonici*, quasi postea in collectionem librorum sacrorum ingressi, dicuntur. His autem vocibus, si catholice usurpantur, nullum subest discrimen inter libros in ratione dignitatis vel auctoritatis (cf. infra n. **36**, 4).

4. Patet conceptum libri *canonici* eundem *non esse* ac conceptum *inspirati*, licet in concreto iidem sint libri canonici et inspirati. Nam inspiratus est liber quatenus a Deo procedens, canonicus quatenus Ecclesiae traditus ab ipsaque agnitus. Hinc libri singuli in ipsa prima scriptione inspirati erant, canonici evaserunt post tempus plus minusve longum, dum in Ecclesia (vel Synagoga) propagantur et publica auctoritate agnoscuntur. Res etiam clarius patet in deuterocanonicis. Cum enim Ecclesia libros illos in

canonem accepit, minime contulit illis dignitatem libri inspirati (Conc. Vatic., sess. 3, cap. 2.; DENZ.-B. 1787), verum illam ex dubia manifestam omnibus fecit.

5. LIBRI DEUTEROCANONICI V. T. sunt *Tobias*, *Iudith*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *Baruch*, duo libri *Machabaeorum*, fragmenta quaedam librorum *Esther* (in Vulg. 10, 4-16, 24) et *Daniel* (3, 24-90; 13; 14); N. T. sunt deuterocanonicae sex epistolae: *Hebr.*, *Iac.*, 2 *Pet.*, 2. 3 *Ioh.*, *Iudae*, quibus addenda est *Apocalypsis*.

Ab his deuterocanonicis proprie dictis, de quibus antiquitus, ob minus certam originem, disceptatum est, distinguendae sunt quaedam Evangeliorum partes, quae fere solum recenti tempore a pluribus criticis in dubium vocatae sunt ideo quod in quibusdam codicibus et versionibus desint. Eae sunt: Mc. 16, 9-20; Lc. 22, 43 s.; Ioh. 5, 3. 4; 7,53-8,11. Earum consideratio pertinet potius ad criticam textus; sed cf. n. **62** s.

Libris inspiratis et canonicis opponuntur illi, quos vocamus *apocryphos*. Hi sunt libri qui ob argumentum vel titulum aliquam cum divinis Scripturis similitudinem referunt; sed eos, utpote non inspiratos, Ecclesia recipere noluit (1). De his infra in Appendice fusius erit dicendum.

CAPUT II

De criterio canonicitatis

6. Libri sacri *ab Ecclesia* in canonem referuntur, aliis verbis, Ecclesia de librorum inspiratione vel charactere sacro iudicat, et postquam characterem illum agnovit, librum in canonem inscribit et sic inspirationem eius omnibus manifestat. Haec est doctrina Patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum. Quare iudicium de canonicitate alicuius libri tandem coincidit cum quaestione, num aut Christus Dominus aut Apostoli aut Ecclesia universalis postapostolica (ex traditione apostolica) aliquem librum ut inspiratum agnoverint.

1° *Ecclesiae solius est iudicare de librorum inspiratione.* Audiatur, v. g., ORIGENES dicens (*In Lc. hom.* 1; *PG* 13, 1803): « In his

(1) Deuterocanonicos V. T. libros Protestantes appellare consueverunt *apocryphos;* quos autem nos apocryphos dicimus, eos *pseudepigraphos* vocant.

omnibus nihil aliud probamus nisi quod Ecclesia, id est quattuor tantum Evangelia recipienda». Consonat TERTULLIANUS (*Adv. Marc.* 4, 5; *PL* 2, 366). S. AUGUSTINUS vero eo usque procedit ut dicat (*Contra ep. Manichaei* 5, 6; *PL* 42, 176): «Ego vero Evangeliis non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas».

2° *Criterium* autem quo dignoscitur, utrum necne aliquis liber sit inspiratus, est *traditio* eaque *apostolica.*

Clarissime S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS principium exprimit (*Catech.* 4, 35; *PG* 33, 497): «Nihil... cum apocryphis habeto commune. Eos solos [libros] meditare et versa quos etiam in Ecclesia cum certa fiducia legimus; multo prudentiores et religiosiores te erant *apostoli* et *veteres episcopi*, *Ecclesiae rectores*, qui *eos tradidere*».

Cf. CLEM. ALEX., *Strom.* 3, 13; *PG* 8, 1194; ORIGEN., *In Mt. Comm.* 1 ap. Eus., *H. E.* 6, 25; *PG* 20, 580; S. ATHAN., *Ep. fest.* 39; *PG* 26, 1176; SERAPION., ap. Eus., *H. E.*, 6, 12; *PG* 20, 546; TERT., *Adv. Marc.* 4, 5; *PL* 2, 366; S. IREN., *Adv. haer.* 3, 11, 9; *PG* 7, 890; RUFIN., *Comm. in Symb. Ap.* 36. 37; *PL* 21, 373; S. AUG., *De doctr. christ.* 2. 8. 12; *PL* 34, 40.

7. *Alia criteria* inspirationis, ac proinde canonicitatis, vel non sufficiunt, vel ad traditionem apostolicam, si recte intelliguntur, redeunt.

1. *Lectio* cuiusdam libri *in Ecclesia* «sub nomine divinarum Scripturarum» (1) (Conc. Carth. 397; DENZINGER-B. 92), vel «de gradu lectorum» ut ait S. AUGUSTINUS (*De praed. sanct.* 14, 27; *PL* 44, 980), vel ut loquitur fragmentum Muratorianum (lin. 78-80 «inter Prophetas... [vel] inter Apostolos», supponit traditionem in particulari Ecclesia exsistentem; cum autem Ecclesia particularis non sit infallibilis, eius traditio cum traditione aliarum, praesertim magnarum ecclesiarum ab Apostolis fundatarum (2) est comparanda. Quare quod alicubi apocryphus liber legitur ut Scriptura,

(1) Non loquor de simplici *lectione in Ecclesia*, ut loqui videtur TH. ZAHN, *Realenc. f. prot. Theol.*[3] 9, 771 (*Kanon des Neuen Testaments*). Non enim sufficit ut libellus vel epistula in Ecclesia legatur, etiam iubente episcopo, ut sequatur ea legi «sub nomine divinarum Scripturarum».

(2) Vide S. Aug. et Tert. locos citatos in n. praecedente.

hoc nullam facessit difficultatem, cum praeterea genuina traditio investiganda sit.

2. *Origo apostolica* favens libro cuidam indicat fontem et principium illius traditionis, sed per se sola non sufficit.

3. *Munus* vero *apostolicum* auctoris, quo criterio inspirationis Protestantes saepe a saec. XVI ad nostra usque tempora usi sunt, quoniam, si sensu exclusivo sumatur, traditioni contradicit, — ducit enim ad negandam inspirationem Evangeliorum Mc. et Lc. et Actuum — iam patet non esse aptum. Catholici quidam eo usi sunt saec. XVIII et XIX, sed sensu tantum positivo et ut criterio secundario; plures autem diligenter animadverterunt illud non esse universale (cf. v. gr. UB. UBALDI, *Introductio in S. Scripturam* 2, 1878, th. XLIV p. 79).

4. Quod contra paganos Apologetae priorum saeculorum, et contra Gnosticos S. Irenaeus, Tertullianus, multi alii ex *excellenti et consentienti doctrina* Prophetarum et scriptorum Novi Testamenti arguerunt (1), hoc eis necessarium fuit, quoniam in adiunctis ad Ecclesiae auctoritatem et iudicium vel minime vel aegre appellare poterant. Certo hoc criterium, si solum adhibetur, non sufficit, cum etiam libri non inspirati doctrina possit esse excellens, et necessario cum Prophetis et Novo Testamento congruat, modo orthodoxa sit.

5. *Criteria* autem inspirationis *a Protestantibus invecta:* testimonium Spiritus Sancti internum (Calvinus), concordia cum doctrina de iustificatione (Lutherus) nimis evidenter prorsus subiectiva ac proinde nulla sunt. Saec. XVIII Protestantes ad testimonium Ecclesiae priorum saeculorum appellaverunt, sed ut ad testimonium mere humanum. Nostra vero aetate cum plurimi inter eos inspirationem negent, iam nihil aliud fatentur se posse describere praeter externam factorum historiam.

---

(1) V. g. *Cohort. ad Graecos* 8; *PG* 6, 256 s.; IREN., *Adv. haer.* l. 4, c. 10, 1; c. 11, 1; c. 12, 3; *PG* 7, 1000. 1001. 1005; TERT., *Adv. Marc.* 3, 2. 5. 6; *PL* 2, 323. 326. 328; CLEM. ALEX., *Strom.* 2, 6; *PG* 8, 964.

PARS I

HISTORIA CANONIS VETERIS TESTAMENTI

Caput I.

De Canone V. T. apud Iudaeos

8. Catalogi librorum inspiratorum V. T. ante initium aevi Christiani in litteratura israelitica non inveniuntur, etsi clara testimonia adsunt exstitisse iam per longa tempora collectiones authenticas eorum librorum qui ut inspirati agnoscebantur et colebantur. Initio autem aevi Christiani inter Iudaeos duplex sese offert modus iudicandi de canone librorum sacrorum: alter, quem dicunt « Canonem Palaestinensium » quo agnoscuntur ii solum libri qui in editionibus hebraicis s. librorum continentur (protocanonici); alter, quem « Canonem Alexandrinum » vocare solent, qui continet etiam libros deuterocanonicos permixtos cum protocanonicis.

Quare prima hac sectione prius agendum videtur de collectionibus s. librorum factis ante tempora Christi; dein vero examinanda venit quaestio num iure distinguantur duo diversi canones Veteris Testamenti, et quomodo iudicandum sit de agnitione deuterocanonicorum.

Bibliographia: Uberem materiam tradunt tractatus editi in dictionariis *catholicis:* F. Vigouroux, *Canon des Écritures*, in *Dictionnaire de la Bible*, II, 134-184; E. Mangenot, *Canon des livres saints*, in *Dictionnaire de théol. cath.*, II, 1550-1605; id., *Canon catholique des Écritures saintes*, in *Dict. Apol. de la foi cath.*, I, 435-455. Praeterea cf. J. P. van Kasteren, *Le canon juif vers le commencement de notre ère*, in *Rev. Bibl.* 5 (1896) 408-415, 575-594; U. Fracassini, *L'ultimo stadio della canonizzazione dei due Testamenti*, in *Riv. storico-critica delle scienze teol.* 5 (1909) 425-446. 653-679. 848-859; = *Che cosa è la Bibbia*, Roma, 1910, p. 281-359.

Ex libris *non catholicis* nominandi sunt: G. Wildeboer, *Het ontstaan van den canon des Ouden Verbonds*[4], Groningen 1908; F. Buhl, *Kanon und Text des Alt. Test.*, 1891; H. E. Ryle, *The Canon of the O. T.*, London 1892; S. Davidson, *The Canon of the Bible*, its formation, history and fluctuation[3], London 1880; J. Fürst, *Der Kanon des A. T. nach den Ueberlieferun-*

gen in Talmud und Midrasch, Leipzig 1868; G. A. Marx (G. Dalman) *Traditio rabbinorum veterrima de ll. V. T. ordine atque origine*, Francoforte 1884 (iterum ibid. 1891); W. H. Green, *General Introd. to the O. T.: The Canon*, New York 1898 (germ. vers. ab O. Becker, Stuttgart 1906); E. König, *Kanon und Apokryphen*, Gütersloh 1917.

Documenta ad historiam canonis habes collecta ab A. Camerlynck, *Compendium Introd. Gener. in S. Scr.*, pars I, Brugis 1911, 56*-87*; *E. Preuschen, *Analecta 2: Zur Kanongeschichte*, Tübingen 1910.

Art. 1. — De collectionibus librorum sacrorum factis ante Christum natum

Pluribus Scripturae locis certum efficitur adfuisse apud Iudaeos librorum Veteris Testamenti collectiones.

9. Prima collectio. — 1° Deut. 31, 9-13. 24-26 legimus Moysen scripsisse *Legem* et eam, ut prope arcam servarent, sacerdotibus tradidisse. — 2° Iosue, postquam foedus populi cum Deo innovavit, quaedam praecepta ipse proposuit et Legi addidit; «scripsit omnia verba haec in volumine Legis Domini» (Ios. 24,26). — 3° Samuel quoque (1 Reg. 10, 25) «legem regni... scripsit in libro et reposuit coram Domino». — 4° Iosias rex (c. 622), cum in Templo repertum esset volumen Legis, renovat foedus cum Domino (4 Reg. 23, 1-3; 2 Par. 34, 29-32). — 5° Post exsilium (c. 444) Esdras (1) Legem praelegit populo qui iurat se eam observaturum (Neh. 8-10).

10. Scripta posteriora. — 1° De libris liturgicis aliisque novimus (Prov. 25, 1) saec. viii Ezechiam regem (c. 720) iussisse ut colligerentur *Parabolae Salomonis*, et (2 Par. 29, 30) eundem regem praecepisse ut in Templo uterentur Levitae canticis i. e. *Psalmis* David et Asaph.

2° In scriptis *iuniorum prophetarum* apparet notas esse priores antiquorum prophetias, nam ex iis verba et sententiae inveniuntur

(1) Quid sentiant critici rationalistae de opere Esdrae, et quid in hac quaestione tenendum, videas in speciali introductione ad Pentateuchum (volumine 2).

usurpatae (1). Saec. V itaque collecta erant et servata haec *prophetarum* scripta. Ceterum DANIEL (9, 2) dicit se « in libris » intellexisse « numerum annorum de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam prophetam ».

3° Tandem *a*) saec. V. legimus 2 Mac. 2, 13 NEHEMIAM construxisse bibliothecam et in ea congregavisse « libros de regibus, et prophetarum, et David, et epistolas regum de donariis » (2) et ib. 14 IUDAM MACHABAEUM (166-161) congregavisse quae per bellum deciderant. *b*) Saec. II IESUS filius Sirach (c. 200) illustrium V. T. virorum ita laudes dicit (cc. 44-50) ut appareat iam exsistere praeter *Legem* et *Prophetas*, saltem *Hagiographorum* partem (Ps., Prov., Esdr., Neh.; cf. 47, 11-12. 17-18; 49, 13-15) et (c. 132) nepos Iesu in Prologo ad Eccli. loquitur de *Lege*, *Prophetis*, *aliis libris* (3).

Ex his testimoniis nullum est dubium quin omni tempore cura fuerit apud Iudaeos servandi et colligendi scripta quae nunc in Veteri Testamento adsunt.

11. Habebanturne iam *ut sacri* illi libri dum sic colligebantur? De *Lege* hoc ab initio iure potest affirmari ac de scriptis, quaecumque sunt, de quibus agunt textus prolati ex Ios. et 1 Sam. (n. **9**, 2°. 3°). Sicut enim Moyses, ita et Iosue et Samuel *spiritu Dei* erant *repleti* (Deut. 34, 9) et *quae a Domino audiverant*, ea loquebantur et scribebant (1 Reg. 8, 9-10; 10, 25). Eodem modo certo intellegendi sunt Ecclesiastici prologus et partim 2 Mac. 2, 13 (n. **10**, 3°) (4); etenim 1 Mac. 12, 9 dicuntur Iudaei habere solatio *sanctos libros* qui sunt in manibus eorum. De *Prophetarum* scriptis (ibi, 2°) eadem interpretatio est admittenda; omnino probabilis est de *Psalmis* et *Proverbiis* (ibi, 1°).

---

(1) Cfr. v. gr. MICH. 4, 1-3 et IS. 2, 2-4; IER. 49, 7-22 et ABD. 1-9. Item cum psalmis IS. 12, 1-6; 26, 1-19; ION. 2, 3-10; HAB. 3, 2-19

(2) Sic recte in optimis codicibus Vulgatae, ut in Amiatino percelebri. Vulgo legitur « de regionibus » et additur « et » ante « de donariis ». Ultimis verbis documenta quaedam intelleguntur, quorum unum alterumve nunc legimus in libro Esdrae (6, 6-12, 7, 12-26), de donis a regibus Persarum templo vel cultui destinatis.

(3) Cfr. A. EBERHARTER, *Der Kanon des A. T. zur Zeit des Ben Sira* (*Alttest. Abhandl.* 3, 3), Münster 1912.

(4) Vide infra pag. 18 de hoc testimonio animadversiones.

Art. 2. — De Canone V. T. apud Iudaeos ineunte aevo Christiano

12. Variae sententiae circa definitionem canonis Iudaeorum. — Ut iam supra indicatur (n. 9), apud Iudaeos ineuntis aevi Christiani duplex invenitur sententia de ambitu et origine canonis V. T. Sententia quae solos libros protocanonicos agnoscit, patronum invocat Flavium Iosephum (*C. Ap.* 1, 8), secundum quem apud Iudaeos « duo dumtaxat et viginti sunt libri, totius temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini ». Nomina horum librorum Iosephus non dat, sed generatim indicat esse 5 libros Moysis, tredecim « prophetarum », « quattuor vero reliqui hymnos in Dei laudem et praecepta vitae hominum exhibent utilissima ». Hos omnes libros dicit esse conscriptos usque ad Artaxerxis tempora (i. e. usque ad tempus Esdrae qui sub Artaxerxe floruit). Quae post Artaxerxem scripta sunt, ea dicit nequaquam tantam fidem et auctoritatem mereri quantam superiores illos, propterea quod minus explorata fuit prophetarum successio. Non clare constat *quos* libros canon a Iosepho suppositus comprehenderit, sed saltem hoc videtur certum, eum non omnes libros deuterocanonicos agnovisse.

Alia enumeratio ex aetate paulo posteriore (saec. II et III) habetur in tractatu Baba Bathra Talm. bab. (14*b* – 15*a*) qua nominantur hi libri: Thora Moysis, Ios., Iud., Sam., Reg., Ier., Ez., Is., XII Proph., Ruth, Psalmi, Iob, Prov., Eccle., Cant., Dan., Esth., Esdr. (Neh.), Par. In hoc quoque catalogo origo librorum deducitur tantum usque ad tempora Esdrae sive Artaxerxis (1). Denique in libro apocrypho 4 Esdr. 14, 18-47, refertur Esdram scripsisse 94 (2) libros, ex quibus 24 ab omnibus legi possint, 70 autem fuerint reservandi. Videntur hi 24 esse iidem qui in editionibus hebraicis s. Scripturae inveniuntur, et fortasse coincidunt cum iis quos locus talmudicus nominat.

---

(1) Cf. Marx-Dalman, *Traditio rabb. veterrima* 60.

(2) Ita omnes versiones orientales; latini codices inter se variant; Vulg. habet 204.

13. Innixi his locis ELIAS LEVITA [† 1549] (1) et post ipsum plurimi interpretes per tria fere saecula defenderunt canonem librorum protocanonicorum *tempore Esdrae* ab ipso Esdra et sociis eius, viris « magnae synagogae » *absolutum* et *definitum* (« clausum ») esse. In ulteriore autem explicatione huius sententiae inter se dissentiunt. Alii (ut Protestantes orthodoxi) censent hoc canone semel clauso nullum amplius librum inspiratum esse conscriptum ideoque hunc canonem « Esdrinum » esse verum et unicum canonem librorum V. T.; alii hoc negantes concedunt in Palaestina quidem iam nullum additum esse librum sacrum, at praeterea factum esse inter Iudaeos Alexandrinos novum canonem, qui praeter hos 24 etiam deuterocanonicos comprehenderit. Sic canonem « Esdrino-Palaestinensem » opponunt « Alexandrino-Hellenistico » (2). Ratio ob quam asserunt hi auctores post Artaxerxem canonem iam non esse auctum, iam a Iosepho et post ipsum a Rabbinis in eo videtur poni, quod munus propheticum cessaverit (cf. 1 Macc. 4, 46; 14, 41). Prophetarum interventum autem putant fuisse necessarium, ut liber approbaretur ut inspiratus. Patet igitur cessante munere prophetarum defuisse instrumentum divinae approbationis.

14. De definitione canonis V. T. Esdrae adscripta. — Sententia affirmans canonem ab Esdra definitum et conclusum esse, si ita intellegitur, ut post Esdram iam *nullus liber inspiratus* sit ortus aut agnitus, nullo fundamento innititur et aperte contra facta pugnat. Nam:

a) Ut infra (n. **17**) ostendetur, saltem aliqui libri deuterocanonici ut inspirati et sacri agniti sunt etiam a Palaestinensibus, omnes autem ab Alexandrinis et ab Ecclesia. Certum igitur est post Esdram alios libros inspiratos esse ortos et agnitos.

b) Neque iure appellatur ad persuasionem posteriorum Iudaeorum. Constat enim ex historia ipsos Iudaeos saeculo 1 post Chr. dubitasse non solum de canonicitate librorum deuterocanonicorum,

---

(1) In 3ª Praef. libri *Massoreth hammassoreth*, Venetiis, 1538; ed. Ginsburg (London, 1867), p. 111.

(2) CORNELY, *Introductio* 1^2 (1894) 43-57; VIGOUROUX, *Dictionnaire de la Bible* 2, 141; *Manuel Biblique* 1^{12} (1906), 90-92 et 95-96; FELL, *Allgemeine Einleitung* (1906), 35; SEISENBERGER, *Einführung*[6] (1906), 224.

sed etiam de aliquibus protocanonicis. Secundum relationes Origenis, Hieronymi etc., videtur definitio canonis non fuisse opus nisi unius sectae Pharisaeorum, quacum non consentiebant Sadducaei neque Samaritani (1); immo ex Mišna (tract. Jadaiim 3, 5) scimus inter ipsos Pharisaeos dubia fuisse, num libri Eccle. et Cant. « inquinarent manus » (2); similia dubia referuntur de libris Ez. et Prov. (Talm. bab. Šabbath 30*b*; Chagiga 13*a*; Menachoth 45*a*). Aliqua talia dubia soluta esse dicuntur a synodo Iamniensi (c. 100 p. Ch.). Hinc patet nequaquam inter Iudaeos viguisse persuasionem, fuisse canonem definitive statutum et conclusum ab Esdra et « viris magnae synagogae » (3).

c) Prophetarum qui erant « doctores populi » (4), fuisse munus, ut etiam s. librorum indolem sacram confirmarent, sane est probabilior sententia; at non potest certo probari Deum non potuisse adhibere neque adhibuisse alia instrumenta ad hanc confirmationem dandam (5).

15. At neque *mitigatior sententia* quae Esdrae ascribit quidem definitionem et conclusionem canonis, ita tamen ut novi libri inspirati oriri et agnosci potuerint post ipsum (cf. n. **13**), solidis innititur argumentis. Eius argumenta praeter locos supra allatos ex Iosepho Flavio, Talmude, 4 Esdr., sunt fere haec: 2 Mac. 2,13 legitur de Nehemia, quomodo « construens bibliothecam congregavit libros de regibus et prophetarum et David et epistolas regum de donariis » (6). Ex hoc textu concludunt tempore Nehemiae iam fuisse fixum canonem protocanonicorum. Insuper invocatur auctoritas

(1) Cf. Schürer, *Gesch. des jüd. Volkes* 2^4, 480 ss.

(2) « Inquinare manus » dicebantur libri canonici, quia ut res sacrae hominem eos iniuste tangentem faciebant levitice immundum; alia expressio, quae probabiliter significabat « declarare non canonicum », erat « ganaz », i. e. occultare, mittere in « genizam » (sed cf. König, *Einleitung in d. A. T.*, 452 s.).

(3) A traditione iudaica cura pro sacris libris habenda ascribebatur « viris magnae synagogae » (cf. *Baba Bathra* l. c.).* A. Kuenen (*Ueber die Männer der grossen Synagoge*, in *Gesammelte Abh.*, 1894, 125 ss.) probare studuit tale collegium numquam exstitisse; tamen argumenta eius non convincunt, neque improbabile est Iudaeos habuisse speciale collegium, cui cura sacrorum librorum demandaretur.

(4) Cf. inter multos locos 3 Reg. 12, 22-24; 4 Reg. 21, 10-15; Is. 8, 19; 30, 1-5; Ier. 19, 2-13; 44, 1-14; Bar. 6 1.

(5) Cf. van Kasteren, *Studiën* 49 (1897) 371-375.

(6) Cfr. supra n. **10**.

aliquorum Patrum Ecclesiae qui Esdram sacros libros collegisse dicunt (1).

At haec argumenta rem non evincunt. Patres Ecclesiae videntur ea tantum retulisse quae a Iudaeis tradita esse dicebantur; unus alterve forsitan pendet a narratione 4 Esdr. Sed 4 Esdr., similiter ac Talmud, fabulis scatet neque meretur fidem. Praeter locum 2 Mac. 2, 13 omnia argumenta non referunt nisi sententiam quae vigebat post Christum, i. e. 5 vel 6 saeculis post Esdram. Textus vero 2 Mac. potius innuit contrarium: Nehemiam condidisse quidem bibliothecam sacrorum librorum; sed hanc bibliothecam, dum continebat libros in prima et secunda parte canonis contentos, ex tertia classe habuisse solum libros Davidicos et « epistulas regum de donariis » i. e. probabiliter documenta aliqua a Persarum regibus data in favorem Iudaeorum, quorum pars saltem exstat in Esdra (Esdr. 6, 6-12; 7, 12-26). In eodem autem contextu narratur quod Iudas quoque fecit collectionem; de cuius ambitu nihil dicitur, sed innuitur Iudaeos Alexandrinos nondum omnes s. libros habere et recipere eos ab ipsis Palaestinensibus, id quod non facile explicatur, si canon iam a tempore Esdrae clausus est.

Esdram, de restauranda communitate Iudaeorum tantopere meritum, etiam in ss. libris colligendis et debite servandis egregiam partem habuisse, sane negandum non est, etsi nullum huius rei explicitum habemus testimonium. Quae de Nehemia narrantur bibliothecam sacram condente, vix facta esse videntur sine adiutorio Esdrae, qui fuit « scriba velox in lege Moysi » (Esdr. 7, 25 s.). Et haec Esdrae de s. libris cura probabiliter est fundamentum earum narrationum quae in Talmude et in 4 Esdr. de eo habentur.

16. De ambitu canonis V. T. initio aevi christiani. — Libros protocanonicos, non obstantibus dubiis de quibus supra relatum est, tempore Christi universaliter ut sacros agnitos et adhibitos esse, extra controversiam est. Difficilior est quaestio de deuterocanonicis, qui quidem *a Iudaeis Hellenisticis* s. Scrip-

(1) Clem. Alex., *Strom.* 1, 22; *PG* 8, 893; Ir., *Adv. haer.* 3, 21; *PG.* 7, 949, Chrys., *Hom. in Hebr.* 8, 4; *PG* 63, 74; *Synopsis* pseudo-athan. 20; *PG* 28, 332; Isid., *Etymol.* VI, 3; *PL* 82, 235.

turam in versione Alexandrina legentibus, omnes agniti sunt. Quod in editionibus LXX miscentur libri protocanonici et deuterocanonici, clare ostendit nullam factam esse distinctionem dignitatis et auctoritatis.

Verum est nos nulla iam possidere exemplaria Bibliorum iudaica Alexandrinorum; at iure affirmamus codices graecos christianae aetatis locum tenere Bibliorum iudaicorum, quippe quae a Iudaeis mutuati sint Christiani.

Haec Alexandrinorum de canone auctoritas non potest eo infringi quod dicatur ex Philone apparere Alexandrinos plures gradus inspirationis distinxisse, ipsum autem Philonem non agnovisse nisi legem Moysis (1). Nam: 1° Etiamsi Philo sic senserit, non sequitur Alexandrinos communiter sic sensisse. 2° Philo plures gradus distinguit non inspirationis sed *revelationis* eosque reperit in ipsa Lege (2). Nunquam dixit solam Legem vere inspiratam; contra, licet Legem, quippe quam interpretetur, saepius recitet, alios tamen libros Scripturae aliquando affert, nonnunquam divinam illorum scriptorum originem affirmans (3). Ergo e Philone argumentum fieri nequit contra agnitionem deuterocanonicorum (4).

17. Si quaeritur num *a Palaestinensibus quoque Iudaeis* agniti sint aliquando libri deuterocanonici sive omnes sive plerique, ante oculos habenda sunt facta historica haec (5):

Baruch et *fragmenta* saltem *Danielis* videntur a Iudaeis Palaestinensibus in Biblia sua (hebraica) ac proinde in canonem admissi esse (6).

Etenim *Baruch* videtur cum libro Ieremiae coniunctus fuisse, nam Ier. capitum 29-41 et Baruch versio graeca ab eodem facta

---

(1) H. Strack, *Realenc. f. prot. Theol.*[3] 9, 754 haec habet: Alexandrini Sapientiam in omni iusto operari dicebant; quare nullo negotio ipsi libros novos vel libris partes novas addi posse censebant.

(2) *De vita Mos.* 2. 188-191 (3, 23); ed. Cohn-Wendland 4, 244.

(3) V. gr. *De Cherubim* 14; *De ebrietate* 36; *De agric.* 12. (ed. Cohn-Wendland 1, 182; 2, 197; 2, 105).

(4) Cf. van Kasteren, *Le canon juif vers le commencement de notre ère*, *Rev. bibl.* 5 (1896) 414 s.

(5) Cf. etiam B. Poertner, *Die Autorität der deut. Bücher*, Münster 1893.

(6) Haec est sententia Cornely, nisi quod ipse affirmat etiam fragmenta Esther in canone Palaestinensi adfuisse. *Introd.*, 1[2], 60.

est (1). Theodotionis versio Baruch continet: primi scriptores qui dicunt Baruch a Iudaeis esse reiectum, sunt S. Epiphanius et S. Hieronymus (2).

Fragmenta Danielis omnia certo in Theodotionis versione aderant; in versione Symmachi aderat probabiliter historia Susannae (3), de versione Aquila res minus clara est.

Fragmentis Esther et *libro 1 Mac.* utitur FLAVIUS IOSEPHUS dum professus est se non usurum nisi libris sacris (*Contr. Ap.* 1, 1; *Ant.* 10, 1, 4).

Ecclesiasticus et *Sapientia*, ait S. EPIPHANIUS (4), apud Iudaeos libri sunt de quibus disputatur. Ecclesiasticus saepissime recitatus est a scriptoribus Palaestinensibus, adiectis formulis quae solis textibus sacris praemittuntur (5).

Tobiae et *Iudith* libris Iudaei in suis Midrašim usi sunt (cf. R. MARTINI, *Pugio fidei*, Lipsiae 1687, p. 127; A. NEUBAUER, *The book of Tobit*, VII s.: *Biblica* 3 (1922) 194 s.).

18. Consideratis his factis non videtur sustineri posse sententia eorum qui censent, nullum unquam librum deuterocanonicum a Palaestinensibus agnitum et ut sacrum adhibitum esse (6).

Quodsi alii, in contrarium plane abeuntes, putant libros deuterocanonicos sive omnes sive plerosque in canone Palaestinensium exstitisse, sed post annum 70 a Iudaeis ex eo remotos esse (7), haec sententia videtur esse generalior nec satis rationem habere condicionis singulorum librorum, quae condicio diversa est. Fragmenta enim Danielis ab initio adfuerunt in ipso libro (cf. Introd.

---

(1) THACKERAY, *A Grammar of the O. T. in Greek* 12; *Journal of Theol. St.* 3 (1901/2), 261-266.

(2) Cfr. etiam EUS., *Hist. Eccl.* 6,25; *PG* 20, 580 s.

(3) A. BLUDAU, *Die alex. Uebersetz. d. B. Dan.*, Freiburg 1897, 159. 168 sq.

(4) *Adv. haer.*, h. 8 *PG* 41, 213.

(5) Locos collectos habes in opere *The original hebrew of a portion of Ecclesiasticus* ed. by A. E. COWLEY and AD. NEUBAUER (Oxford 1897) p. XIX-XXVIII et in *Jewish Quart. Rev.* 3 (1896), 682-706 (S. SCHECHTER).

(6) Sic MANGENOT, in D'ALÈS, *Dict. apol.*, art. *Canon*, 1, 441; idem in VACANT, *Dict. de Théol. cath.* art. *Canon*, 2, 1570-1573 videtur eidem sententiae adhaerere; GIGOT, *General Introduction*[4] (1900), 32; HÖPFL, *Introd. generalis*[2] (1926), 44-46.

(7) VIGOUROUX *Dict. de la Bible*, art. *Canon*, 2, 142; CORNELY-HAGEN, *Compendium*[8] (1914) 17-19, sequens VAN KASTEREN, *Rev. Bibl.* 5 (1896), 408-415 et 575-594; TELCH, *Introductio* (1908), 7-9; KAULEN-HOBERG, *Einleitung*[5] (1911), 28-29.

spec. in Dan.); liber Baruch certe eo tempore, quo facta est versio LXX, erat in canone; secus non fuisset facta translatio. Item tempore translationis LXX Iudaei utebantur libris Iudith et Tobiae. De his igitur libris nulla est solida ratio dubitandi.

Aliter fortasse iudicandum est de libris qui non multum ante tempora christiana orti sunt, ut Eccli., Sap., 2 Mac. De his enim, praesertim cum tempore Machabaeorum cessasset munus propheticum (1), admitti potest exstitisse adhuc dubia eosque ab aliis admissos esse, ab aliis non item; haec autem dubia demum soluta esse non a synagoga, sed ab ipso Christo Domino et Apostolis, qui eos inter sacros libros Ecclesiae summa sua auctoritate admiserunt. Atque ita factis historicis sufficienter satisfit.

Caput II.

De Canone V. T. apud Christianos

Art. 1. — Vetus Test. approbatum ab Apostolis

19. Collectionem quandam V. T. librorum exstitisse apud Iudaeos et auctoritate divina insignitam atque a Domino Nostro ipso eiusque Apostolis approbatam fuisse, nemo umquam dubitaverit.

Ad quaestionem, num illa collectio etiam *deuterocanonicos* libros complexa sit, ex solis N. T. scriptis responsio certa, saltem directe, dari nequit. Ratio est quod, etsi auctores sacri deuterocanonicos libros noverint, cum nunquam eos recitent praemissa formula « scriptum est », non apparet utrum eos ut inspiratos habuerint necne.

Responsio tamen datur affirmativa et minime dubia. Prima enim Biblia christiana vel ipsa fuerunt Alexandrinorum Bibliorum exemplaria vel ab iis fuerunt descripta. Fuit illud necesse; nam Gentiles omnes, immo ipsi Iudaei ad fidem conversi cum maiorem partem essent Hellenistae, ignorabant linguam hebraicam ac proinde graecis Bibliis utebantur. Haec autem continebant omnes

(1) Cf. 1 Mac. 9, 27; 14, 41.

libros deuterocanonicos (1). Apostoli vero, quorum officium erat depositum fidei custodire et Ecclesiis tradere, de libris quoque saeris veritatem necessario debuerunt exponere. Itaque si deuterocanonicos non habuissent ut inspiratos, Christianos monere debuerunt, et collectionem constituere librorum vere sacrorum, quos Ecclesiis traderent. Documenta vero, quaecumque possidemus, nihil habent de tali monitione. Contra, fere omnia affirmant *ex Apostolorum traditione acceptam esse collectionem completam omnium librorum V. T.*

In primis, cum in suis scriptis, quae N. T. constituunt, Apostoli non raro Vetus Test. citent e versione LXX interpretum (cf. lib. 2 n. **62**), hac ipsa agendi ratione facile inducebant fideles ad credendum, omnes libros in ea contentos esse sacros.

20. Contra hoc assertum non valent, quae aliqui Protestantes obiciunt, sc. Christum et Apostolos, quippe qui Palaestinenses fuerint, absque dubio « canonem Palaestinensem » suum fecisse et Ecclesiae tradidisse; consuetudinem autem legendi Scripturas in versione Alexandrina effecisse, ut fideles et pastores, primitivae traditionis brevi obliti, canonem Alexandrinorum sequerentur (2).

Nam: 1° Gratis supponunt hi auctores tempore Christi exstitisse et universaliter agnitum fuisse « canonem Palaestinensem », qui nullum librum deuterocanonicum contineret, id quod supra (n. **18**) negandum esse demonstravimus. 2° Ad quaestionem non tam facit, quisnam fuerit tum canon Iudaeorum in Palaestina (neque enim, ut S. Patres clarissime testantur (3), a Iudaeis discere debuit Ecclesia, quae sint genuinae Scripturae), sed qui libri et quis canon ab ipso Domino eiusque Apostolis Ecclesiae traditi fuerint; de qua re proximis capitibus agetur. 3° Denique non pauci auctores Protestantes recentiores ingenue fatentur canonem Alexandrinum fuisse Scripturam sacram Ecclesiae christianae inde a primis initiis (4).

---

(1) Vide pag. 18 n. **16**.

(2) Cf. v. gr. Strack, *Kanon des A. T.*, in *Realenc. f. prot. Theol.*[3] 9, 759.

(3) Cf. infra p. 24. 25 et supra n. **7**.

(4) Ita v. gr. Cornill, *Einleitung*[6] 227; Steuernagel, *Einl. in das A. Test.* 9[1]; E. Kautzsch, *Die Apokryphen und Pseudep. des A. T.* 1, XII.

Art. 2. — Controversiae de libris deuterocanonicis a saec. II ad V.

21. Cum nullum sit dubium, quin libri protocanonici omnes a Christo Domino et ab Apostolis ut inspirati admissi sint, quaestio agitur tantum de libris deuterocanonicis et de controversiis, quae primis saeculis circa eos in variis Ecclesiis habitae sunt.

Maioris perspicuitatis gratia praemittitur conspectus historicus harum controversiarum.

1° *Per duo fere saecula priora nullibi* in Ecclesia apparet dubium de auctoritate et inspiratione librorum deuterocanonicorum.

2° *In Oriente* vero, postquam *disputationes* coeptae sunt fieri *inter Christianos et Iudaeos*, cogebantur apologetae ut solis protocanonicis uterentur (1). Haec causa fuit cur *post medium saeculum II* quidam dubitarent de deuterocanonicorum auctoritate. Dubia sic exorta magis minusve in diversis regionibus invaluerunt; quorum primi testes sunt S. Melito Sardensis et Origenes.

3° *Saeculo III* accessit altera causa dubiorum, quod *apocryphi* libri plurimi falso auctoris nomine ut sacri vulgabantur. Inde maior quorumdam suspicio orta est erga deuterocanonicos de quibus iam dubitabant. Alexandrina Ecclesia dubia novit, sed non admisit. Hierosolymitana iis videtur affecta esse; Asia Minor et Cyprus potius in partes Alexandriae propenderunt. In Occidente autem hic illic quidam videntur Orientalium suspiciones novisse, nemo tamen revera dubitavit; solus S. Hieronymus, in Palaestina degens, suspectos habuit deuterocanonicos.

4° *Exeunte saeculo V* dubia evanuerunt; postea non est iam obscurata veritas nisi a paucis scriptoribus qui, praesertim in Occidente, S. Hieronymi auctoritate fidentes, de deuterocanonicis deterius senserunt.

22. Testimonia saec. II et III. — *In ecclesia Romana* S. Clemens P. (ante 100) libris Iudith et Sap. atque fragmentis Dan. certo (c. 3 fin. et 59), Tob. et Eccli. probabiliter (c. 6 et 61) usus est. Hermas (140-154) ex Eccli. saepe, aliquando ex 2 Mac. textus protulit (*Sim.* 5, 3, 8 et saepius; Mand. 1, 1). S. Hippolytus († 235) Dan. librum commentatus est, non exceptis cantico 3 puerorum et historia Susannae; testatur ergo se haec fragmenta ut inspirata habere. Praeterea Sap. textum ut prophetae vel Salomonis verba profert (*Dem. adv. Iud.* 9, 10; *PG* 10, 793); Baruch « Scripturam » vocat (*Adv. Noet.* 2; *PG* 10,

(1) Ita Iustinus explicite profitetur *C. Tryph.* 120. Vid. n. seq.

805); usus est Tob. et libris Mac. (*Comm. in Dan.*; *PG* 10, 661, 697 et 769).

In Gallia S. IRENAEUS († c. 189) capita 13 et 14 Dan. recitans tribuit ipsi prophetae (*Adv. haer.* 4, 5, 2 et 26, 3) et Bar. sub nomine Ieremiae profert (5, 35, 1); Sap. autem saepe utitur (4, 38, 3 etc.).

In Africa occidentali habentur praeclariora TERTULLIANI († post 225) et S. CYPRIANI († 258) testimonia. Prior ostendit se catholico uti *principio*, cum animadvertit se non a Iudaeis Scripturas accipere, quippe qui reiciant plura quae Christum sonant (*De cultu emin.* 1, 3; *PL* 1, 1308). Sapientiam Salomoni, Ieremiae Epistolam, ipsi prophetae attribuit (*De praescr.* 7; *Scorp.* 8; *PL* 2, 20. 137). usus est Iudith, fragmentis Dan. et 2 Mac. (*C. Marc.* 1, 7; *de idol.* 18, et *de cor. milit.* 4; *C. Iud.* 4; *PL* 2, 253; 1, 688; 2, 81. 606). S. CYPRIANUS praeter Iudith omnes libros deuterocanonicos clare inter Scripturas annumeravit; sufficit tres libros illos pervolvere quos ad Quirinium scripsit et *Ep. ad Fortunatum de exhort. martyrii*, ubi Scripturarum testimonia collegit (*PL* 4, 651-780).

23. *In Oriente* vero primorum scriptorum ecclesiasticorum opera propter brevitatem vel materiam non multa ex deuterocanonicis testimonia continent. Attamen S. POLYCARPUS (scr. post 107), cuius fidem ex discipulo, S. Irenaeo, conicere possumus, Tob. recitat (10; *PG* 5, 1014); *Doctrina* (Διδαχή) *Apostolorum* (4, 5) et *Epistola Barnabae* (19, 9) quae dicitur, Eccli. usae sunt (1). Saeculo II S. ATHENAGORAS (scr. c. 177) in *Legatione pro Christianis* (c. 9; *PG* 6, .908) textum Bar. ut ex prophetis excerptum affert.

In scriptis S. IUSTINI († 163-167) non invenitur nisi unum alterumve testimonium ex deuterocanonicis desumptum (in *Apol.* 1, 46, Dan. 3, 88; *PG* 6, 397 et in *Dial. c. Tryph.* 136, 2; 137, 3; Sap. 2, 12 prob.; *PG* 6, 789. 792). Nil tamen mirum, cum Iustinus vel ad Gentiles, imperatores Romanos, Apologias scripserit, vel, ubi cum Iudaeo Tryphone disputat, eum moneat: « de illis quae apud vos communi consensu admittuntur, controversiam instituam » (*C. Tryph.* 120; *PG* 6, 756). Non ergo bene legerunt Iustinum qui eum deuterocanonicorum inspirationi non favere dixerunt (2).

---

(1) Habentur inter *Patres Apostolicos*, de quibus infra p. 43, nota 1.

(2) V. gr. H. STRACK, in *Realenc. f. prot. Theol.*[3] 9, 759.

Contra, dicendum erat, a Iustino accusari Iudaeos (*C. Tryph.* 71; *PG* 6, 643), quod Scripturas Christo faventes ex graeca versione delevissent (1).

24. In *Alexandrina* Ecclesia CLEMENS († 215) praeter Iudith et fragmenta Esther, quae tamen satis ostendit se novisse (*Strom.* 4, 19; *PG* 8, 1328-1329); alios omnes deuterocanonicos Scripturas esse indubiis verbis asseverat (Eccli. *Paed.* 1, 8; Sap. *Strom.* 6, 11; Tob. *Strom.* 6, 12; Bar. *Paed.* 2, 3; Mac. et Dan. *Strom.* 1, 21; *PG* 8, 325; 9, 313; 9, 324; 8, 433; 8, 852). Ea vero quae deesse videantur eius testimonio, ex ORIGENE († 254) abundantissime supplentur. In scriptis suis vir eruditissimus saepius deuterocanonicos ut libros inspiratos adhibet (Sap. *c. Cels.* 3, 72; Eccli. *c. Cels.* 7, 12; Bar. *in Ier. hom.* 7, 3; Tob. *de or.* 14; Iudith *de or.* 13; Esth. *de or.* 14; Mac. *Exhort. ad mart.* 27 fin.; *PG* 11, 1014. 1437; 13, 333; 11, 461. 453. 596). Immo explicite (*in Num. hom.* 27, 1; *PG* 12, 780) inter divinos libros recenset Esther, Iudith, Tobiam et mandata Sapientiae. Probe novit Iudaeos non admittere inspirationem quorumdam librorum; at in *ep. ad Africanum* propugnat authentiam fragmentorum Danielis, et irridet eos qui ab illis Ecclesiae inimicis petere velint, quaenam sint genuinae Scripturae (*Ad Afr.* 4; *PG* 11, 57). In eadem epistola dicit (*Ad Afr.* 5; *PG* 11, 60) se Hexapla conscripsisse, non quod sibi videretur Iudaeorum auctoritati cedendum, sed « ut, cum Iudaeis disserentes, non proferamus ea quae in eorum exemplaribus desunt », ne scilicet irrideant eos qui credunt ex Gentibus « quia vera et quae apud ipsos exstant scripta ignorent ».

Addantur oportet S. GREGORIUS Thaumaturgus († 270), S. METHODIUS Olympi († 312), S. DIONYSIUS ALEX. († 265) et *Constitutionum Apostolicarum* partis antiquae auctor, qui, etiamsi non omnium deuterocanonicorum inspirationem affirmaverint (2),

(1) Utrum « Scripturas » libros an locos Scripturae dixerit, non est hic persequendum; manet verum ad mentem Iustini nequaquam a Iudaeis petendum esse, quaenam sint genuinae Scripturae.

(2) S. Gregorius Thaumat. citat Bar. (*De fide; PG* 10, 1133); S. Methodius dicit (*Conv. X Virg.* Or. 1, 4; *PG* 18, 44) in Sap. loqui Spiritum Sanctum et (ibid. 8, 3; *PG* 18, 143) Bar. sub nomine Ieremiae profert; S. Dionysius Alex. utitur Eccli., Bar., Tob. et Sap. (vid. *PG* 10, 1257. 1268. 1320; ed. SIMON DE MAGISTRIS, pag. 18.

tamen sua agendi ratione demonstraverunt se libris illis favere neque de ullo inter V. T. libros discrimine unquam locuti sunt (1).

25. Prima indicia dubiorum circa deuterocanonicorum inspirationem. — Post annum 231, Origenes (*De Or.* 14, 4; *PG* 11, 461) testis est Christianos iam plures de inspiratione quorumdam librorum V. T. dubitare. Haec enim habet: « Quoniam... locus ex Daniele citatus obelo notatus est, quod in hebraeo non exstat, librumque Tobiae reiciunt Iudaei quasi non canonicum, adducam ex 1 Reg. illud Annae ». Ad Ambrosium diaconum scribens, Origenes non putat satis esse, si ex duobus deuterocanonicis illis argumenta proferat; quod non intellegitur, nisi a Christianis ipsis, saltem a pluribus, haec argumenta invalida vel dubia habeantur.

Causa dubitationum videntur fuisse disputationes cum Iudaeis. Quoniam hi deuterocanonicorum auctoritatem negabant, iis libris Christiani iam doctrinam suam probare non poterant. Sic Iustinum vidimus egisse (v. supra n. **23**). Inde apud minus doctos exorta sunt dubia de inspiratione illorum scriptorum, quorum argumenta videbant ut infirma respui.

26. *Primi canones incompleti.* Dubitationes cum magis ac magis spargerentur, effecerunt ut iam in Ecclesia non omnes libri V. T. ab omnibus ut inspirati haberentur. Quoniam autem libri canonici ii sunt, quos Ecclesia agnoscit ut inspiratos, facile intellegitur, invalescentibus dubiis, obscuratam esse aliquatenus auctoritatem illorum librorum quos non omnes recipiebant. Inde factum est, ut iam non auderent in canonem annumerare libros, de quorum inspiratione non omnes consentirent.

Sic egit ipse Origenes cum, in *Comment. in Ps.* t. 1, Veteris Testamenti canonem tradidit incompletum (2). Suam sententiam explicat cum dicit (περὶ ἀρχῶν 4, 33; *PG* 11, 407) Sapientiam *Scrip-*

169. 245). In parte antiqua Constitutionum Apostolicarum Tob., Sap., Eccli., fragmenta Dan. citantur.

(1) His testimoniis ab adversariis opponitur nos non posse fidere scriptoribus primorum saeculorum, quippe qui non tantum deuterocanonicis, sed etiam apocryphis ut libris sacris uterentur. Huic obiectioni n. **28** respondetur.

(2) Apud Eusebium, *H. E.* 6, 25; *PG* 20, 580.

turam esse, non tamen canonicam quia « *non ab omnibus in auctoritate habetur* » (1).

S. Melito quoque, Sardensis episcopus, iam saeculo II (160-180) canonem incompletum scripsit, quem refert Eusebius (*H. E.* 4, 26; *PG* 20, 396). Onesimus episcopus Melitoni scripserat petens « accuratam V. T. librorum cognitionem relate ad eorum numerum et ordinem ». Melito autem videtur ipse incertus ea de re fuisse, nam respondit: « profectus in Orientem et usque ad illum locum ubi haec praedicata et gesta sunt, cum accurate V. T. libros didicerim, eorum tibi catalogum mitto ». Sequitur series protocanonicorum; omittitur autem Esther; cur omittatur, non patet.

Hoc canone Protestantes abusi sunt quasi veterrimo de fide Ecclesiae testimonio. Eusebius, qui prae manibus habebat totum opus Melitonis, e cuius praefatione excerptum hoc nobis servavit, sic interpretatur eius sententiam, ut dicat eum Onesimo canonem tradidisse Scripturarum V. T. *quae ab omnibus ut inspiratae recipiebantur* (τῶν ὁμολογουμένων τῆς παλαιᾶς διαθήκης γραφῶν). Huic iudicio assentimur; quod sic intellegendum censemus: iam diffusis intra Ecclesiam dubiis circa deuterocanonicos V. T., hi sunt libri quos illa aetate Christiani communi consensu ut inspiratos habebant (2). Nec miraberis, quomodo tam cito dubia oriri potuerint et in Asiam diffundi, si attendas hanc rerum condicionem tempore Origenis iam ita communem fuisse ut Hexaplis non parva ex parte occasionem dederit, litteras vero S. Melitonis in secunda parte saeculi II scriptas esse.

27. Testimonia saeculorum IV-V. — Patres et scriptores saec. IV et V absque dubio admittunt inspirationem deuterocanonicorum. Etenim illos libros citant, praemissis iis formulis (« Scriptum est » et similibus), quibus certum fit libros haberi ut inspi-

(1) Falso igitur Protestantes Origenis extollunt canonem ut obscurent eius *asserta clarissima* de inspiratione deuterocanonicorum. De canone Origenis cf. van Kasteren, *L'ancien Testament d'Origène*, in *Rev. Bibl.* 10 (1901) 413-423; A. Merk, *Bibl.* 6 (1925) 200-205.

(2) Aliam explicationem dat Cornely, *Introductio* I², 84-85, asserens Melitonem data opera voluisse exhibere canonem *Iudaeorum*, ut eo uteretur Onesimus in disputatione contra Iudaeos. Ideo eum in Palaestinam profectum esse. At haec explicatio non videtur satis solide probari.

ratos: immo quoniam Patres citant deuterocanonicos etiam ad probanda dogmata, certo illis tribuerunt prorsus eamdem auctoritatem ac protocanonicis.

Verum est quosdam, ut antea fecerant S. Melito et Origenes, canonem V. T. tradidisse incompletum (in quo desunt deuterocanonici); hi sunt in Oriente S. Athanasius, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Gregorius Nazianzenus et eius discipulus, S. Amphilochius, S. Hieronymus tandem et Rufinus, quibus adiungendus est in Occidente S. Hilarius (1). Sed iam nunc advertendum est, *neminem certo* et *semper* negavisse inspirationem deuterocanonicorum (2), omnes vero, etiam qui theoretice eos libros a canone excludant, practice tamen vix aliter eos citare et usurpare atque protocanonicos (3).

28. *Protestantium sententia.* Protestantes ipsi *concedunt* sententiam Patrum catholico dogmati favere, modo solae Scripturarum citationes considerentur. *Opponunt* autem 1° Patres in alleganda Scriptura consuetudini illius aetatis morem gessisse, neque tanta diligentia argumenta sua elegisse; 2° in catalogis vero seu canonibus librorum sacrorum, quos conscripserunt, eos suum iudicium et doctrinam exposuisse; *in his* ergo *catalogis quaerendam esse Patrum sententiam* (4).

At nullo negotio prima assertio falsa esse demonstratur. Quis enim unquam vel cogitare poterit Patres in dogmaticis et polemicis operibus nulla cura quibusvis argumentis usos esse, cum de re ageretur summi momenti, doctrina Christi ab Apostolis Ecclesiae tradita et ad salutem omnibus fidelibus credenda.

Urgebunt quidem obiectionem et dicent, assertum probare quod Patres non solos deuterocanonicos, sed et *apocryphos* ut inspiratos habuerint. Sed respondetur: 1° ex apocryphis citatis fere omnes

---

(1) Quidam canones anonymi in codicibus reperiuntur eatenus incompleti, quod errore aliquo fortuito omittunt libros aliquot etiam protocanonicos: v. gr. canon claromontanus (infra *Docum.* 2, p. 113.).

(2) Vide infra n. **31**, ubi dicetur, explicationibus additis, quaenam exceptio admittenda sit.

(3) De S. Hieronymo v. gr., cf. *Biblica* 1 (1920), 568.

(4) V. gr. W. Smith in *A Dictionary of the Bible*[2], 1, 505 not. 1. Multos catalogos librorum V. T. e codicibus, scriptoribus et documentis ecclesiasticis invenies apud Swete, *Introd. to the O. T. in Greek*, p. 203-214.

ab uno tantum alterove Patre tamquam Scriptura sunt prolati; 2° pauci a pluribus explicite ut inspirati habiti sunt, ut v. gr. 3 Esdr.; at hi certo *nunquam* in *omnibus* Ecclesiis et apud *omnes* ut inspirati agnoscebantur, et mox nemo eos citavit (1).

29. *Canones* vero *incompleti*, i. e. complectentes tantum 22 libros V. T., quos tradiderunt quidam Patres et scriptores saec. IV et V, non tales sunt quibus nixi Protestantes possint affirmare, Ecclesiae sententiam illa aetate contrariam fuisse deuterocanonicorum inspirationi.

Primum enim fere omnes explicite *Bar.* cum Ieremia coniungunt, et nominando *Dan.* et *Esth.* implicite libros completos intellegunt, adiectis partibus deuterocanonicis. Deinde, si quis mentem illorum scriptorum, nullo praeiudicio impeditus, quaesierit, inveniet: *a*) omnes eos esse testes traditionis ecclesiasticae deuterocanonicis faventis; *b*) fere omnes certo habuisse deuterocanonicos ut *inspiratos*, eos vero inter canonicos non scripsisse quia *tunc in Ecclesia de eorum inspiratione erat dissensus.*

Adde quod etiamsi non explicitis verbis, ut Origenes olim (2), catholicum principium exprimunt, *non a Iudaeis*, sed *ab Ecclesia* quaerendum esse, quaenam sint genuinae Scripturae, tamen implicite id asseverant; plures enim affirmant *a Patribus* acceptos esse libros S. Scripturae, *ab Ecclesia* discendum esse quinam sint (3).

30. *Scriptores graeci.* S. ATHANASIUS quidem absque dubio affirmat deuterocanonicorum inspirationem. Distinguit utique (in *Epist. fest.* 39) *canonicos* libros ab iis qui *legendi* sunt *cathechumenis*, sed duas illas classes opponit *apocryphis* (4), quos initio dixerat opponi *inspiratis* libris. Ceterum in operibus dogmaticis ad probandam catholicam doctrinam utitur deuterocanonicis (5).

---

(1) Vide quae de singulis apocryphis dicentur inferius, in Appendice.

(2) Cfr. supra n. **24** et n. **7**, 1°.

(3) S. ATHAN., *Ep. fest. 39*; *PG* 26, 1176; RUFIN., *In Symb. Apost.* 36. 37; *PL* 21, 373-374; S. CYR. HIER. *Catech.* 4, 33. 35; *PG* 33, 496-497.

(4) « Attamen cum isti *in canonem* sint *redacti*, hi *legantur*, nusquam *apocryphorum* mentio habetur ». *PG* 26, 1176.

(5) *Ep. 1 ad Serap.* 26; *PG* 26, 589; *Sap.* 1, 5; 12, 1. — *Ep. 3 ad Serap.* 4; *PG* 26, 632; *Sap.* 1, 7.

Si quaeras cur secundae classis distinxerit *libros* et *non* inter *canonicos* posuerit, suspicari possumus causam esse quam Origenes indicavit et postea etiam Synopsis pseudo-athanasiana (a S. Doctore certo dependens) assignat (1), quod *libri illi non ab omnibus habiti sint ut inspirati.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus catechumenos instruens, eos hortatur *ne quidquam apocryphorum legant* (2), eos *tantum 22 libros* meditentur, « quos » ait « in Ecclesia cum fiducia legimus », *quos « apostoli et veteres episcopi tradiderunt »*; « quaecumque in Ecclesiis non leguntur, ea neque privatim » legant. Videtur ergo negare inspirationem deuterocanonicorum, immo eos ab apocryphis non distinguere. Attamen novit S. Cyrillus quaedam scripta « *de quibus dubitatur* », quae proinde non sunt illa apocrypha haeretica, de quibus nemo dubitat, sed deuterocanonica. Quare, quaecumque fuerit eius sententia de inspiratione deuterocanonicorum (3), testis est alios eorum inspirationem admittere.

S. Epiphanius, Salaminae in Cypro episcopus, quater librorum sacrorum canonem recitavit (4), qualem Iudaei admittebant. Idem est secundum eum canon Ecclesiae. Hoc apparet eo quod 1° S. Epiphanius nullam umquam hac de re animadversionem facit; 2° in opere *Adv. haer.* 3, 1 *haer.* 76; *PG* 42, 561 s., distinguit inter Scripturas divinas tres series: 22 libros V. T., libros N. T., Sapientiae libros (*Sap.* et *Eccli.*). Interpretatio illius distinctionis alia esse non potest nisi quod 22 libri V. T. et libri N. T. sunt in Ecclesia canonici, alii tamen libri habentur ut inspirati. Hoc ultimum consonat omnino cum ratione agendi S. Epiphanii, qui in suis operibus *Sap.* et *Eccli.* ut Scripturam profert.

Dicit ipse S. Epiphanius Sap. et Eccli. non esse apud Iudaeos ab omnibus acceptos; aliunde scimus etiam apud Christianos ea non ab omnibus admitti. Videtur ergo canon S. Epiphanii, ut

(1) *PG* 28, 293.

(2) *Catech.* 4, 33. 35; *PG* 33, 496 s. 500 s.

(3) Cum S. Cyrillus *catechumenos* alloquatur, fieri potest ut *securiorem* sententiam hoc loco proponat, dum in aliis adiunctis dixisset aliam quoque sententiam esse probabilem.

(4) *De mens. et pond.* 4 et 33; *Adv. haer.* 1, 1 *haer.* 8, et 3, 1 *haer.* 76; *PG* 43, 244. 277; 41, 213; 42, 561 s.

aliorum scriptorum illius aetatis, esse *canon* τῶν ὁμολογουμένων, i. e. illorum librorum *quorum inspiratio ab omnibus admittitur.*

S. Gregorius Nazianzenus et S. Amphilochius eius discipulus, canonem eumdem tradiderunt 22 librorum V. T. S. Gregorius excludit Esth., S. Amphilochius monet apud quosdam librum illum canonicum esse (1). Ambo, eodem timore ducti quo episcopi Alexandriae et Hierosolymorum, monent fideles ne fidant omni libro, qui venditatur ut inspiratus, ipsi « *probatum* » (ἔγκριτον) canonem indicabunt. Hoc verbo supponitur *probari* ab episcopis libros sacros, et tantum postquam probati sint, in canonem admitti. Eo ipso iam sequitur probabiliter de quibusdam dubitari: quod ab Amphilochio clare exponitur. Sunt enim libri quidam « *medii et vicini*, ut ita dicam, *veritatis doctrinae* (2), alii autem *spurii et valde periculosi* ».

Cum S. Gregorius certo admittat inspirationem saltem Sapientiae, quam citat ad probanda dogmata, necesse est distinxerit inter canonicos et inspiratos libros. Ratio autem illius distinctionis non videtur alia esse posse praeter eam, quae apud Origenem, Synopsin pseudo-Athanasianam et S. Epiphanium repperimus (supra et n. **26**), nempe *canonicos esse libros illos, quorum inspiratio ab omnibus est admissa.*

Antiocheni scriptores quid tenuerint de hac re, difficilius expeditur, quia nullus ex ea schola traditus est canon seu catalogus s. librorum (3). Ex citationibus apud scriptores occurrentibus elucet, plures saltem libros deuterocanonicos in Ecclesia Antiochena habitos fuisse ut inspiratos. *Ecclesiasticus* praesertim apud omnes in magna ibi fuit auctoritate et usu, dum, quod mireris, *Machabaeorum* libri primum, quod certo affirmari possit, a Theodoreto († 458) uti divinae Scripturae afferuntur (4).

Singularem locum obtinet Theodorus Mopsuestenus († 428), qui non tantum plures libros deuterocanonicos, sed, teste Leontio Byzantino † 543), etiam aliquot protocanonicos, nempe Paral., Esdr., Nehem., Esther,)

---

(1) *Carm.* 1, 12; *PG* 37, 472. – *Carm. ad Seleucum* ap. Greg. Naz., *Carm.* 2, 8; *PG* 37, 1593 s.

(2) Ratio cur de illis « mediis » libris dubitet, videtur esse dubium de authentia. Vide quid dicat ibi S. Amphilochius de Ep. ad Hebr. et de Apoc.

(3) Ex ipsa *Synopsi V. et N. Test.*, quae Chrysostomo tribui solet (*PG* 56, 313-386) et antiochenae originis esse videtur, nil certi erui potest, cum nec integra nec pura sit edita, et criticae trutinae sit adhuc subicienda.

(4) Cfr. L. Dennefeld, *Der altt. Kanon der antioch. Schule* (Bibl. Stud. 14, 2), Freiburg i. B. 1909.

ex albo sacrarum Scripturarum expunxit (1), ac de Iob et Cant. ea sensit, quae vix cum eorum inspiratione componi possunt (2).

S. IOHANNES CHRYSOSTOMUS († 407) citat frequenter Eccl., Sap., Bar., additamenta Danielis; raro Tob., Esther, Paral. Cant., nunquam Iudith, Esdr., Nehem., Mac. Hinc tamen nondum certum fit Chrysostomum practice sententiae Mopsuesteni sese accommodasse (3), cum idem, certe fortuito, raro Iudices, nunquam Ruth citet, de quorum canonicitate nemo unquam dubitavit.

Itaque scriptores graeci qui canonem incompletum tradunt 1° admittunt tamen inspirationem deuterocanonicorum. Solius S. Cyrilli Hierosolymitani incerta est sententia (cf. p. 30); ipse tamen testis est alios favere deuterocanonicorum inspirationi; 2° *Ratio*, apud Origenem certa, apud alios valde probabilis, cur libros illos, licet inspiratos, *in canone non* inscribant, est *quia non ab omnibus habebantur ut inspirati.*

31. *Scriptores latini.* S. HILARIUS, postquam ab Origene canonem 22 librorum V. T. recitavit, addit: « Quibusdam visum est, additis Tobia et Iudith, 24 libros secundum numerum graecarum litterarum connumerare » (4). Haec verba contradicunt menti eorum omnium qui canonem 22 librorum tradunt et satis demonstrant S. Hilarium non negare inspirationem deuterocanonicorum. Ceterum Iudith, Sap., Eccli., Bar. ut Scripturam citat.

RUFINUS et S. HIERONYMUS in Palaestina prope Hierosolyma vixerunt, ubi Orientalium dubia cognoverunt. Uterque tradit canonem incompletum, modo tamen valde diverso.

Rufinus distinguit 22 libros canonicos et alios quos vocat « ecclesiasticos ». Priores libros « *Patres* intra canonem concluserunt », alios « *legi* quidem *in Ecclesia* voluerunt, *non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam* » (5). Tria hic sunt advertenda: 1° Rufinus, quoniam Patres orientales imitatur, implicite in canone admittit Bar. et fragmenta Dan. et Esth. (cfr. n. **29**). 2° Cum septuagintaviralem versionem dicat inspirata Biblia eo

(1) *PG* 86, 1363 sqq. Cfr. PIROT, *L'œuvre exégétique de Théod. de Mops.* Romae 1913, p. 121-153.

(2) MANSI, *Concil. amplissima collectio* 9.

(3) Quod affirmat CHR. BAUR, *Der Kanon des h. Joh. Chrysost.*, in *Theol. Quart.* 105 (1924), 258-277.

(4) *Prol. in Ps.* 15; *PL* 9, 241.

(5) *In Symb. Apost.* 36; *PL* 21, 373.

quod Apostoli ei faverint (*PL* 21, 612; cfr. *Vita Rufini* l. 2 c. 17, 2; *PL* 21, 270), certo non negat inspirationem deuterocanonicorum; *videtur tantum affirmare libros illos non posse de facto usurpari ad probanda dogmata*, quod in Oriente revera propter controversias cum Iudaeis fieri non poterat (1).

S. Hieronymus:

1° secundum opinionem hodie communiorem (2), post 389, *privata* quidem sententia, negavit inspirationem deuterocanonicorum; at

2° simul dicendus est agnovisse *Ecclesiae* praesertim occidentalis *sententiam* favere illorum librorum inspirationi et illi sententiae saepissime se accommodavisse;

3° illud autem videtur absolute dixisse, non posse deuterocanonicos usurpari « ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam » (3).

Primum assertum nititur sequentibus documentis. Anno 390 in *Prol. Galeato* scripsit S. Doctor: « quidquid extra hos (22 V. T. libros) est, inter *apocrypha* esse ponendum (*PL* 28, 557-558); anno 394 in *Praef. in Esdram*: « quae non habentur apud illos (Hebraeos) esse *abicienda* » (*PL* 28, 1403); anno 403, *Ep. ad Laetam* 107, 12 non distinguit deuterocanonicos ab apocryphis dum asseverat « multa his (apocryphis) admixta (esse) vitiosa » (*PL* 22, 877); anno 405 *Praef. in l. Esther*, fragmenta deuterocanonica aequiparat alumnorum « thematibus » (*PL* 28, 1433-1434); anno 406 in *Prol. comment. in Dan.* affirmat de fragmentis Danielis Origenem, Eusebium et Apollinarem aliosque dixisse se « non debere respondere Porphyrio pro his quae *nullam Scripturae Sanctae auctoritatem praebeant* » (*PL* 25, 493); anno 415 in *Prol. comment. in Ierem.* scripsit: « Libellum Baruch... et ψευδεπίγραφον epistolam Ieremiae *nequaquam censui disserendam* » (*PL* 24, 680).

---

(1) Sic L. DE SAN, *Tract. de divina Traditione et Scriptura*, Brugis 1903, 373. Aliter CORNELY 1^2, 111 s.; dicit tamen sententiam esse benigne interpretandam.

(2) Cfr. v. gr. L. DE SAN, *Tract. de divina Traditione et Scriptura*, Brugis 1903, 373-376; L. SANDERS, O. S. B., *Etudes sur S. Jérôme*, Bruxelles 1903, 244; L. SCHADE, *Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus* (*Bibl. Studien* 15, 4-5), Freiburg 1910, 163-211. Supplementum ad tabulas a Schade collectas vide in *Biblica* 1 (1920), 557 n. 1.

(3) *Praef. in ll. Salom.*; *PL* 28, 1242-1243.

Secundum assertum probant haec facta. Anno 396 in *Ep. ad Principiam* S. Hieronymus scripsit: « Ruth et Esther et Iudith tantae gloriae sunt ut *sacris* voluminibus nomina indiderint » (*PL* 22, 623); anno 398 in *Praef. in ll. Salom.* dicit: « Iudith, Tobiam et Mach. non recipi quidem ab Ecclesia in canonem, sed legi ad aedificationem plebis » (*PL* 28, 1242-1243), libros duos deuterocanonicos Iudith et Tobiam vertit in latinum. Tandem et praesertim S. Doctor post 390 circiter bis centies in suis operibus deuterocanonicos recitavit (1).

Tertium assertum probatur eo quod affirmatio haec, quae ter reperitur in operibus S. Doctoris (2), concordat omnino cum privata eius sententia de inspiratione deuterocanonicorum.

32. Patrum et scriptorum eorum investigavimus sententiam, quos Protestantes videbantur posse in auxilium suum vocare. Ceteros favere inspirationi deuterocanonicorum, non indiget probatione. Indicamus tantum in Occidente *Concilia Africana* tria, Hipponense anno 393, Carthaginiensia 3. et 4. annis 397 et 419 (3), S. AUGUSTINUM post 397 in libro *de doctr. christ.* 2, 8, 13 (4), S. INNOCENTIUM I Romae anno 405 (5) canonem V. T. prorsus eumdem scripsisse quem postea Concilium Tridentinum. Atque eo maioris momenti videntur esse illa testimonia, quod putantur contra S. Hieronymi asserta prolata esse.

Quod attinet ad canonem (59 vel 60) *Concilii Laodiceni* (inter 343 et 381 sec. Hefele) et *canonem* 85 Apostolorum, prioris genui-

---

(1) Propter haec facta OCKNELY (Introd.[2] 1, 116 sq.) opinatus est S. Hieronymum non ita firmae fuisse sententiae, sed, post 389, primum ad opinionem Iudaeorum accessisse, dein annis 396-405 non iam certum fuisse, et postea inter duas opiniones dubium haesisse. Verum praeter textum Ep. ad Principiam in quo revera S. Hieronymus unius libri deuterocanonici characterem sacrum agnoscit, alia facta, si adiuncta omnia ponderantur, non efficiunt intentum. Leges *Praef. in l. Tobiae*; *PL* 29, 23-26 et *Praef. in l. Iudith*; *PL* 29, 37-39.

(2) Anno 398, *Praef. in ll. Salom.*; *PL* 28, 1242-1243; anno 405, *Ep. ad Laetam* 107, 12; *PL* 22, 877 et anno 405 *Praef. in l. Iudith*; *PL* 29, 37-39. Praeter S. Hieronymum et Rufinum cuius sententiam expositam habes pag. 32 s., nemo ex antiquis scriptoribus hanc expressit opinionem.

(3) Cf. DENZINGER-B., *Enchir.* 92 et fusius ZAHN, *Gesch. des ntl. Kanons* 2, 1 (1890) 246-253.

(4) *PL* 34, 41; cf. ZAHN l. c. 253-259.

(5) DENZINGER-B. n. 96; ZAHN l. c. 244-246.

nitas disputatur (1), alteri auctoritas omnis negatur (2). Attamen quoniam aliquatenus sententiam referunt illius aetatis, quid contineant, adiungimus. Prior ex deuterocanonicis V. T. continet solum Baruch; alter cum protocanonicis V. T. coniungit 3 libros Machabaeorum, praeterea adolescentibus discendum proponit Ecclesiasticum.

Art. 3. — **Testimonia mediae aetatis.**

33. In Oriente dubia evanescunt; apud catholicos, ut apud Nestorianos et Iacobitas, apparet completus canon V. T. (3). Iam anno 692 *Concilium in Trullo* (4) canoni Laodiceno adiungit canonem concilii Carthaginiensis 4. In ecclesia vero graeca schismatica saeculo IX exeunte Photius, licet Occidentalibus infensissimus, post 1150 Zonaras, circa 1200 Balsamo eumdem canonem tradunt; eumdemque saeculo XVII contra Cyrillum Lucarim et Metrophanem Critopoulon, qui Protestantismo favebant, Concilia Constantinopolitana (1638 et 1642) et Hierosolymitanum (1672) propugnant.

Videntur huic doctrinae contradicere Leontius Byzantinus [† 543] (5), S. Joh. Damascenus [† 754] (6) et Nicephorus [† 829] (7) At dicendi sunt tantum antiquos incompletos canones descripsisse.

Theodorus Mopsuestenus († 428), qui non tantum Tob., Iudith, Mac. et Sap., sed etiam Par., Esdr., Neh., Esth., Iob et Cant. inspirationem negaverat (cf. p. 31), asseclas non habuit, nisi forsan quemdam Paulum Persam, scholae Nisibenae magistrum. Huius sententiam c. 550 Iunilius Africanus nobis descripsit (8). Num eam recte intellexerit, dubitari potest. Distinguit libros perfectae, mediae et nullius auctoritatis: priores sunt ii, quos Theodorus inspiratos censebat.

---

(1) Omissus est in codicibus Thuaneo et Oxoniensi editis a Quesnello (cfr. *PL* 56, 721 nota *a*); invenitur in omnibus aliis codicibus graecis et latinis. Cfr. Hefele, *Konziliengesch.* 2², 603 s.; Zahn l. c. 193-202.

(2) Mansi 1, 48. Cf. Zahn l. c., 180-193.

(3) Cfr. J. P. van Kasteren, *De Canon des Ouden Verbonds bij de syrische Christenen* (Studiën 69 [1908], 385-403; 521-538).

(4) Mansi, 11, 939.

(5) *De sectis.* Act. 2, 1-4; *PG* 86, 1200-1204.

(6) *De fide orthod.* 4, 17; *PG* 94, 1177-1180.

(7) *Chronographia brevis.* Quae Scripturae canonicae. *PG* 100, 1056-1057.

(8) *De part. div. legis* 1, 3-7; *PL* 68, 16-17.

34. IN OCCIDENTE usque ad saec. X nemo, praeter Iunilium, a canone integro, in Concilio Carthaginiensi 4 et a Romanis Pontificibus promulgato, discessit. Non ignota fuerunt multis scriptoribus, praesertim post renatas in aevo carolino litteras, antiqua dubia et sententia Hieronymi; at plerique doctrinam Ecclesiae communem fideliter secuti sunt et sequendam esse statuerunt. Paucos tamen auctoritas aliquorum Patrum, imprimis S. Hieronymi, movit, ut a recto tramite deflecterent. *Notkerus Balbulus* [† 912] (1) ad Iunilii placita videtur accessisse; *Hugo a S. Victore* [† 1141] (2), *Radulphus Flaviacensis* [† 1155] (3) et *Ioh. Sarisberiensis* [† 1180] (4) plus minusve sententiae S. Hieronymi adhaeserunt. Theoria potius quam re Card. *Hugo a S. Caro* [† 1263] (5) et *Nicolaus Lyranus* [† 1340] (6) suam fecerunt formulam S. Hieronymi et Rufini de auctoritate minore deuterocanonicorum; ceterum doctrina omnium tum communis erat, quam postea (1441) *Concilium Florentinum* (7) sancivit. In huius scilicet decreto pro Iacobitarum unione, Ecclesia Romana et integrum Scripturarum canonem, recensitis nominatim singulis libris, proponit (8), et hos omnes, nulla facta distinctione, « suscipit ac veneratur », utpote unum eundemque Deum auctorem habentes, et eodem Spiritu S. inspirante conscriptos. Eo magis mirus videtur dissensus *S. Antonini* [† 1459] (9) et Card. *Caietani* [1532] (10) ad sententiam S. Hieronymi redeuntium.

---

(1) *De interpret. div. Script.* 3; *PL* 131, 996-997.

(2) *De Scriptur. et scriptor. sacris* 6; *PL* 175, 15-16.

(3) *In Levit.* 14 Praef. in Bibl. max. patrum Lugd. 17 (1677), 177.

(4) *Ep.* 143; *PL* 199, 126. 129.

(5) *Prol. in Iosue.* Cfr. *Prol.* in *Op. omnia*, Lugd. 1669, vol. 1, 178*a* et 3. 139*a*.

(6) *Postilla.* Praef. in Tob.; in Esth. 10 (ed. Venet. 2, 1588, 283*b* et 314*a*).

(7) MANSI 31, 1736; DENZINGER–B. 706.

(8) Nempe illum ipsum quem saeculo sequenti (1546) repetivit et confirmavit Concilium Tridentinum, quem nimirum supra (p. 2) in extenso retulimus. Hoc solum differt tridentina enumeratio s. librorum a florentina, quod in illa paulo magis explicite pro « Esdra, Nehemia » (Flor.) ponitur « Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias »; pro « Psalmis David » (Flor.) exactius « Psalterium Davidicum 150 Psalmorum »; ad « duo Machabaeorum » (Flor.) additur « primus et secundus ». In Novo Testamento Florentinum antiquo more Actus Apostolorum ponit post Epistolas, ante Apocalypsim; Tridentinum more moderno post Evangelia, ante Epistolas. Utrumque canonem sub oculos ponit CAV. *Thes.* p. 14.

(9) *Chron.* 1, 3, 5 et 9; *Summ. theol.* 3, 18, 6.

(10) *In omnes ll. Script. Comm.* 2, Lugd. 1639, 400.

Art. 4. — A saeculo XVI ad nostra tempora.

35. Pseudoreformatores saeculi XVI, reiecta Ecclesiae auctoritate, mirum non est etiam in quaestione de Canone Scripturarum ab antiqua fide discessisse. Primus in hac re Andreas Carlostadius, edito libello *De canonicis Scripturis* (1520) Iudaeorum Palaestinensium canonem plane instaurare conatus est. Lutherus, subiectivum canonicitatis criterium inducens, nempe conformitatem cum sua praeconcepta sententia de Christo mediatore et hominis iustificatione, propendebat ad excludendos a numero divinarum Scripturarum non tantum omnes deuterocanonicos (excepto forte 1 Mac.), sed etiam aliquot protocanonicos, Esth., Paral., Eccle. (1). Sed paulatim practice acquievit in sententia Carlostadii, et in sua germanica versione totius S. Scripturae (1534) deuterocanonicos, adiecta oratione Manassis, vertit quidem sed ad finem Veteris Testamenti separatos a ceteris relegavit, tanquam appendicem, cum inscriptione « Apocrypha » (2). Auctoritatem et exemplum coryphaei secuti sunt ceteri Protestantes, nisi quod inde a saeculo XVIII ineunte deuterocanonicos, quos apocryphos vocant, omnino exsulare a suis Bibliis iusserunt (3).

36. Concilium Tridentinum in tanto fidei discrimine sensit sibi ante omnia certo et irrevocabili decreto statuendum, qui sint fontes revelationis. Proinde statim in ipso limine tractandum suscepit « de Scripturis recipiendis » seu « quae Scripturae sint canonicae et quae non ». Ea quae tunc disputata sunt (a die 8 februarii ad 8 aprilis 1546) in summa huc redeunt :

1. De recipiendis deuterocanonicis nulla fuit controversia, adeo communis et perpetua Ecclesiae fides videbatur satis super-

---

(1) Cfr. H. H. Howorth, *The Bible Canon of Luther and Karlstadt*, in *Journ. of Theol. Stud.* 8 (1907) 321-365.

(2) Sed iam in versione Pentateuchi, anno 1523 edita, in elencho librorum a se vertendorum deuterocanonicos simul ultimo loco recenset a praecedentibus albo intervallo separatos. Unde Lutheri exemplum sequi se gloriatur Volphius Cephaleus, Argentinensis typographus, qui anno 1526 LXX interpretum versionem (ex aldina editione) ita in lucem dedit, ut deuterocanonicos primus seorsim ab aliis imprimeret cum titulo Ἀπόκρυφοι.

(3) Cfr. H. H. Howorth, *Biblical Canon of continental Reformers*, in *Journ. of Theol. Stud.*, 9 (1908) 188-230.

que superioribus aetatibus, ac praesertim in Concilio Florentino, promulgata.

2. Facile convenit inter Patres canonem Concilii Florentini esse recipiendum et confirmandum. Proposito « an libri qui vocantur apocryphi, coniungi soliti in omnibus vulgatae Bibliae codicibus cum libris sacris (or. Manasses, 3. 4 Esdrae, 3 Mac.) sint nominatim resecandi an silentio praetereundi », longe maxima pars putavit silentio esse premendos (*Conc. Trid.* 5, 41, 30; 52, 22).

3. Acriter disputatum est an rationes essent decreto addendae, quibus contra adversariorum exceptiones canonis sinceritas defenderetur. Praevaluit sententia, rationes esse privatim examinandas et qua voce qua scriptis, ubi opportunum esset, expromendas, non vero ipsis publicis documentis inserendas (*Conc. Trid.* 5, 8, 40; 9, 35).

4. Proposita est quaestio, an esset inter ipsos libros canonicos ponendum aliquod discrimen in gradu auctoritatis (in sensu S. Hieronymi et Rufini). Plerisque placuit non esse faciendam distinctionem; immo « maior pars comprobavit, ut apponerentur haec verba: *pari pietatis affectu recipimus* » (*Conc. Trid.* 5, 10, 5; cfr. 1, 481, 4); quae verba in decreto definitivo inserta (*Conc. Trid.* 5, 91, 13; Denzinger-B. 783) proxime quidem complectuntur Scripturas et non scriptas traditiones (de quibus postea tractatum fuerat); at mediate referuntur etiam, ut historice constat ex Actis, ad singulos Scripturae libros cum aliis comparatos.

Alia addentur infra n. 63.

37. Ex ignorantia eorum, quae acta sunt in Tridentino, videtur enatum quod catholici quidam ut Bern. Lamy († 1715) *Appar. bibl.*[6] Venetiis 1777, p. 375, et Ioh. Jahn († 1816), *Einleit.*[2] 1, 140 s., distinctionem illam iamdiu explosam de vario auctoritatis gradu instaurare conati sint, quod etiam nostra aetate A. Loisy perperam tentavit (*Hist. du canon de l'A. T.*, 1890, p. 112. 194-215). Neque enim mens Patrum in decreto Tridentino edendo dubia esse potest. Ideo *Concilium Vaticanum* decretum illud renovans, explicite anathema dixit ei qui « libros integros cum omnibus suis partibus... pro sacris et canonicis non susceperit aut eos divinitus inspiratos esse negaverit » (Denzinger-B. 1809).

Denique Leo XIII in Encyclica *Providentissimus Deus* (18 nov. 1893) totam fere catholicam traditionem hac de re brevibus verbis complexus, in confirmationem et explicationem Vaticani decreti laudat Ecclesiae Patres, qui sint « professi unanimes, libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu » (Denz.-B. 1952; Cavall. *Thes.* 91).

38. Inter Protestantes post exortum rationalismum (saec. xviii exeunte), abiecto cum negatione omnis supernaturalis ordinis ipso conceptu inspirationis, notio canonis plane pessumdata est. Nam cum in hoc systemate omnia utriusque Testamenti scripta non sint nisi libri mere humani, Veteris Testamenti canon ad conceptum vel fortuitae collectionis, vel litteraturae nationalis hebraicae deprimitur (1).

In Ecclesia graeca orthodoxa modernis temporibus multi theologi veterum Protestantium sententiae de deuterocanonicis V. T. adhaeserunt. In Ecclesia Russiaca saec. xix S. Synodus omni ratione curavit, ut in seminariis eadem sententia doceretur (2), quae quantum a genuina antiquae Ecclesiae fide discedat, tota nostra historia docet.

---

(1) Cf. v. gr. C. Steuernagel, *Lehrbuch der Einleitung in das A. T.*, Tübingen 1912, p. 97; H. Cornill, *Einleitung in die kanon. Bücher des A. T.*, Tübingen 1913, p. 281; Joh. Meinhold, *Einführung in das A. T.*, Giessen 1919, p. 19 s.

(2) M. Jugie, *Histoire du canon de l'Ancien Testament dans l'Eglise Grecque et l'Eglise Russe* (Paris 1904), 128 s.; A. Jasek, *Doctrina Russorum de canone V. T.*, in *Slavorum litt. theol.*, 1907, 264; A. Dombrowski, *La doctrine de l'Eglise russe et le canon de l'A. T.*, in *Rev. bibl.*, 1901, 269-277.

PARS II

HISTORIA CANONIS NOVI TESTAMENTI

39. Ecclesia a Christo Domino fundata tanquam libros sacros amplexa est, ut vidimus, scripta Veteris Testamenti quippe quae, a Deo inspirata, agant de praeparatione N. T. et Regni Dei a Christo fundandi.

At simul inde a primis decenniis post Christi mortem et resurrectionem exorta est nova litteratura religiosa, quae partim agebat de vita Christi et Apostolorum (« Evangelia » et « Acta Apostolorum »), partim in forma epistolari ad singulas Ecclesias vel ad universam Ecclesiam directa erat, partim proponebat fata futura Ecclesiae (Apocalypses). Inter hos libros, quorum numerus sat magnus est, ii segregandi et colligendi erant qui ex traditione apostolica ipsum S. Spiritum habebant auctorem, exclusis reliquis omnibus, qui humanis debebantur originibus (« apocryphis ») (1).

Hic processus collectionis et « canonisationis » librorum inspiratorum pro plerisque libris brevi tempore finitus et absolutus est, cum traditio esset clarissima et maxime universalis, ut v. g. pro quattuor nostris Evangeliis canonicis, vel Epistolis S. Pauli fere omnibus (excepta ad Hebraeos); de aliis autem diutius disputatum est, cum traditio apostolica non in omnibus Ecclesiis aeque clara et perspicua esset. Demum versus finem saeculi IV in tota Ecclesia catholica unitas facta est de canone N. T., et libri inspirati et canonici universaliter agniti sunt scripta illa viginti septem quae enumeravit postea Concilium Tridentinum (cf. supra p. 3). De huius igitur canonis historia iam agendum est.

BIBLIOGRAPHIA. Praeter tractatus passim in libris introductoriis contentos et articulos in Dictionariis editos (de quibus supra n. 9) commemorandi sunt hi auctores *catholici:* E. JACQUIER, *Le N. T. dans l'Église chrétienne* 1, Paris 1911; P. DAUSCH, *Der Kanon des N. T.* (Bibl. Zeitfr. 1. 3). 3, s Münster 1910; U. FRACASSINI, *L'ultimo stadio della*

(1) De apocryphis N. T. vide infra nn. **116-137**.

canonizzazione dei due Testamenti, in *Riv. stor.-crit. delle scienze teologiche* 5 (1909) 425-446. 653-679. 848-859.

Ex auctoribus *non catholicis* facile princeps est auctor de historia canonis Theod. Zahn, qui in pluribus operibus egit de canone et fontibus historiae canonis: *Geschichte des ntl. Kanons*, voll. 2 (1888-1892); *Forschungen zur Geschichte des ntl. Kanons*, hucusque 10 partes inde ab anno 1881; *Grundriss der Geschichte des ntl. Kanons*,[2] Lipsiae 1904. Sequuntur: J. Leipoldt, *Geschichte des ntl. Kanons*, 2 voll., 1907-1908. B. F. Westcott, *A general survey of the history of the Canon of the N. T.*, London 1896.

Ideas Protestantium modernorum de canone fuse enarrat *H. J. Holtzmann in: *Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung in das N. T*[2]., 1892, imprimis cap. 5 et 6.

Documenta, ad canonem N. T., pertinentia plurima collecta invenies apud Zahn, *Geschichte des N. T. Kanons*, vol. 2.

Caput I

Formatio canonis N. T.

Art. 1. — Prima scriptorum N. T. collectio.

40. Scripta Novi Testamenti non ad totam Ecclesiam, sed ad Ecclesias particulares ob peculiares earum necessitates ab Apostolis vel Evangelistis destinata sunt. Propterea non est mirum, quod non statim omnia apud omnes nota et in unum collecta sint. Naturae vero consentaneum fuit, ut fideles illa et legere et servare cuperent. Qui enim S. Ignatii (1) et S. Clementis (2) epistolas tanti faciebant, quomodo Apostolorum scripta neglegerent? Adde quod S. Paulus ipse commendaverat ut ab una ad aliam Ecclesiam litterae suae communicarentur (Col. 4,16). Minime ergo dubitandum est quin Christiani Apostolorum epistolas et alia N. T. scripta magna cura collegerint et servaverint; non tamen putandum est in omni Ecclesia collectionem completam exstitisse, sed minorem maioremve, prout adiuncta faverant. Neque ullum fuit N. T. scriptum, quod non in una saltem Ecclesia servaretur.

---

(1) S. Polycarpus, *Ep. ad Philipp.* 13, 2; *PG* 5, 1016; Funk, *PP. Apost.*[2] 1, 312.

(2) S. Dionysius Cor., *Ep. ad Rom.* ap. Euseb., *H. E.* 4, 23; *PG* 20, 388.

41. IPSUM NOVUM TESTAMENTUM testatur initia quaedam adesse *collectionis epistolarum S. Pauli*. Monet enim S. Petrus (2 *Petr.* 3,15) (1) in *epistolis Pauli* « esse quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et *ceteras Scripturas* ». Epistolae igitur illae aequiparantur " ceteris Scripturis ,, aliis verbis *inspiratae* habentur; quot et quaenam fuerint, non indicatur.

Alius textus 1 Tim. 5, 18, ubi praemissa sollemni formula: « Scriptura dixit », post Deut. 25, 4 citatur Lc. 10, 7, probabile est argumentum (2) quod S. Paulus *Evangelium Lucae inspiratum* dixerit.

Art. 2. — **Documenta saec. I et II.**

42. Quoniam primis temporibus nemo scripsit catalogum librorum, qui ut inspirati habendi essent, necesse est, perlectis auctorum operibus, ex citationibus ut plurimum colligere, quosnam libros singuli ut inspiratos habuerint. Quare de ratione citandi apud auctores illius aetatis haec duo videntur animadvertenda:

1° In priorum saeculorum scriptoribus saepe nomen auctoris tacetur et verba citata cum sacro textu non perfecte congruunt; non tamen inde concludere licet, non scripta N. T. citari, sed ex orali traditione facta et dicta desumi. Etenim eadem citandi ratio deprehenditur apud S. Irenaeum et multos, qui certo N. T. scriptis utebantur. Quare ubi in citatione invenimus verba vel formulas alicuius textus characteristicas, iure possumus *concludere ad exsistentiam* eiusmodi textus.

2° Quaedam verba, quae ut Domini dicta a scriptoribus recitantur, in Evangeliis minime vel aegre inveniuntur, dum similia in apocryphis quandoque legi possunt; non tamen sequitur vel Evangelia non esse habita ut inspirata, vel *apocrypha* parem auctoritatem habuisse. Etenim:

a) olim scriptores potius memoriter res narrabant, quam ex libro verba describebant; et tamen

b) saepe ex verbo characteristico apparet auctoris menti obversari textum Evangelii (3).

---

(1) Criticorum quidem maior pars epistolam hanc dicunt scriptam esse circa 150-180. At eorum sententia probari nequit. Cfr. JOS. DILLENSEGER, *L'authenticité de la secunda Petri*, in *Mélanges de la Faculté orientale* (de Beyrouth) 2 (1907) 173-212.

(2) Plures auctores catholici et ipse S. THOMAS (in h. l.) dicunt non Lc., sed Deut. vel Lev. citari. Sed recte videtur CORNELY, *Introd.* [2] 1, 162 et n. 2 asserere citatum esse Evang. Lucae. At cf. etiam KNABENBAUER, *Comm. in Epist. ad Timoth.*, Paris 1913, 265.

(3) Sic contingit in ep. S. IGNATII *ad Smyrn.* 3, 2, ubi ψηλαφήσατε alludit ad Lc. 24, 39.

c) quidam putant illa aetate factas esse quasdam collectiones sententiarum evangelicarum ad usum catecheticum, ex quibus desumptae sint citationes quaedam. Cfr. E. JACQUIER, *Le N. T. dans l'Eglise chrétienne* 1² (1911), p. 42-43; R. HARRIS, *Testimonies*, Cambridge 1916-1920; sed cf. S. MERCATI, in *Biblica* 3 (1922) 211-224.

43. Ab his Evangelii citationibus parum exactis, et etiam ab evangeliis apocryphis, distinguenda sunt *agrapha* proprie dicta, illae scilicet sententiae, quae in neutro evangeliorum genere scriptae sunt, sed ad modum singularis dicti per traditionem accepti afferuntur, cuiusmodi iam habetur a S. Paulo relatum Act. 20, 35: « oportet... meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare quam accipere ». Amplissimam messem collegit *A. RESCH, *Agrapha*², Lipsiae 1906; sed vere authentica sunt perpauca. Cf. *J. H. ROPES, *Die Sprüche Jesu* (Texte u. Unters. 14, 2), Lipsiae 1896; E. JACQUIER, *Les sentences du Seigneur extra-canoniques* in *Rev. Bibl.* 1918, 93-135; art. *Agrapha* in *Dict. de théol. cath.*, *Catholic Encycl.* etc. Bibliographia in BARDENHEWER, *Gesch. d. altk. Lit.*² I, 542 sq.

44. SAEC. I EXEUNTE et II INEUNTE in scriptis S. Clementis, S. Ignatii, S. Polycarpi et aliis (1) multa colliguntur, quibus *exstitisse scripta N. T.* fere omnia eaque maxima reverentia habita esse certum fit. Ne singula persequamur, illis temporibus nota sunt 4 Evangelia, Actus, Epistolae S. Pauli fere omnes, Epistolae S. Petri, saltem 1 Iohannis et Epistola Jacobi (2); quibus adde Apocalypsin ex testimonio presbyterorum de quibus S. Irenaeus loquitur in opere *Adv. haer.* 5, 30 (*PG* 7, 1203). Ita vero saepe vel citantur vel ad ea fiunt allusiones, ut iis peculiarem auctoritatem tributam esse appareat.

Immo iam plura tunc inveniuntur testimonia explicita *de inspiratione scriptorum N. T.* S. CLEMENS ROM. (3) in *Ep. ad Cor.* (47, 3; *PG* 1, 308; ed. FUNK o. c. 1, 160) dicit, πνευματικῶς (sub

---

(1) Sunt illi qui vocantur *Patres apostolici*. Eorum opera separatim edita sunt recenter a F. X. FUNK (ed. maior, aucta partim a F. DIEKAMP, Tübingen 1901-1913; ed. minor renovata a K. BIHLMEYER, ibid. 1920); in *Bibl. ss. Patrum* ed. J. VIZZINI, Romae 1901-1902, et inter *Documents pour l'ét. hist. du Christianisme* dir. HEMMER et LEJAY, Paris 1907-1912. Plura dant Patrologiae. Nos citamus Funkianam ed. alteram maiorem.

(2) Particularia vide apud FUNK, *PP. Apost.*² (in Indice locorum S. Script.) et in opere speciali; *The New Testament in the Apostolic Fathers* by a Committee of the Oxford Soc. of Hist. Theol., Oxford 1905.

(3) Quando haec epistola scripta sit, controvertitur; communior et probabilior sententia est, circa ann. 96-98 datam esse.

influxu Spiritus) S. Paulum ad eos dedisse epistolam. Ep. Barnabæ quae dicitur (1) citat (4, 14; *Funk* o. c. 1, 48) Mt. 22, 14 praemissa formula « sicut scriptum est ». S. Ignatius († 107) pluries de Evangeliis, semel de Apostolis loquitur ut de documentis quae cum Lege et Prophetis aequiparat (2) (*ad Smyrn.* 7 et 8; *ad Philad.* 9; cf. etiam 8; *PG* 5, 713. 705. 704; Funk o. c. 1, 282. 272. 270). S. Polycarpus (scr. post 107) cum Ps. 4, 5 Eph. 4, 26 coniungit (12; Funk o. c. 1, 310) praemissis verbis « ut his Scripturis dictum est ».

Mirum videri potest quod S. Clemens Rom. et Ps. – Barnabas distinctius et saepius formulam « scriptum est » adhibent ad citandum V. T. Sed huius facti rationes plures adsunt: 1° natura libri (ut in Ep. Barn., quae de Lege V. T. agit); 2° consuetudo tunc vigens citandi verba Evangelii ut Domini vel Iesu verba; 3° tandem fieri potuit, ut formulae, quae de V. T. adhiberi solebant, aut viderentur superfluae cum de apostolicis scriptis ageretur, aut ob inolitam consuetudinem a quibusdam V. T. reservarentur.

45. Post medium saec. II. — S. Iustinus haec novit: Apostolorum commentaria quae vocantur Evangelia (3) et quae cum scriptis Prophetarum in conventibus christianis legi solita (4) cum libris sacris V. T. aequiparantur; Apocalypsin quam prophetavit S. Iohannes Apostolus (5); *Epistolas* omnes praeter Philem. 2 et 3 Ioh. et Iudae. Evangelia, de quibus S. Iustinus, sunt nostra 4 Evangelia; id apparet ex operibus S. Iustini et confirmatur eo quod *Diatessaron* a Tatiano eius discipulo scriptum, ex solis nostris 4 Evangeliis compactum est. Evangelium Petri, utpote gnosticismo favens, S. Iustinus, Gnosticis infensus, certo non adhibuit ut

---

(1) De anno quo scripta est haec Epistola, seu verius Tractatus, multum disputatur; extremi sunt 69-79 (d'Herbigny in *Rech. de sc. rel.* 1 [1910], 566) et 130-131 (Harnack); plerisque arridet 96-98 (Funk, Hilgenfeld).

(2) Eadem loquendi ratio occurrit in Ep. ad Diognetum, cap. 11, in ea scilicet parte (cc. 11. 12), quam plerique uti spurium additamentum expungunt (cfr. *PG* 2, 184; Funk l. c. 1, 410); sed nuper Emmanuel Carpathius, graecus, ut authenticam vindicavit (Συμπλήρωσις τοῦ χάσματος τῆς πρὸς Διόγνητον ἐπιστολῆς, Thessalonicae 1925).

(3) *Apol.* 1, 66 οἱ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται Εὐαγγέλια. *PG* 6, 429. Cf. *C. Tryph.*, 100, 1, 2 c. 6.

(4) *Apol.* 1, 67, *PG* 6, 429.

(5) Cf. *C. Tryph.* 81; *PG* 6, 669.

inspiratum (1). Cum de Actis Pilati loquitur, probabiliter supponit de Christi damnatione acta Romam esse missa (2).

Antiochiae S. Theophilus inspiratos dicit Evangelistas (3), inter quos nominat S. Iohannem (4); S. Hieronymo testante (5), Evangelia commentatus est; in opere ad Autolycum usus est Epistolis Rom., 1 Cor., Col., 1 Tim., quam «verbum divinum» dicit (6), et, teste Eusebio Caes. (H. E. 4, 24; *PG* 20, 389), etiam Apoc.

Ipsi haeretici de scriptorum N. T. auctoritate hac aetate testimonium dicunt.

Sectae plures S. Evangelio Ioh. abutuntur, Mt. *Ebionaei*, Lc. *Marcion*, Mc. alii (7). Ex Epistolis S. Pauli *Basilides* et *Isidorus* certo noverant Rom., 1 et 2 Cor., Eph., quas secundum auctorem *Philosophumenon* (*PG* 16, 3313-16) ut Scripturas citabant. *Valentiniani* Rom., 1 Cor., Eph., Col., Hebr. quoque et Apoc. utebantur. *Peratae* textu Col. 2, 9 suam doctrinam probabant (8).

46. Marcion quidem scripta omnia V. T. et plura N. T. abiecit. Haec autem illius temeritas causa fuit, cur exinde plures catholici canonis testes reperiamus. S. Irenaeus enim, auctor *Philosophumenon* et Tertullianus haeresim eius aggredientes, veritatem ex apostolica traditione acceptam proponunt, et eum accusant, quod proprio marte ex 4 Evangeliis unum Lucam et ex epistolis Pauli 10 tantum sibi selegerit; quae scripta selecta ad suam doctrinam emendaverit.

Quidam vero rationalistae dixerunt Marcionem *primum* canonem N. T. effinxisse, et sic Ecclesiae dedisse exemplum, quod sequeretur (9).

---

(1) Opinio contraria nititur praesertim duobus textibus Iustini *Apol.* 1. 35 et *c. Tryph.* 106. Optime respondet difficultati E. Jacquier, *Le N. T. dans l'Eglise chrétienne* I² 119-121.

(2) *Apol.* 1, 35. 48; *PG* 6, 384. 400. Cfr. Bardenhewer, *Gesch. der altkirchl. Literatur*, 1², 543.

(3) *Ad Aut.* 3, 12; *PG* 6, 1137.

(4) Ibid. 2, 22; *PG* 6, 1088.

(5) *De vir ill.* 25; *PL* 23, 643.

(6) *Ad Aut.* 3, 14; *PG* 6, 1141.

(7) Irenaeus, *Adv. haer.* 3, 11, 7; *PG* 7, 884.

(8) Cfr. Cornely, *Introd.* 1², 169; E. Jacquier, *Le N. T. dans l'Eglise chrétienne* 1², 145-151.

(9) Harnack, *Marcion* (1921) pag. 68. Ipse conferre iubet *Die Entstehung des N. T.* (1914). Theorias eius exposuit et refutavit E. Jacquier o. c., p. 170-172. Cfr. A. d'Alès, *Marcion*, in *Rech. sc. relig.* 12 (1922) 137-168 et Feine in *Einl. in das N. T.* (1923) p. 243-244.

Iamvero, quod occasione editionis N. T. Marcionis atque ratione haereseon gnosticarum Ecclesia maiorem quamdam curam impenderit in determinando Novi Test. canone, qui iam aderat, non est cur non assentiamur. Verum quod in Ecclesia ante Marcionem non adfuerit canon, i. e. certus numerus scriptorum (4 Evangelia, Actus, Epistolae S. Pauli fere omnes, aliorum Apostolorum quaedam, et Apocalypsis) quae ab omnibus haberentur ut inspirata, licet non in unum «Corpus» compacta essent, hoc pugnat cum documentis quae illa aetate de N. T. habemus. Ad ea quae iam exposuimus, satis sit adiungere testimonium S. Irenaei, qui iure potest haberi ut testis non tantum Ecclesiae Lugdunensis, cuius fuit episcopus, sed et Asiae minoris, ex qua oriundus erat, et aliarum ecclesiarum, praesertim Romanae, quam non semel invisit. Hic autem inspiratos habet fere omnes libros N. T., et eum de illis doctrinam Ecclesiae exponit, ad traditionem appellat Apostolorum, quorum discipulos audivit (1). Ceterum eodem modo ad traditionem appellant Clemens Alexandrinus (2), Origenes (3), Tertullianus (4). Quare licet quidem dicere Marcionem sibi effinxisse canonem omnino definitum, verum oportet addere, eum libros canonis sui selegisse ex canone iam exstante in Ecclesia (5).

Adde quod, in illa sententia, Ecclesiae praevisset Marcion in agnoscenda librorum sacrorum auctoritate. At Christiani ab haereticorum libris semper abhorruerunt, ac propterea fieri non potuit, ut libros ab haereticis probatos et quos ipsa non probasset, Ecclesia in canonem reciperet; contra, periculum fuit ne liber vere sacer extra canonem eiceretur, quia illo abutebantur haeretici, quod de Apocalypsi evenisse narratur p. 53-55. Haec est altera ratio cur intellegi non possit canon Marcionis, nisi exstiterit iam canon in Ecclesia.

---

(1) Cfr. v. g. *Adv. haer.* 3, 3, 3-4; 3, 4, 1; 3, 11, 8; *PG* 7, 848-885, 891.
(2) *Strom.* 3, 13; *PG* 8, 1198.
(3) Ap. Eus., *H. E.* 6, 25; *PG* 20, 581.
(4) *Adv. Marc.*, 4, 4 et 5; *PL* 2, 365-368.
(5) Cfr. Batiffol, *L'Eglise naissante. Le Canon du N. T.*, in *Rev. Bibl.* 12 (1903), 26.

Art. 3. — Testimonia a saec. II exeunte ad medium saec. III.

47. Iam in omnibus maioribus Ecclesiis clara prorsus inveniuntur testimonia.

ROMAE, vel in vicinia, *fragmentum Muratorianum.*

Documentum illud, quod in Bibliothecae Ambrosianae codice (J 101 Sup.) repertum publici iuris fecit anno 1740 L. A. Muratori, continet catalogum librorum N. T. Initio fineque caret; latine scriptum est, sed a pluribus dicitur e graeco versum esse; non post 180, cum legatur (ll. 73-76) « *nuperrime* » Pastorem ab Herma esse scriptum cum Pius Romae episcopus esset (140-155); probabiliter Romae vel in vicinia, nam (ll. 38-39) « *ab Urbe* » dicitur S. Paulus proficisci (1).

4 classes librorum distinguit documentum illud: 1° eos qui ab omnibus ut *sacri* habentur et publice in Ecclesia leguntur; 2° eos quos legi in Ecclesia quidam nolunt (ll. 72-73); 3° eos quos privatim legere licet, sed in Ecclesia publice non oportet (ll. 77-80); 4° eos qui in Ecclesia recipi non possunt, quia ab haereticis scripti sunt.

1ª classis continet 4 Evangelia (2), Actus, Epistolas Pauli 13 (deest Hebr.), Apoc., Ep. Iudae, saltem 1 et 2 Ioh. et (id quod mirum est) lib. Sapientiae; 2ª classis continet Apoc. Petri (3), 3ª Pastorem, 4ª libros complectitur haereticorum (ll. 81-85) et duas apocryphas epistolas Pauli ad Laod. et ad Alexand. (ll. 63-67). Libros 1ªe et 2ªe classis quia in Ecclesia leguntur, ab auctore ut inspiratos haberi constat ex eo quod (ll. 77-80) in hac lectione Apostoli cum Prophetis V. T. aequiparantur.

Cum circa eamdem aetatem HERMAS in Pastore probabiliter utatur 1 Petr. et Ep. Iac., in Ecclesia Romana invenimus omnia N. T. scripta praeter Hebr. et 2 Petr.

---

(1) Cf. G. RAUSCHEN, *Florilegium Patristicum* 3, Bonnae 1905, 21-35, E. JACQUIER, *Le N. T. dans l'Eglise chrétienne* 1², 189-211; TH. ZAHN, *Grundriss* 76-81, ubi exhibetur ulterior bibliographia. Textus integer exhibetur infra, inter *Documenta* p. 111.

(2) Haec sunt certo 3um Lc., 4um Joh. Omnes consentiunt in primis lineis, quae iniuria temporis amissae sunt, sermonem fuisse 1° de Mt., 2° de Mc.

(3) Quidam textum emendantes legunt: *unam* Petri (epistolam) i. e. primam; alii putant Epistolam vel Epistolas Petri cum Ev. Mc. recensitas esse (haec pars periit), eodem modo quo Ep. Ioh. cum eius Ev. recensetur.

IN GALLIA. — S. IRENAEUS († c. 189) 4 Evangelia (1) in canonem admittit, cum Actibus, Epistolis Pauli 13, Petri prima, Iohannis Apoc. et Epistolis (2). Hebr. usus est (3), sed ita parce, quamvis ei valde utilia argumenta offerret, ut non miremur cum in Photii *Bibliotheca* (Cod. 232; *PG* 103, 1104) legimus, Irenaeum negasse Epistolam esse Pauli. Iudae Ep. nunquam usus est; ad 2 Petr., Iac. habet allusiones satis dubias.

IN AFRICA OCCIDENTALI. — TERTULLIANUS († post 225) omnibus scriptis N. T. utitur praeterquam Epistolis Iac., 2 Petr. et Hebr. (4). Prioribus poterat in suis polemicis operibus uti, si eas novisset. Ultimam vero novit, sed eam S. Barnabae tribuit, nec ut inspiratam habet, sed testatur plures Ecclesias eam recipere (5).

Consonat S. CYPRIANI († 258) canon, ex quo absunt eaedem tres Epistolae (6), et canon Mommsenianus (7), nisi quod hic 2 Petri recipit, Epistolam Iudae omittit.

IN OCCIDENTE ergo, saec. III sola 2 Petri nullibi invenitur. Ep. Iac. saltem Hermae nota esse videtur. Ep. Iudae Romae et in Africa, Hebr. in quibusdam Ecclesiis adest. Cetera N. T. scripta ubique sunt in canone (8).

48. ALEXANDRIAE canon N. T. integer invenitur. CLEMENS ALEX. (c. 180-202), teste Eusebio (*H. E.* 6, 14; *PG* 20, 549), « in libris *Hypotyposeon*, omnium... utriusque Testamenti Scripturarum compendiosam instituit narrationem, ne illis quidem praetermissis, de quibus ambigitur ». Ceterum Cassiodorus « adumbrationes » eius in 1 Petr., in 1 et 2 Ioh., in Ep. Iudae nobis latine versas servavit (*De inst. div. lit.* 8; *PL* 70, 1120) et in Clementis operibus uti Scripturae nominantur 14 Epistolae Pauli, 1 Petri, « maior » Ep. Ioh. (*Strom.* 2,15; *PG* 8, 1004; ergo aliam vel alias novit) et Ep. Iudae.

---

(1) « Neque plura... neque pauciora capit esse ». *Adv. haer.* 3, 11, 8; *PG* 7, 885.
(2) Cum 1 et 2 Ioh. citet, non apparet cur 3 Ioh. non noverit.
(3) EUSEB., *H. E.* 5, 26; *PG* 20, 509.
(4) Cum « primam » Ioh. citet, videtur alias novisse.
(5) *De Pudic.* 20; *PL* 2, 1021.
(6) Cf. praesertim *Testimoniorum libri 3 adv. Iudaeos*; *PL* 4, 675-780. Notandum tamen est deesse etiam 2 et 3 Ioh. et Ep. Iud., sed episcopus quidam in concilio Carthaginensi (256) coram S. Cypriano utitur 2 Ioh.; *PL* 3, 1072.
(7) Habes illum infra inter *Documenta*, p. 194.
(8) Recole quae animadversa sunt in notis 4 et 6.

Clarius in Origene († 254) apparet, omnia N. T. scripta ut inspirata haberi. Verum est Eusebium (*H. E.* 6, 25; *PG* 20, 581) textum Origenis citare in quo « dubiae » (ἀμφιβαλλόμενα) dicuntur 2 Petr., 2 et 3 Ioh., et desunt Iac. et Iudae Epistolae. At sententia Origenis *propria* alibi quaerenda est. *In Ios. hom.* 7, 1; *PG* 12, 857 prorsus omnes Epistolas catholicas cum aliis N. T. scriptis connumerat (1). Ceterum Iac. « scripturam divinam » dicit (*In Levit. hom.* 2, 4; *PG* 12, 418), Iudam inter sacros scriptores ponit (*Comm. in* Mt. 10, 17). Novit igitur Origenes esse dubia de quibusdam Epistolis, verum ea ipse spernit et Epistolas omnes in canonem accenset. Hoc iudicium Origenis eo maioris valoris est, quod non solum erat in rebus biblicis versatissimus, sed praeterea principales orbis Ecclesias (Romanam, Antiochenam, Alexandrinam, Caesareensem, Atheniensem, Asiae Minoris, Arabiae) in suis itineribus ipse cognovit, ideoque est testis maximae auctoritatis.

Ex testimoniis sequitur saeculo III fere omnes N. T. libros in canonem admissos esse. In Occidente solae Epistolae Iac. et 2 Petri, aliquatenus etiam Hebr., vel ignorantur vel non recipiuntur. In Oriente vero, testante Origene, quidam dubitant de 5 minoribus Epistolis catholicis.

49. *De usu apocryphorum.* Ex apocryphis quidam sunt haeretici; his si quando auctor ecclesiasticus usus est, eos inter Scripturas non recensuit. Inter ceteros pauci ad dignitatem librorum sacrorum proxime accesserunt. In Ecclesia Alexandrina Clemens in suis scriptis *Doctrinam Apostolorum, Pastorem, Evangelium sec. Hebraeos* et *epistolam Clementis ad Corinthios* (2) ut Scripturas videtur proponere; ex Eusebii Caes. testimonio (*H. E.* 6, 14, 1) in *Hypotyposeon* libro etiam *epistolam Barnabae* et *Petri Apocalypsin* compendio descripserat. Num apocryphos illos in canonem voluerit inducere, non patet (3). Origines certo in canonem eos non induxit; immo, si attendimus, eum in *hom. 7 in Ios.* apocryphum nullum nominare, videtur distinxisse libros quos propria sententia habet ut inspiratos (4) ab illis quos censet ut inspiratos recipiendos esse. S. Athana-

---

(1) Origenis *Homiliae in Ios.* exstant solum latine versae a Rufino; at quanta fide hic latine eos reddiderit « simpliciter ut invenit », audi ipsum Rufinum obtestantem in Peroratione Comm. Orig. in Rom. *PG* 14, 1293.

(2) *Strom.* 1, 20; 1, 29; 2, 9; 4, 17; *PG* 8, 817; 928. 981. 1312.

(3) Jacquier, *Le N. T. dans l'Eglise chrétienne*, 1², 238-239, censet eum, licet non clare distinxerit in suis scriptis inter canonicos libros et alios, tamen canonicis libris, siquidem his multo pluries *ut inspiratis* utatur, tribuisse auctoritatem maiorem et non controvertendam.

(4) Cf. quae de *Pastore* dicit *in Rom.* 10, 31; *PG* 14, 1282.

sius *Pastorem* et *Doctrinam Apostolorum* ad libros catechumenis legendos accenset; Rufinus *Pastorem* et *Duas Vias* « ecclesiasticos » dicit.

De apocryphis N. T. in genere dicendum est, fere ut de illis V. T., eos non posse deuterocanonicis assimilari. Quidam utique apud plures scriptores (1) atque etiam in una alterave Ecclesia per certum temporis spatium ut inspirati habiti sunt; verum nunquam in universa Ecclesia sunt recepti et mox post saec. IV fere a nemine inspirati censentur.

Art. 4. — Eusebii Caesariensis († 340) testimonium.

50. Omnia haec testimonia complet Eusebius Caes. qui, suis inquisitionibus in compendium redactis, suae aetatis canonis ambitum, secutus exemplum Origenis, sic proponit (*H. E.* 3, 25: *PG* 20, 268-272): 4 classes librorum distinguit: 1° libros « qui *secundum ecclesiasticam traditionem* veri et *genuini* et *nullo contradicente recepti sunt* »: 4 Evangelia, Actus, Pauli epistolae 14 (2), 1 Petr. et, « si videbitur » (εἴ γε φανείη), Apoc. Hi sunt protocanonici (ὁμολογούμενοι) additis Hebr. et Apoc. — 2° libros « qui *in controversia versantur* (ἀντιλεγόμενοι), *a plurimis* tamen *genuini habentur* ». Sunt deuterocanonici ceteri: Iac., Iud., 2 Petr., 2 et 3 Ioh. — 3° alios dubios quoque sed et *spurios* (νόθα), inter quos, « si placet » Apoc. 4° *haereticorum libros*.

Hoc Eusebii testimonium quod fere in omnibus conclusionem praecedentem (art. 3) confirmat, ab ea discrepat miro modo propter ambiguum de Apocalypsi iudicium. Ratio huius discriminis capite sequenti (3) explicatur.

CAPUT II.

Libri deuterocanonici N. T. usque ad saec. VI.

Cum constet saeculis III et IV iam fere omnes N. T. libros in canonem admissos esse (4), restat ut de scriptis illis agamus quorum

---

(1) V. gr. *Pastor* ab auctore scripti *De Aleatoribus* 2, a S. IRENAEO 4, 20, 2; TERT., *De or.* 16 (postea sententiam mutavit *De pud.* 10), a CLEMENTE ALEXANDRINO et ORIGENE (v. in textu) etiam a S. ATHANASIO (*Ep. fest.* 39) et forsan a RUFINO ut inspiratus habebatur. Sed saec. II fragmentum Muratorianum illum *excludit* e canone et saec. III TERTULLIANUS (*De pud.* 10) testis est eum non ab omnibus recipi.

(2) Cfr. *H. E.* 3, 3, 5, *PG* 20, 216.

(3) Cfr. infra n. **53-55**.

(4) Quidam, ut JACQUIER, o. c., p. 326, adnotant ante epistolam Innocentii (vel saltem ante Damasum) non exstitisse canonem *publica auctoritate* definitum. Hic argumentamur ex consensu Ecclesiarum.

canonicitas etiam tunc in nonnullis Ecclesiis erat dubia. Scripta illa sunt septem. Eusebius recenset Epistolas Iac. Iud., 2 Petri, 2 et 3 Ioh., quibus adiungendae sunt Apoc. et Hebr.

Art. 1 — Epistola ad Hebraeos.

51. De hac Epistola, quamquam authentiae Paulinae tota ratio scribendi refragari videbatur, nunquam *in Oriente* dubitatum est (1). Auctor Epistolae Barnabae eam videtur novisse (2), versio Pesitta habet; Pantaenus (3), Clemens Alex. (4) et Origenes (5) authentiam eius affirmant et opiniones proponunt quibus de forma externa conantur rationem reddere. Quod et Eusebius Caes. (6) facit.

In Occidente contra, usque ad medium saeculum IV fere dicere eam ignorari, nisi Tertullianus affirmaret eam « receptiorem apud Ecclesias esse illo apocrypho Pastore moechorum » (*De Pud.* 20; *PL* 2, 1021). Initio quidem S. Clemens Rom. eam novit (7), sed *fragmentum Muratorianum* non habet, Hermas non adhibuit. S. Irenaeus quamvis eam utiliter citavisset, ad eam vix alludit; Photius autem dicit S. Irenaeum et S. Hippolytum Epistolae authentiam negavisse (8). Authentiae adversarii fuerunt etiam Caius presbyter (9) et alii Romani. Tertullianus eam S. Barnabae tribuit (l. c.); S. Cyprianus ea non utitur. Novatiani tamen eam Paulo tribuebant et sibi suffragari affirmabant (10), sed Philastrius (11) dicit Novatianorum favorem unam ex causis fuisse cur Occidentales Epistolam ad Hebraeos non legerent.

52. Attamen ultimis decenniis saeculi IV etiam in Occidente fere nemo iam dubitat de authentia. S. Hilarius Pict., Lucifer

---

(1) S. Amphilochius, *Carm. ad Seleucum* (*PG* 37, 1593) et Eusebius *H. E.* 3, 3, 1 (*PG* 20, 216) norunt quosdam dissentire, sed eos improbant.
(2) Cf. v. gr. *Ep. Barn.* 8, 1-2 et *Hebr.* 9, 13-19.
(3) Ap. Eus., *H. E.* 6, 14; *PG* 20,552 s.
(4) *ibid. P. G.* 20, 549.
(5) *ibid.* 6,25; *PG* 20, 584 s.
(6) *ibid.* 3, 38; *PG* 20, 293.
(7) 1 *Clem.* 36, 2-5. Cf. *Hebr.* 1, 3. 4. 7. 5. 13.
(8) *Biblioth.* cod. 232; *PG* 103, 1104.
(9) Eus., *H. E.* 6, 20; *PG* 20, 572 s.
(10) Ambr., *De paen.* 2, 2; *PL* 16, 497.
(11) *Haer.* 89; *PL* 12, 1201.

Calarit., Philastrius Brix., S. Ambrosius. *Concilia Africana*. Innocentius I (1) Epistolae authentiam et canonicitatem admittunt. S. Augustinus saltem canonicitatem (2) admisit, immo rationes exposuit cur illam admitteret. In libro *De peccatorum meritis et remissione* (3) dicit nonnullis etiam tunc Epistolam incertam esse, se tamen magis moveri *auctoritate Ecclesiarum orientalium*, quae hanc etiam in canonicis habent. In Enchiridio (4) autem rationem addit quod *ea teste usi sint illustres catholicae regulae defensores;* inter eos sane S. Hilarius et S. Ambrosius annumerandi sunt. Hic ergo, sicut toties iam vidimus, criterium quo usi sunt Christiani ad iudicandum de Epistolae canonicitate est apostolica traditio, quae feliciter imperturbata semper manserat in Ecclesiis orientalibus.

Art. 2. — Apocalypsis.

53. Tum in Oriente tum in Occidente *usque ad saeculum III* apostolica traditione et Ecclesiae consensu admittebatur Apocalypsis. Authentia eius et canonicitas plurimis testimoniis in variis Ecclesiis affirmabatur: Presbyteri apud Papiam, S. Iustinus, S. Irenaeus, Tertullianus, *fragmentum Muratorianum* et S. Hippolytus, Clemens Alex. et Origenes eam asseverabant. Apocalypsin soli reiecerant Marcion et Caius presbyter; hic eam Cerintho tribuisse videtur (5).

Verum millenaristae affirmarunt Apocalypsin suae doctrinae favere et in Aegypto quidam episcopus, Nepos nomine, Ἔλεγχον ἀλληγοριστῶν scripsit, in quo textum Apoc. 20,4 millenaristarum more exposuit. Hanc opinionem dum vult confutare, S. Dionysius Alex. († 265) eo usque progressus est, ut negaret Apocalypsin o; us esse S. Iohannis Apostoli. Contradicere traditioni, qua inspirata

---

(1) Si admittitur canonis Damasiani authenticitas, iam anno 382 Ecclesia Romana publica auctoritate definivit, Epistolam ad Hebraeos et 7 Epistolas catholicas esse canonicas. Pro authentia cf. Turner *Journ. Theol. Stud.* 1 (1900), 556-560. Contra authentiam Dobschütz, *Das Decretum Gelasianum* (Leipz. 1912).

(2) De authentia Paulina quam ad a. 406 usque admittebat postea dubitavit cf. O. Rottmanner O. S. B., in *Revue Benedictine* 18 (1901), 257-261.

(3) 1, 50; *PL* 44, 137.

(4) c. 8; *PL* 40, 235.

(5) Apud Euseb. *H. E.* 3, 28; *PG* 20, 273. Cfr. quae de « Alogis » S. Epiphanius refert *adv. Haer.* 51, 3; *PG* 41, 892.

dicebatur, noluit, sed, criteriis utens internis, putavit tuto eam tribui posse alteri cuidam Iohanni (1). Sic enim libri auctoritatem minuebat, et ex hac parte, quantum poterat, Nepotis errori occurrebat.

54. Feliciter S. Dionysii opinionem Ecclesia Alexandrina non est secuta. Sed in aliis Ecclesiis sparsa sunt dubia et brevi non tantum authentia, sed et inspiratio a pluribus negata est. Propterea tam miro modo Eusebius Caes. de Apocalypsi iudicat; dum ad priorum saeculorum unanimem traditionem attendit, Apocalypsin inter τὰ ὁμολογούμενα necessario censet esse ponendam; dum vero suae aetatis dubia et negationes respicit, dicit, « si placeat » posse eam inter *spurios* libros numerari.

Revera apud Syros (2), si S. Ephraem excipias, Apocalypsis non erat in canone. S. Gregorius Naz. (3) et S. Cyrillus Hieros. (4) eam omittunt; S. Gregorium imitatur S. Amphilochius, dicit tamen quosdam Apoc. recipere (5). S. Ioh. Chrysostomus eam non citat. S. Hieronymus testatur sua aetate eam a Graecis non recipi (6). Abest a canone Laodicensi et a canone 85 Apostolorum.

55. Attamen cum Alexandrinis doctoribus S. Basilius (7), S. Gregorius Nyss. (8) et S. Epiphanius (9) traditioni antiquae obsequuntur. Ipse S. Gregorius Naz. dicitur Apocalypsin commentatus esse (10), certo pluries ea ut inspirata utitur (11). Saec. VI iterum Orientales de Apocalypseos canonicitate consenserunt, non tantum catholici sed et haeretici. Soli Nestoriani, magistrum sequentes Theodorum Mopsuestenum, eam reiecerunt; huius

---

(1) Περὶ ἀπαγγελιῶν, fragm. 3-7 ap. Euseb. *H. E.* 7, 25; *PG* 20, 695-704.
(2) R. Duval, *La littér. syriaque*[3] (1907), 42. Peŝitta versio non continet Apoc.
(3) *Carm.* 1, 12; *PG* 37, 474.
(4) *Catech.* 4, 36; *PG* 33, 500.
(5) *Carm. ad Seleuc.* 316 sq.; *PG* 37, 1597.
(6) *Ad Dardanum* ep. 129, 3; *PL* 22, 1103.
(7) *Adv. Eunom.* 4, 2; *PG* 29, 677.
(8) *Tract. in Ps. inscript.* 2, 10; *PG* 44, 541.
(9) *Adv. haer.* 3, 1, haer. 76; *PG* 42, 560.
(10) Andreas Caes., *Comm. in Apoc.*, Prol.; *PG* 106, 220. Ibid. Greg. Naz. et plures alii dixere Apoc. « librum divinum » esse.
(11) *Or.* 29, 17 et 42, 9; *PG* 36, 96 et 469.

sententiae testem in Occidente habemus Iunilium Africanum, qui dicit de Apocalypsi apud Orientales admodum dubitari (1). Dubia tamen postea iterum enata sunt (vide n. **60**).

Art. 3. — Epistolae catholicae minores.

56. Apud Eusebium ἀντιλεγόμεναι dicuntur 5 Epistolae: Iac., Iudae, 2 Petri, 2 et 3 Ioh. Revera *in Occidente* ante saeculum IV (n. **47**) Iac. parum nota, 2 Petr. prorsus ignota videtur, Iudae autem Romae et Carthagine habetur ut inspirata. In *Oriente* vero Alexandriae et in Palaestina (n. **48**) omnes sunt in canone. Attamen Origenes novit saltem 2 Petr., 2 et 3 Ioh. a quibusdam authentiam negari (n. **48**); Iac. et Iud. quoniam eodem loco non recenset, videtur sequi eas a nonnullis non recipi. S. Amphilochius (supra) anceps haeret de authentia ac proinde de canonicitate Epistolarum 2 Petr., 2 et 3 Ioh. et Iudae. S. Gregorius Nyss. non citat nisi 1 Petr. et 1 Ioh. Contra, S. Gregorius Naz. et S. Epiphanius omnes in canone inscribunt.

57. *Syri* praesertim et *Antiocheni* de 5 Epistolis illis dubitaverunt. Inter *Syros* Aphraates nullam ex catholicis Epistolis citat; *Doctrina Addai* non recenset eas inter scripta quae in Ecclesia legenda sunt. Catalogus quidam syriacus circa annum 400 scriptus omittit omnes Epistolas catholicas et Apocalypsin. *Pešitta* versio Iac., 1 Pet. et 1 Ioh. tantum continet (2). S. Ephraem, si operum eius versioni graecae fides habeatur, omnes Epistolas citavit; at in iis quae syriace servata sunt citat tantum 1 Petr. et 1 Ioh., probabiliter etiam Iac. (3). Ex *Antiochenis* Titus Bostr. nullam ex Epistolis catholicis videtur citare. Citant Apollinarius Laod. 1 Petr et 1 Joh., Diodorus Tars. easdem et 2 Petr., S. Ioh. Chrysostomus et Theodoretus Iac., 1 Petr. et 1 Ioh., Theodorus Mops. nullam, Polychronius Iac., Nestorius 1 Petr. (4). Dicendum ergo videtur Antiochiae et apud Syros, generatim 3 Epistolas quas

(1) *De part. div. legis*; *PL* 68, 18.
(2) R. Duval, *La littérature syriaque* [3] (1907), 42.
(3) W. Bauer, *Der Apostolos der Syrer* (1913), 41-53.
(4) Friedrich Maier, *Der Judasbrief* (*Bibl. Studien* 11 [1906], 1), 75 s.

Pešitta continet, in canone haberi. Ratio est quod ab ineunte saeculo III Syri cum Ecclesia Antiochena intimo commercio uniri videntur; eorum autem versio N. T. 3 illas Epistolas continet. Easdem 3 Epistolas *Nestoriani* solas ut canonicas habent (1).

De his Epistolis, ut de Apocalypsi, dubia evanuisse exeunte saeculo V et saeculo VI, testes sunt *apud Syros* PHILOXENUS, qui anno 508 syriacae versioni addidit Apocalypsin et 4 minores Epistolas; *apud Graecos Conc. in Trullo*, quod de Novo, ut de Veteri Testamento, Conciliorum Africanorum canonem describit. Nunc vero et *Graeci schismatici* et *Monophysitae* omnes canonem completum habent.

58. *In Occidente* vero, si quando dubium vel ignorantia fuit, certo saeculo V finem habuerunt: *Concilia* enim *Africana* Hippon. (393), Carthag. (397 et 419) et INNOCENTIUS I canonem completum tradunt. Verum est S. HIERONYMUM etiam exeunte saeculo IV de dubiis mentionem fecisse. At in Oriente scripsit, et ineunte saeculo V de singulis Epistolis catholicis vel nullum iam dubium exprimit vel dicit eas « in Ecclesiis auctoritatem obtinuisse ». Eodem modo, Latinorum opinionem de ep. ad Hebraeos saepius expressit, ipse tamen, etiamsi forsan aliquando cum Latinis consenserit, dicendus est saltem post 390 auctoritati orientalium Ecclesiarum adhaesisse, immo voluisse, si necesse foret, Latinis persuadere (2). De Apocalypsi vero nunquam dubitavit (3).

59. CANON N. T. SECUNDUM REGIONES DESCRIPTUS. — Si velimus compendio canonem illius aetatis describere, haec reperimus.

IN OCCIDENTE Epistola ad Hebraeos, 2 Petri et Epistola Iacobi, quae ante saec. IV ignorari videbantur, aucto commercio cum Oriente notae factae sunt et in canonem admissae. 2 et 3 Iohannis, quae probabiliter propter brevitatem rarissime citabantur, distinctius in Scripturarum catalogis sunt designatae.

IN ORIENTE diversae Ecclesiae distinguendae sunt.

Alexandriae quidem potest affirmari generatim omnes deuterocanonicos in canonem admissos esse; assertio Didymi († 395), 2 Petri non esse in canone, postea non repetitur.

---

(1) EBEDIESU ap. ASSEMANI, *Bibliotheca Orientalis*, 3, 1, p. 7.
(2) *Ad Dardanum* ep. 129, 3; *PL* 22, 1103-1104.
(3) L. SANDERS O. S. B., *Etudes sur S. Jérôme* (1903), p. 247-267.

Antiochiae et *apud Syros* e canone exsulant Apocalypsis et saltem 4 ex Epistolis catholicis. Quaenam fuerit in illis regionibus singulorum auctorum sententia, difficile quis dicat, cum eorum nemo catalogum texuerit librorum sacrorum N. T. Ex eorum citationibus sequi videtur (v. n. **57**) eos saeculo IV fere ea quae in versione Pešitta reperiuntur, ut canonica habuisse, i. e. 3 Epistolas: Iacobi, 1 Petri et I Iohannis; ceteras epistolas catholicas et Apocalypsin non citant. Postea tamen, si excipias Nestorianos, saeculo VI omnes recepisse videntur integrum N. T. (1) Notandum quoque ad tempora usque Theodoreti († 458) evangelium diatessaron in Ecclesia syriaca lectum esse.

Asiae minoris et *Cypri* auctores, quodam modo medii inter Antiochiam et Alexandriam, modo hanc modo illam sententiam videntur amplecti. S. Gregorius Nazianzenus et S. Amphilochius Apocalypsin non inscribunt in canone; prior omnes Epistolas catholicas dicit esse canonicas, alter inter sententias contrarias anceps videtur haerere. Contra S. Epiphanius totum N. T. in canone recenset.

In Palaestina tandem S. Cyrillus († 348) omnes catholicas Epistolas, non autem Apocalypsin scribit in canone.

Sic apparet Antiochiam fuisse quasi centrum dubitationum de Apocalypsi et Epistolis catholicis, cui plus minusve obsecuti sunt scriptores Asiae minoris et Palaestinae.

Apocryphi autem *in Oriente* et praesertim *Alexandriae* favorem obtinuerunt, imprimis *Doctrina Apostolorum*, *Pastor*, *Epistolae Clementis Rom.* et *Barnabae*, et *Apocalypsis Petri*. *In Occidente* vero *Pastor* a pluribus ut inspiratus habebatur, praesertim saeculo II, a pluribus autem non recipiebatur. *Apoc. Petri* a quibusdam videtur esse habita ut inspirata; nam fragmentum Muratorianum eam in canone (licet cum restrictione) recenset.

Caput III.

Post saeculum VI ad nostra tempora.

Art. 1. — Media aetate.

60. *Graeci* scriptores plures repetunt antiquos canones, ideoque omittunt Apocalypsin. Sic Nicephorus, patriarcha Constantinopolitanus († 828) [n. **33**] et Photius († c. 870) (2). Nicephorus Callistus (saec. XIV) canonem completum habet (3). S. Ioannes Damascenus († 750) addit libris sacris Canones Apostolorum.

---

(1) De canone Syrorum cf. W. Bauer, *Der Apostolos der Syrer* (1913) Th. Zahn in *Realenc. f. prot. Theol.*[3] 9 (1901), 789-791. 794 s.

(2) *Nomocanon*, tit. 3, c. 2; *PG* **104**, 1049.

(3) *Hist. Eccl.*, 45; *PG* 145, 880-885.

Latini vero scriptores qui dubia recensuerunt praesertim de Epistolis catholicis minoribus, ex operibus S. Hieronymi illa hauserunt; nemo tamen propterea ullum N. T. scriptum e canone eiecit vel minoris dixit esse auctoritatis (1). S. Isidorus Hispalensis, recitatis ex S. Hieronymo dubitationibus de Epistola ad Hebraeos et Epistolis catholicis, omnes tamen earum auctores appellat « scriptores librorum sacrorum » et « inspiratione divina » loquentes; « auctor autem earumdem Scripturarum Spiritus Sanctus esse creditur » (2).

Singulares sententias (praeter Iunilium Africanum) duas tantum in Occidente invenimus.

Saeculo x Aelfric et saeculo xii Ioannes Sarisberiensis (3) apocrypham Pauli epistolam *ad Laodicenses*, quae in codicibus latinis passim legebatur, et a multis scriptoribus genuina quidem (Pauli) sed non canonica habebatur (4), canonicis Pauli Epistolis adiungere voluerunt; a qua sententia non longe abfuit, ineunte saec. xvi, Faber Stapulensis, qui et illam ad Laodicenos epistolam et alias praeterea inter Paulum et Senecam missas in suum Epistolarum S. Pauli commentarium recepit (5).

Sub idem vero tempus inter postremos Scholasticos Card. Caietanus, S. Hieronymum male interpretatus (quasi S. Doctor dubia quae recenset, ipse sua faceret), Epistolas Hebr., Iac., 2 et 3 Ioh., Iud., quippe quarum auctores essent dubii, docuit esse dubias minorisve auctoritatis; ita ut harum testimonio « non possit, si quod dubium in fide accideret, determinari ». Eadem de causa extremam Marci particulam (16, 9-20) habet quidem ut genuinam; addit tamen, « quod haec scripta non sunt solidae authoritatis ad firmandam fidem, sicut sunt reliqua Marci indubitata » (6).

---

(1) Solus Iunilius Africanus (cf. n. **33. 55**) canonem refert Theodori Mopsuesteni.

(2) *De eccl. offic.* 1, 12, 11; *PL* 83, 749.

(3) *Ep.* 143, al. 172; *PL* 199, 126.

(4) Cfr. Jacquier, *Le N. T. dans l'Eglise chrétienne*, 1, p. 345-357.

(5) Jacobi Fabri Stapulensis — In *omneis D. Pauli Epistolas Commentariorum libri XIV*. Parisiis 1512. Ceterum de his apocryphis Pauli epistolis vide infra, n. **128-130.**

(6) *Comm. in S. Script.* Lugd. 1639, t. 5, 329. 362 *b*. 398 *b*. 399 *b*.

Art. 2. — Temporibus Tridentini Concilii.

61. Primi Reformatores, variis iisque falsis criteriis usi, non inter se consentiebant de canone N. T. *Lutherus* Apocalypsin et 3 Epistolas (Hebr., Iac., Iud.), *Zwinglius* Apocalypsin, *Œcolampadius* omnes deuterocanicos abiciebat. Plures, etsi canonicitatem eorum non negabant, authentiam in dubium vocabant. Postea *Flacius Illyricus* († 1575) deuterocanonicos in altera classe extra canonem ponebat. *Centuriatores Magdeburgenses* potius tres Epistolas tantum (Iac., Iud., Hebr.) excludebant; *Chemnitius* vero omnes deuterocanonicos reiecit (1), eiusque sententiae adhaeserunt usque ad saeculum xvii Lutherani. Calviniani vero canonem completum servaverunt, ad quem etiam Lutherani saeculo xvii redierunt.

62. Inter catholicos etiam, sed *ob rationes* potissimum *litterarias*, renatis litteris et codicibus graecis N. T. in Occidente diffusis et ad Scripturarum studium adhibitis, moveri coepta sunt dubia de authentia sive quarumdam Epistolarum, sive aliquot pericoparum Evangelii, quae in aliquibus codicibus deerant, v. gr. Mc. 16, 9-20; Lc. 22, 43 sq.; Ioh. 7, 53-8, 11. Dux in hac via fuit praecipuus Desid. Erasmus († 1536), qui tunc auctoritate plurimum valebat apud antiquitatis studiosos. Notandum vero, tum Erasmum tum eius asseclas non clare distinxisse inter scripti *genuinitatem* (num sit eius auctoris, cuius nomen praefert) et *canonicitatem* (num sit inspiratum et inter divinos libros recensendum). Plerumque priorem proprie impetebant, sed hoc ipso et altera (canonicitas) in discrimine erat.

63. In Concilio Tridentino dubia proposita sunt de Hebr., Iac., 2 Ioh., Apoc.; sed praesertim de pericopis Evangeliorum, quoniam de his nullum expressum documentum in traditione Ecclesiae habebatur. Facile quidem convenit, eas esse inter Scripturas canonicas recipiendas; sed diu disputatum est, an essent expresse nominandae in decreto; item generatim, an decretum esset muniendum anathemate contra negantes (*Conc. Trid.* 5, 39-57).

(1) Chemnitius, *Examen Concilii Tridentini* 1, sect. 6 § 9.

Diutinae discussionis fructus fuit ultimum decreti comma (post canonem supra relatum p. 3).

> « *Si quis autem ipsos libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit* » (1).

Ad huius commatis, de quo multa ultro citroque dicta sunt (2), intellegentiam, haec adnotasse sufficiat:

1. Extra controversiam est, verbis decreti comprehendi omnes omnino libros et librorum partes, de quibus tunc quaestio erat cum novatoribus vel inter catholicos.

2. Vix etiam dubitari potest, quin etiam ad alias s. librorum partes extendatur decretum. Nam ex ipsis decreti verbis apparet, Patres Tridentinos noluisse partes controversas nominatim recensere, sed harum *occasione* decretum *generale* tulisse de omnibus omnium librorum partibus, ad S. Scripturae integritatem plene tuendam.

3. Quantum pateat vis illius vocis « partibus » disceptatum est inter catholicos. E Concilii Actis fundamento caret sententia, quae, distinctione facta v. gr. inter *partes* et *particulas*, id vocabulum restringat ad partes maiores, vel integrantes, vel alicuius momenti, etc. Immo in Actis pericopae, de quibus erat decernendum, indifferenter nunc *partes* (v. g. *Conc. Trid.* 5, 41, 26), nunc *particulae* (v. gr. *ib.* 5, 41, 24; 43, 30; 45, 35), nunc *fragmenta* (*ib.* 5, 42, 35; 43, 9. 15. 42), nunc *capita* vel *capitula* (*ib.* 5, 42, 45) nominantur.

---

(1) *Conc. Trid.*, 5,91, 27; Denz.–B. n. 784. Verba hic omissa pertinent ad « non scriptas traditiones » quae huc non faciunt.

(2) Cf. I. M. A. Vacant, *Etudes théologiques sur les Constitutions du Concile du Vatican* 1 (Paris 1895), p. 399-423; G. Bonaccorsi, *Questioni Bibliche*, p. 8-21 et antiquiores auctores ibi citatos. Vacant (l. c.) illa verba: « prouti in Ecclesia catholica legi consueverunt », putat referri ad solas « partes » et particulam « prout » sumit in sensu formali « secundum maiorem vel minorem certitudinem, qua in Ecclesia admissae sunt ut canonicae », ut deducat non esse omnino definitam omnium partium deuterocanonicarum canonicitatem. Utrumque falso. Nam « prout » etc. refertur non minus ad « libros integros » quam ad eorum partes et fere stat pro « qui [libri] et quae [partes] » materialiter sumpti vel sumptae.

4. Tum ex obiecto ipso decreti (quoniam agitur hic de libris definiendis qui sint inspirati (1) et ideo divina praediti auctoritate), tum ex Actis Concilii (2), latina vulgata editio hic sumitur tantum ut *mensura* et *criterium* ad diiudicandum de divina origine alicuius textus. Ceterum verba Concilii proprie referuntur ad textus originales, qui soli sunt inspirati, non vero ulla versio aut certe non Vulgata latina. Ad valorem Vulgatae directe pertinet tantum alterum Tridentini decretum de quo erit infra nobis agendum (lib. III, ad finem). Utique tam hic quam illic Vulgata versio intellegenda est in genere, non aliquis Vulgatae codex aut editio particularis (3).

5. Quoniam hic Vulgata spectatur non in se, sed in sua relatione ad textum originalem, seu prouti est versio, hinc e natura vel qualitate versionis fieri potest, ut in ea sit aliqua sententia, cui nil respondeat in textu originali, ac proinde non sit inspirata: exemplo sit in N. T. Apoc. 9, 11 « quod latine nomen habet exterminans »; in V. T. Lev. 6, 11 « et... usque ad favillam consumi faciet »; Iud. 11, 39 « et consuetudo servata est » (4).

---

(1) Notandum: 1° Tridentinum uti verbis « pro sacris et canonicis », ut complectatur utramque formalitatem (inspirationis et canonicitatis), de qua diximus n. 4; — 2°. Concilium Vaticanum (Denz.-B. n. 1787), repetens ac sua faciens verba Tridentini, illa epitheta « sacris et canonicis » explicare per rationes formales, nempe quod sunt a Deo inspirati, et ut tales Ecclesiae traditi.

(2) In primo decreti schemate erat tantum: « Si quis autem libros ipsos et traditiones praedictas violaverit, anathema sit » (*Conc. Trid.* 5, 32, 15); cetera ad declarationem et ad ambiguitates praecavendas addita sunt. Cfr. *Conc. Trid.* 5, 55, 16; 57, 27, 70, 2, 43, etc.

(3) Cum in Concilio Vaticano aliquis peteret, ut pro « in veteri vulgata latina editione habentur » poneretur: « in vulgata latina editione Clementis VIII auctoritate promulgata habentur », Episcopus Brixinensis, relator Concilii, respondit: « Haec emendatio non potest admitti, quia omnino res diversae sunt. Vulgata latina ab ipso Concilio declarata tanquam authentica, et emendationes factae per Pontifices subsequentes, cum res sint omnino differentes, non debent confundi » (*Coll. lac.* 7, col. 123 *b*. 141 fine; Mansi 51, 265. 284, n. 29). Sic v. gr. de celebri commate Iohanneo (I Ioh. 5, 7) solvenda est ante omnia questio, num in Vulgata sit genuinum, sive in Ecclesia semper legi consueverit, antequam pro illo invocetur decretum praesens. Idem dicas de quibusdam versiculis qui sunt in editione Vulgatae clementina, absunt a textu hebraico, praesertim in libris Samuelis, seu 1. 2 Regum, et Proverbiorum.

(4) Cfr. De Hummelhauer, *Comment. in libr. Iud.*, p. 20-22; Condamin in *Rech. de sc. relig.* 3 (1912) p. 111.

Art. 3. — A Tridentino ad nostra tempora.

64. Post Tridentinum inter catholicos iam nulla fuit controversia de ambitu canonis N. T.; etiam de authentia singulorum librorum ac partium, quam Tridentinum, de canonicitate in primis sollicitum, non definiverat, vix fuit ullum dubium. Tantum recenti tempore disputarunt aliqui de authentia alicuius libri (Hebr., 2 Petr.) vel partis v. gr. pericopae de adultera (Ioh. 7, 53-8, 11), quae, cum admittatur ut canonica, dubitatur tamen num sit Iohannis, an potius ad traditionem synopticam pertineat (1).

Inter Protestantes primus J. S. Semmler († 1791) ad subiectivum Lutheri criterium reversus, quaestionem de canone N. T. renovavit (2), Apocalypseos canonicitatem negavit, Epistolae ad Philemonem dubiam dixit; J. D. Michaelis (1791) dubitavit de canonicitate Hebr., Iac., Iud., et Apoc.

65. Sed iam, exorto rationalismo, pruritus in annos maior invasit *authentiam* singulorum librorum N. T. denegandi, eorumque compositionem ad *aetatem* apostolicis temporibus multo seriorem (v. gr. usque ad 180-200 p. C.) amandandi; qua de re multa erunt dicenda in parte speciali. Simul, denegata cum toto ordine supernaturali s. librorum inspiratione, vel eius conceptu corrupto, in saec. XIX apud Protestantes canon N. T. vel evasit nomen sine re; vel idem significavit ac « primitiva litteratura christiana » (quod ipsum nomen nunc passim pro illo usurpatur), sine ulla specifica distinctione, qua libri canonici secernantur a scriptis humanis, puta Patrum apostolicorum.

Itaque Protestantes, dum ad sententiam Ecclesiae primorum saeculorum redire se velle saepissime professi sunt (3), praeiudiciis et falsis principiis abducti, paulatim a veritate prorsus erraverunt. Ecclesia vero catholica, dum apostolicis traditionibus nixa procedit, Spiritu Sancto duce, scriptorum tam Veteris quam Novi Testamenti collectionem integram servavit eorumque characterem sacrum in tuto posuit.

---

(1) Cfr. van Kasteren, in *Rev. Bibl.* 1911, 96-102.
(2) *Abhandlung von der freien Untersuchung des Kanons* Halle 1771.
(3) Vide v. gr. auctores citatos in notis ad nn. **20. 23.**

APPENDIX

I

DE LIBRIS APOCRYPHIS

auctore P. Ioh. B. Frey, Congr. S. Sp.

PRAENOTANDA

66. Apud catholicos *apocryphi* vocantur libri qui, utpote a Deo non inspirati, ab Ecclesia extra canonem librorum sacrorum ponuntur, licet, ratione tituli aut argumenti, auctoritatem divinam sibi arrogare videantur vel ut libri inspirati apud quosdam olim habiti sint.

Apud protestantes, nomine apocryphorum V. T. veniunt illi libri et partes librorum qui exstant quidem in Vulgata, at desiderantur in canone Judaeorum, i. e. libri deuterocanonici, quibus adiungunt *Orationem Manassae*, 3 *Esdrae*, quandoque etiam 4 *Esdrae*, 3 et 4 *Machabaeorum*. Illos autem quos vocamus apocryphos, ipsi plerumque pseudepigraphos (i. e. falso nomine inscriptos) appellant. In designandis apocryphis N. T., tum catholici tum protestantes conveniunt.

67. Vi etymologiae, *apocryphum*, ἀπόκρυφον, est res oculis subtracta abscondita, secreta.

Antiquitus, in sectis quibusdam religiosis aut philosophicis, apocryphi vocabantur libri secretiores, doctrinam esotericam continentes, qui in magno honore habebantur; cf. Clem. Alex., *Strom.* 1, 15, 69; *PG* 8, 775.

Apud Judaeos, quidam libri vocabantur *genûzîm*, « sepositi », i. e. usui communi subtracti, non quia de eorum indole dubitabatur, sed quia sacri, at aetate consumpti vel defectu quodam laborantes, in lectione publica non adhibebantur neque destrui poterant, ideoque in « *thesauro* » seu repositorio, *genîza*, asservabantur; cf. *Šabbath* 9, 6; *Sanhedrin* 10, 6. Libri isti « sepositi » nullatenus respondent libris « apocryphis ». Alii vero nominabantur *ḥiṣonim*, «qui extra sunt », *scilicet* extra censum librorum sacrorum; inter hos quidam legi poterant, « tamquam litterae », licet non in eodem gradu cum canonicis poni permitterentur

(*jer. Sanh.* 10, 28a); sed alios rabbini maximo cum rigore proscribebant. R. Aqiba omnem partem in saeculo futuro abiudicat ei qui libros « exteros » legit (*Sanh.* 11, 1); ex *bab. Sanh.* 100b clare apparet ibi agi de libris haereticorum, sc. christianorum; cf. JOEL, *Blicke in die Religionsgeschichte zu Anfang des zweiten christlichen Jahrhunderts*, I, Breslau 1880, p. 68-76; BACHER, *Die Agada der Tannaiten*, vol. 1, *Von Hillel bis Akiba*², Strassburg 1903, p. 338.

Apud Patres et scriptores ecclesiasticos, libri apocryphi diversimode intelliguntur:

1. *Libri occultae originis* vel *falsis auctoribus adscripti.* S. HIERONYMUS: « Caveat omnia apocrypha. Et si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere voluerit, sciat non eorum esse quorum titulis praenotentur»; ep. 107, *ad Laetam*, n. 12; *PL* 22, 877. S. AUGUSTINUS: « Omittamus earum scripturarum fabulas quae apocryphae nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit patribus »; *De civ. Dei* 15, 23, 4; *PL* 41, 470; cf. *contra Faustum* 11, 2; *PL* 42, 245.

2. *Libri qui*, quandoque forsan utiles, attamen *multa falsa continent.* ORIGENES: « Multa in iis (apocryphis) corrupta et contra fidem veram inveniuntur a patribus tradita »; *Prol. in Cant.*, *PG* 13, 83 s. S. AUGUSTINUS: « In his autem apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica auctoritas »; *loc. cit.*

3. *Libri qui ad lectionem publicam in ecclesia non admittuntur.* RUFINUS: « Ceteras vero Scripturas apocryphas nominarunt (patres), quas in ecclesiis legi noluerunt »; *Expos. Symb.* n. 38; *PL* 21, 374. Sic opponuntur apocryphi libris « communibus », « manifestis », « publicis »; cf. ORIG., *in Matth.* 23, 37-39; 24, 23-28; 27, 3-10; *PG* 13, 1636 s. 1667. 1769.

4. Cohaerenter ad praecedentia, *libri qui non sunt canonici.* S. HIERONYMUS: « ...ut scire valeamus, quidquid extra hos (i. e. viginti quatuor libros canonicos V. T.) est, inter apocrypha esse ponendum »; *Prolog. galeat.*; *PL* 28, 556.

68. Ex his patet, libros apocryphos haberi generatim apud veteres ut scripta indolis religiosae, incertae vel spuriae originis, quae quibusdam veris plura falsa admixta continent et ab ecclesiastica auctoritate tamquam non canonica reiciuntur.

Inter antiquos, solus Hieronymus, « veritati hebraicae » nimium favens, libros deuterocanonicos V. T. *apocryphos* nominavit (*Prol. gal.*), ideoque modus loquendi protestantium omni solido fundamento caret. Cf. p. 9.33.

69. *Dividuntur* apocrypha, secundum eorum relationem ad Biblia, generatim in apocrypha Veteris Testamenti et apocrypha Novi Testamenti, prout argumentum ad illud aut ad istud spectans tractant. Illa fere semper a Iudaeis, ista semper a Chri-

stianis conscripta sunt. Plura apocrypha iudaica a christianis interpolata vel retractata sunt.

70. *Scopus* auctorum fuit multiplex. Nam apocrypha judaica alia sunt potius indolis *halachicae* seu juridicae, et Legem mosaicam novis praescriptionibus munire conantur; alia indolis *haggadicae* seu moralis (1), et historiam biblicam fictis narrationibus vel piis adhortationibus exornant; alia demum indolis *apocalypticae*, et sub nominibus suppositis patriarcharum vel prophetarum liberationem messianicam iamiam imminentem vaticinantur ut animos Iudaeorum variis calamitatibus oppressos in spem erigant.

Apocrypha christiana plerumque curiositati fidelium satisfacere intendebant, multa narrando, quandoque pia, quandoque puerilia, de infantia Christi, de eius vita publica, de eius descensu ad inferos, de nativitate B. M. Virginis, de eius sponsalibus cum B. Ioseph, de eius transitu, de itineribus et doctrinis apostolorum aut aliorum hominum celebriorum. At saepe etiam ab haereticis conficta sunt ad sua falsa dogmata sub ementitis nominibus commendanda.

71. Hinc *periculum* gravissimum sinceritati fidei catholicae exstitit, et Ecclesia summopere eorum diffusioni obstitit. Jam fragmentum Muratorianum haec habet: « Fertur etiam ad Laodicenses (epistula), alia ad Alexandrinos, Pauli nomine fictae ad haeresim Marcionis, et alia plura, quae in catholicam Ecclesiam recipi non potest; fel enim cum melle misceri non congruit » (lin. 63-68). Pluries Summi Pontifices vel Concilia libros apocryphos proscripserunt. Decretum etiam Gelasianum elenchum copiosissimum talium librorum, ab haereticis aut schismaticis vel saltem ab auctoribus suspectis conscriptorum, exhibet eosque omnes anathemate plectit. Cf. Cav. *Thes.* n. 39.

Haec iusta severitas antiquae Ecclesiae ad fidem tuendam ex parte causa fuit cur tot apocrypha perierint. Attamen numerus sat magnus superest.

---

(1) De *halacha* et *haggada* apud Iudaeos cf. lib. 3 n. 13.

72. Non desunt motiva quae suadent *studium* librorum apocryphorum. Siquidem apocrypha V. T. ideas religiosas et morales apud Iudaeos tempore Christi vigentes nobis exhibent ac ita ad intellegentiam Novi Testamenti operisque Salvatoris et Ecclesiae primitivae haud parum prosunt. Apocrypha autem N. T. multum conferunt ad cognitionem doctrinarum et opinionum apud fideles vel in sectis, primis saeculis christianis, exsistentium. Quandoque etiam fide digna continent quae dogmatum rerumque ecclesiasticarum historiae inserviunt; e. gr. Protoevangelium Iacobi primum est documentum quod nobis referat nomina parentum B. M. V. et eius in Templo Praesentationem narret.

Ceterum, plura ex illis a Patribus vel scriptoribus ecclesiasticis cum honore allegantur. 3 Esdrae, non solum in versione alexandrina, sed etiam in codicibus quibusdam veteris Latinae inter libros canonicos locum occupat. Liber Henoch in Bibliis aethiopicis invenitur. Immo ipsa Ecclesia romana, in editione Clementina, post libros canonicos, typis minoribus adiunxit Orationem Manassae, 3 et 4 Esdrae, « ne prorsus interirent, quippe qui a nonnullis sanctis Patribus interdum citantur, et in aliquibus Bibliis latinis tam manu scriptis quam impressis reperiuntur », uti legitur in monitione praemissa.

Liturgia romana plures textus apocryphorum recepit. Ex. gr. verba « Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis », ex 5 Esdr. (4 Esdrae 1-2) 2, 34 s. desumpta sunt. Cf. etiam ibid. 2, 35 cum Antiphona ad Magn. (1 Vesp.), cum Responsorio 4 et Versu II Nocturni in Communi App. et Mart. T. P.; 2, 36 s. cum Introitu in feria IV post Dominicam Pentecostes; 2, 45 cum Resp. 6 in Communi App. et 5 Antiphona in II Vesp. plurium Mart.; 6 Esdr. (4 Esdr. 15-16) 16, 53 cum 5 Antiphona et Versu Laudum in Vigilia Nativitatis Domini; 3 Esdr. 5, 40 cum Offertorio in Missa pro eligendo Summo Pontifice; Orat. Manas. 9 s. cum 1 Resp. in feria IV post Dominicam Trinitatis et cum Resp. 7 in Dom. III post Pentecosten; v. 13 cum Resp. 1 in feria IV post Dom. II post Epiphaniam; Psalmum 151, 3.4 cum Resp. 2 in Dom. III-XI post Pent. et sequentibus quintis feriis.

Addendum est, in artis christianae monumentis multa nonnisi ex apocryphis plene intellegi posse.

Tandem, ex comparatione apocryphorum cum libris inspiratis clarius elucet quantopere isti emineant tum meritis litterariis tum in rebus religiosis auctoritate.

CAPUT I

DE APOCRYPHIS VETERIS TESTAMENTI

73. Ratione materiae apocrypha V. T., ad exemplum Librorum sacrorum, in tres classes distribui queunt: historica seu narrativa, prophetica seu apocalyptica, didactica seu moralia, prout sc. facta narrant, vel futura praedicunt, vel doctrinam ad mores spectantem proponunt. Attamen distinctio nullatenus est adaequata; saepissime enim genera commiscentur, ita ut plura apocrypha, quasi eodem iure, in hanc vel illam classem collocari possent.

Hic secundum eam distinctionem, quae commodior videtur, sub uno conspectu exhibentur apocrypha V. T., in classes disposita.

Classis 1: **Apocrypha historica:**

1) Liber iubilaeorum.
2) 3 Esdrae.
3) 3 Machabaeorum.
4) Vita Adae et Evae — Apocalypsis Mosis — Testamentum Adae — Scripta Adamitica armena.
5) Ascensio Isaiae.
6) Historia Rechabitarum.
7) Paralipomena Ieremiae seu Reliquiae verborum Baruchi.
8) Liber orationis Aseneth.
9) Testamentum Iob.
10) Testamentum Salomonis.

Classis 2: **Apocrypha prophetica** sive **Apocalypses**:

11) Liber Henoch aethiopicus.
12) Liber Henoch slavicus.
12-*a*) **Liber Henoch hebraicus.**
13) Assumptio Mosis.
14) 4 Esdrae.
15) Apocalypsis Baruch syriaca.
16) Apocalypsis Baruch graeca.
17) Apocalypsis Abrahae.
18) Testamentum Abrahae.
19) Apocalypsis Eliae — Apocalypsis Sophoniae.
20) Apocryphum Ezechielis.
21) Oracula Sibyllina.

Classis 3: **Apocrypha moralia seu didactica:**

22) Testamenta duodecim Patriarcharum.
23) Psalmus David idiographus (151).
24) Psalmi Salomonis.

25) Odae Salomonis.
26) Oratio Manassae.
27) 4 Machabaeorum.

N.B. Libris apocryphis stricte dictis non accensemus *Historiam et Sapientiam Ahikar Assyri*, de quo cf. F. Nau, *Histoire et Sagesse d'Ahikar, l'Assyrien*, Paris 1909; nec 5 Machabaeorum, etiam *arabicum* appellatum, de quo cf. Vigouroux, *Dict. de la Bible* 4, 502-505; Migne, *Dict. des apocr.* 1, 475; nec *Documentum Zadoqaeum*, nuper in Geniza Cairensi inventum, et editum a *S. Schechter, *Documents of Jewish Sectaries, I, Fragments of a Zadokite Work*, Cambridge, 1910. Cf. I. B. Frey. «Apocryphes», in Supplemento ad Vigouroux, *Dict. de la Bible* I (1926), 396-403, ubi de hoc opere fusius disputatur et bibliographia completa exhibetur.

Litteratura libros apocryphos V. T. spectans his ultimis decenniis in immensum crevit. Brevitatis gratia, pauca tantum ex operibus recentioribus recensemus, et bibliographiam in singulos libros omittimus.

Textus et translationes: *M. R. James, *Apocrypha Anecdota* 1-2 (Texts and Studies 2, 3 et 5, 1), Cambridge 1893-1897. *Kautzsch, *Die Apokryphen und Pseudepigraphen des Alten Testaments* 2 vol., Tübingen, 1900 et 1921. *R. H. Charles, *The Apocrypha and Pseudepigrapha of the Old Testament in English*, edited in conjunction with many scholars, 2 vol., Oxford 1913. Paul Riessler, *Altjüdisches Schrifttum ausserhalb der Bibel*, Augsburg 1928.

Commentationes: Consuli possunt, praeter eas quae habentur in Encyclopaediis vel Lexicis biblicis: Cornely, *Historica et Critica Introductio in U. T. Libros*, 1, Introductio Generalis[2], Parisiis 1894, p. 210-227. *W. Bousset-Gressmann, *Die Religion des Iudentums im späthellenistischen Zeitalter*[3], Tübingen 1926, p. 6-52. Lagrange, *Le Messianisme chez les Juifs* (150 av. J. C. à 200 ap. J. C.), Paris 1909. * Schuerer, *Geschichte des jüdischen Volkes*[4], 3, Leipzig 1909 p. 268-468. 524-528. 555-592. Felten, *Neutestamentliche Zeitgeschichte*[2-3], Regensburg 1925, 1, p. 537-642. Székely, *Bibliotheca Apocrypha*, 1, Friburgi Brisgoviae 1913. *M. R. James, *The lost Apocrypha of the Old Testament*. Their title and fragments collected, translated and discussed, London 1920. J. B. Frey, « Apocryphes de l'Ancien Testement » in Supplemento ad Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible* I (1926), 354-460, ubi bibliographia completa de singulis libris invenitur. Cfr. *ibid. s. v.*: « Abraham », 28-38, et « Adam », 101-134.

Classis 1. APOCRYPHA HISTORICA

1) Liber iubilaeorum.

74. Nomen accepit ex eo quod historiam a creatione mundi usque ad legislationem sinaiticam in iubilaea, i. e. in periodos 49 annorum, dispescit. Vocatus est etiam *Leptogenesis*, seu *Parva*

Genesis, quia Genesim minutatim commentatur, et *Apocalypsis Mosis*, quia Moses per angelum rerum narrandarum revelationem accepisse dicitur. Haec continet:

Dum Moses in monte Sinai commoratur, a Deo iubetur ea omnia conscribere quae ipsi ostenderentur. Dictante *angelo faciei*, qui tabulas coelestes, in quibus omnia consignata iacent, perlegit, Moses scriptis mandat historiam mundi inde a creatione usque ad exitum populi israelitici ex Aegypto. Auctor generatim textum biblicum sequitur, ad modum commentarii *haggadici*, augendo vel etiam tacite mutando verba inspirata eaque ad placita sua accommodando; praescriptionibus legalibus insistit plurimumque eis interpretationes proprias *halachicas* imponit. Multa habet communia cum chronicis et *midrašîm* iudaicis (1).

Auctor pro scopo sibi praefixit Iudaeis originem divinam legislationis ac traditionum inculcare, ipsos in fide confirmare et ab usibus Gentilium avertere.

75. Plura suadent librum in secunda parte II saeculi ante Christum conscriptum esse. Huc spectat praesertim glorificatio Levi et filiorum eius (cf. 31, 15), quae haud dubie alludit ad principes Hasmonaeos, ex tribu Levi ortos.

De auctore haec cum certitudine dici possunt: est Iudaeus Palaestinensis, pius, Legis observantissimus, dynastiae machabaicae devotus, licet tribui Iudae honorem relinquat Messiam producendi. Jellinek eum putat Essenum, Pharisaeis infensum; Leszynsky, Sadducaeum; B. Beer, Samaritanum; Singer, Iudaeo-christianum; maior pars criticorum, Pharisaeum vel saltem ad sectam Pharisaeorum accedentem. Priores sententiae certo excludendae sunt, ultima vero contra se habet non spernenda argumenta. Sed necesse non est omnes scriptores iudaicos alicui determinatae sectae addicere.

Hoc apocryphum, hebraeo idiomate exaratum, in syriacum et in graecum versum est; e versione graeca profluxerunt versio aethiopica et versio latina.

Citatur in Documento Zadoqaeo, nuperrime in geniza Cairensi invento, a S. Epiphanio, a S. Hieronymo et a pluribus scriptoribus

(1) Cf. CHARLES, *The Book of Jubilees*, London 1902, p. LXXV-LXXXIII.

ecclesiasticis (1). In decreto Gelasiano, « Leptogenesis » recensetur inter apocrypha.

76. Exstant textus aethiopicus completus, fragmenta syriaca ac latina, citationes quaedam graecae, duae parvae narrationes midrašicae plus minusve parallelae, lingua hebraica exaratae.

Textum aethiopicum ediderunt: *A Dillmann (Kiel 1859) et praesertim Charles, *The Ethiopic Version of the Hebrew Book of Jubilees* (Anecdota Oxoniensia, Semitic Series, part 8), Oxford 1895. Editio haec, quae quatuor codicibus aethiopicis innititur, exhibet etiam fragmenta latina, citationes graecas, textus hebraicos parallelos et excerptum quoddam syriacum. Septemdecim nova fragmenta syriaca, ex Chronico syriaco, anonymo, collegit E. Tisserant, *Revue Biblique* 1921, 55-86. 206-232

Versiones textus aethiopici adornarunt:

anglice: * Schodde (1885-1887); Charles, *The Book of Jubilees or the Little Genesis*, translated from the editor's Ethiopic text, London 1902; idem, in opere: *The Apocrypha and Pseudepigrapha of the O. T.* Oxford 1913, 2, 1-82; idem, *The Book of Jubilees*, with an introduction by the Rev. Canon Box (Translations of early Documents), London 1917.

germanice: Dillmann (1850-51); Littmann, apud Kautzsch, *Apokryphen und Pseudepigraphen des A. T.*, Tübingen 1900, 2, p. 31-119; P. Riessler, *op. cit.*, p. 539-666.

russiace: Smirnof, Kasan 1895.

2) 3 Esdrae.

77. Liber hic, apud Septuaginta et in versionibus quae e textu alexandrino derivantur (nempe vetere latina, syro-hexaplari, aethiopica, armena), inter libros canonicos invenitur et *Esdras A* (primus) inscribitur, dum ibidem libri canonici Esdrae et Nehemiae, in unum coniuncti, *Esdrae B* (secundus) vocantur. In Vulgata, appendicis instar adiicitur.

Opus fere totum narrationibus quae inveniuntur in scriptis canonicis (Paralip., Esdr. - Nehem.) constat. Propria habet tantum 3, 1-5, 6, ubi describitur certamen custodum Darii regis circa quaestionem quid esset fortius omnibus, vinum, reges, mulieres, an veritas.

78. Multum disceptatur inter criticos de origine hujus libri. Plures tenent *Esdram A* (3 Esdr.) esse veram versionem septuagin-

(1) De Documento Zadoqaeo vide supra, n. **73.** Citationes scriptorum ecclesiasticorum amplissime collegit et illustravit * H. Rönsch, *Das Buch der Jubiläen*, Leipzig 1874, p. 251-382.

taviralem libri hebraici Chronicorum post-exilicorum et *Esdram B* (Esdr.-Neh.) forsan nil aliud esse quam versionem Theodotionis. Alii censent librum esse compilationem ex documentis canonicis graecis serius factam. Probabiliter dici potest auctorem non compilasse textus nostros graecos nec prae manibus habuisse librum Esdrae canonis hebraici, sed directe vertisse textum primigenium hebraeo-aramaicum a textu masoretico in pluribus discrepantem. Fragmentum quod ipsi est peculiare, aliunde transumpsit. In 3 Esdrae ordo historicus frequenter est turbatus, et generatim textus masoreticus ei praeferendus videtur.

79. Gravior adhuc excitatur difficultas circa canonicitatem libri. Siquidem negari vix potest «in ecclesia graeca et latina usque ad v saec. Esdrae graeco divinam attributam esse auctoritatem» (Cornely, *Hist. et Crit. Introductio in U. T. Libros*, vol. 1², Parisiis 1894, p. 215). Unde, multi protestantes (Howorth, Volz, Gwynn, Charles) conclamant librum hunc vere habendum esse ut canonicum, eumque immerito a S. Hieronymo, a Conciliis Florentino et Tridentino, in censu Librorum sacrorum esse omissum. Fatendum est 3 Esdrae inter canonicos recenseri in multis codicibus manuscriptis versionis graecae ac veteris latinae, immo a non paucis Patribus (v. gr. Dionysio Alex., Athanasio, Basilio, Cypriano, Augustino) eius verba tamquam inspirata allegari. Sed notandum est, hoc nec universaliter nec constanter factum esse; nam multi Patres et scriptores ecclesiastici, quando enumerant, quasi ex officio, libros in Ecclesia receptos, illum tantum Esdram agnoscunt qui Esdrae nostro hebraico respondet, ac proinde excludunt 3 Esdram (Melito, Origenes, S. Athanasius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Cyrillus Hier., S. Epiphanius, Rufinus, S. Hieronymus, Leontius, Iunilius); praeterea plures Patres tamquam canonicitati 3 Esdr. faventes adducuntur, quorum sententia revera est incerta. Hoc unum dici potest, per quoddam tempus rem non fuisse in comperto et plures, practice potius quam thetice, auctoritatem divinam libro tribuisse; hoc eo facilius contigit quod major ejus pars documentis, quae reperiuntur etiam in libris canonicis, constat. At inde a saeculo v, saltem in Ecclesia latina, ut apocryphus ab omnibus est agnitus.

Habetur:

graece: in editionibus alexandrinae versionis (LXX); v. gr. SWETE 2, 129-161,

latine: in plerisque editionibus Vulgatae; alia praeterea versio in SABATIER, *Bibliorum sacr. latinae versiones antiquae*, 3, 1041-1068.

syriace: *WALTON, *Biblia Polyglotta*, Londini 1657, 4, p. 1-29; *P. de LAGARDE, *Libri V. T. apocryphi syriace*, Lipsiae, 1861.

aethiopice: DILLMANN, *Biblia V. T. aethiopica*, Berolini 1894, t. 5.

armeniace: in S. Bibliorum ed. Veneta, 1860, p. 415 ss.

Versiones modernas adornarunt:

anglice: *BISSEL, *The Apocrypha of the O. T.*, New York 1880, p. 62 ss.; *LUPTON, ap. WACE, *Apocrypha*, London 1888, 1, p. 1-69; *COOK, ap. CHARLES, *The Apocrypha and Pseudepigrapha of the O. T.*, Oxford 1913, p. 1-58.

gallice: MIGNE, *Dict. des Apocr.*, 1, Paris 1856, col. 513-570; GRIESBACH, ap. CRAMPON, *La Sainte Bible traduite en français*, Paris 1904, 7, p. 522-557.

germanice: *GUTHE, ap. KAUTZSCH, *Die Apokryphen*, 1, p. 1-23.

3) 3 Machabaeorum.

80. Immerito titulus hic libro impositus est, cum nihil contineat de Machabaeis. Sed in pluribus codicibus versionis alexandrinae duos libros canonicos Machabaeorum subsequitur eisque quoad argumentum quadantenus similis est, cum narret persecutionem in Iudaeos aegyptios a rege Ptolemaeo IV Philometore (221-204) motam.

Narrat prolixe quomodo rex Ptolemaeus IV, a Iudaeis Hierosolymitanis impeditus quominus in Templum intraret, coeperit vexare Iudaeos suae ditioni subiectos ac tandem eorum numerum ingentem Alexandriam traduxerit ut in hippodromo pedibus elephantum conculcarentur, at praesentissimo Dei auxilio a morte servati sint.

Narratio fabulam midrašicam sapit; non pauca in ea habentur inverosimilia, hyperbolica, immo et inepta. Eventus illius miraculosi nullum in aliis libris iudaicis exstat vestigium. Verum quidem est Iosephum simile quid narrare de Ptolemaeo VII Physcone (170-164. 145-117); sed tempus non congruit et multae aliae circumstantiae sunt diversae (*C. Apionem* 2, 5). Forsan sub duplici hac forma latet nucleus quidam historicus.

81. Scopus auctoris est in popularibus suis sensum nationalem et religiosum fovere, eorum spem in Deum ejusque erga Iudaeos munificentissimam providentiam augere, forte etiam eos, in persecutione quadam positos, hortari ac consolari.

Scripsit graece, in Aegypto, saeculo I ante vel saec. I post Christum, probabilius ante destructionem Templi.

Exstat:

graece, in editionibus versionis LXX, v. gr. SWETE, 3, p. 709-728.

syriace: WALTON, *Biblia Polyglotta*, 4, p. 96-111; P. DE LAGARDE, *Libri V. T. apocryphi syriace*, Lipsiae 1861.

armeniace: in ed. Veneta, 1860, p. 553 ss.

Versiones modernas adornarunt:

anglice: BISSEL, op. cit., p. 615-637; *CHURTON, *The Uncanonical and Apocryphal Scriptures*, 1884; EMMET, ap. Charles, *The Apocrypha*, 1, p. 155-173; IDEM, *The third and fourth Books of Maccabees* (Transl. of early Documents), London 1918.

gallice: MIGNE, *Dict. des Apocr.*, 1, 771-738.

germanice: KAUTZSCH, *Die Apokryphen*, 1, p. 119-135; P. RIESSLER, *op. cit.*, p. 682-699.

4) Vita Adae et Evae – Apocalypsis Mosis – Testamentum Adae – Scripta Adamitica armena.

Multae fuerunt olim apud Iudaeos narrationes legendariae de vita protoparentum, de eorum commoratione in Paradiso, de lapsu, de eorum poenitentia et multiplicibus aerumnis. E numero librorum apocryphorum qui hoc thema pertractarunt, plures, quandoque interpolationibus christianis aucti, usque ad nos pervenerunt.

Exstant:

a) Textus latinus *Vitae Adae et Evae*, editus a W. MEYER, Abhandl. der k. bayer. Akad. der Wissensch., 1 Kl., 14 Bd. 3 Abth. (München 1878), p. 185-250.

b) Textus graecus *Apocalypsis Mosis* (fere identicus cum textu latino) editus a TISCHENDORF, *Apocalypses Apocryphae*, Leipzig 1866, p. 1-23. Hujus apocryphi habetur versio armeniaca, a Mechitaristis edita: *Libri extracanonici V. T.* (Venetiis 1896), p. 1-24; et versio slavica sat libera, edita a JAGIĆ, Slavische Beiträge zu den Bibl. Apocr. 1, *Die altkirchenslavischen Texte des Adambuches* (Denkschriften der k. Akad. der Wissensch., Phil.-hist. Klasse, Bd. 42, Wien, 1893) p. 1-104.

c) *Testamentum Adae*, syriace primum a RENAN editum, *Journal Asiatique*, 5 sér. 2 (1853,2) p. 427-471. Editionem criticam textus syriaci confecit M. KMOSKO, *Patrologia syriaca*, 2, 1306-1360. Versionem aethiopicam et arabicam edidit *C. BEZOLD, Das Arabisch-Aethiopische Testa-

mentum Adami in *Orientalische Studien zu Nöldeke's 70 Geburtstag gewidmet*, Giessen 1904, p. 893-912. Textum graecum duorum fragmentorum ediderunt James, *Apocrypha Anecdota* (Texts and Studies, 2, 3) Cambridge 1893, p. 138-145; plenius F. Nau, *Patrologia syriaca*, t. 2, 1907, 1382-1392.

d) Scripta adamitica armena. Sunt numero octo, quorum primus est *Vita Adae et Evae* respondens *Apocalypsi Mosis* Graecae. Textus armenos ediderunt Mechitaristae, *Libri extra-canonici V. T.*, Venetiis 1896, p. 1-26. 307-333.

Versiones modernas adornarunt:

anglice: *Wells, ap. Charles, *The Apocrypha*, 2, p. 123-154 (exhibet translationem criticam *Vitae* et *Apocalypsis Mosis*).

gallice: Renan, loc. cit. (fragm. syr. *Testamenti Adae;* excerpta quaedam eorumdem ap. Migne, *Dict. des Apocr.*, 1, col. 289-298).

germanice: Jagić, loc. cit. (textus slavicus *Apoc. Mos.*); *Erwin Preuschen, *Die apokryphen gnostischen Adamschriften aus dem Armenischen übersetzt und untersucht*, Giessen 1900 (scripta armena a Mechitaristis edita); Fuchs, ap. Kautzsch, 2, p. 504-523 (*Vita et Apoc. Mosis*); P. Riessler, *op. cit.*, p. 668-681 (*Vita*).

latine: Jagić, loc. cit. (textus slavicus *Apoc. Mos.*); Nau, loc. cit. (fragm. graeca *Test. Adae*); Kmosko, loc. cit. (fragm. syr. *Test. Adae*).

82. Omnia haec apocrypha videntur ultimatim profluere ex traditionibus iudaicis forte iam tempore Christi scripto consignatis; cf. L. Ginzberg, *The Jewish Encycl.*, 1, p. 179-181, qui ope apocryphorum et scriptorum rabbinicorum librum Adae iudaicum primitivum restituere conatur.

Ad hunc fontem propius accedunt *Vita Adae et Evae* atque *Apocalypsis Mosis*, quae lapsum protoparentum, eorum poenitentiam, novas tentationes, morbum Adae eiusque mortem ac sepulturam per angelos, atque tandem mortem Evae describunt. Huic narrationi inseruntur somnia, praedictiones, relatio de rebellione angelorum malorum. Multi critici (Bousset, Kabisch, Ginzberg, Wells) censent, et iure quidem, utrumque apocryphum habere Iudaeum auctorem. Forsan adhuc saeculo I post Christum conscripta sunt.

83. *Testamentum Adae*, prout a Renan editum est, tribus partibus constat, quarum prima assignat unicuique horae noctis ac diei cultum liturgicum specialem ab angelis aut aliis creaturis Deo praestandum; secunda continet, inter alia, vaticinia Adae de incarnatione Christi, de eius miraculis, morte, resurrectione et ascensione in coelum, necnon de diluvio venturo; tertia enumerat septem choros angelicos eorumque munera. Haec ultima pars non vi-

detur pertinere ad « Testamentum » primitivum, et certe ab auctore christiano provenit. Duae priores inveniuntur in codicibus aethiopicis et arabicis compilationis cuiusdam saeculi VII cui titulus « Apocalypsis Petri ad Clementem » ibique sunt pars « *Speluncae Thesaurorum* » quae texit historiam mundi a creatione usque ad Christum, et vere constituunt testamentum, i. e. ultima verba, Adae ad filium Seth. Iuxta tenorem praesentem, ambo fragmenta sunt christiana, at plura elementa originem iudaicam insinuant. Difficile est eorum aetatem definire.

Scripta Adamitica armena eventus quosdam vitae protoparentum tractant. Prouti iacent, a christiano auctore, attamen non gnostico (contra Preuschen), redacta sunt; sed multa ex libro Adae iudaico primitivo vel ex traditionibus rabbinicis hausta videntur.

Multa apocrypha de Adamo, quae olim, praesertim apud sectas haereticas, erant in usu, nunc deperdita sunt; S. Epiphanio testante (Haer. 26, 8), Gnostici possidebant *apocalypses Adami*, et in decreto Gelasiano damnantur ut «apocryphi» *liber de filiabus Adam* et *liber qui appellatur Poenitentia Adae*. Narratio quaedam legendaria de protoparentibus adhuc exstat in libro aethiopico cui titulus *Conflictatio Adae et Evae* contra diabolum, saeculi V vel VI.

5) Ascensio Isaiae.

84. Inscribitur etiam « Apocryphum Isaiae » et « Visio Isaiae ». Liber est compilatio constans pluribus partibus quae videntur origine distinctae. Cum Charles distingui possunt:

I. *Martyrium Isaiae:* 1, 1-2 a. 6 b-13 a; 2; 3, 1-12; 5, 1 b-14;

II. *Apocalypsis quaedam christiana:* 3, 13 b-4, 18; Charles hanc partem vocat « *Testamentum Ezechiae* »;

III. *Visio* (seu *Ascensio*) *Isaiae:* 6, 1-11, 40.

Cetera ad compilatorem pertinent.

Prima pars narrat quomodo Isaias propheta, sub rege Manasse, impellentibus falsis prophetis, serra lignea dissectus sit, quia dixerat: « Vidi Dominum » (Is. 6, 1) et propter eius vaticinia de sorte futura regis ac populi. Huic narrationi iudaicae inseritur apocalypsis quaedam christiana praedicens incarnationem Domini, eius passionem, resurrectionem, ascensionem, missionem

duodecim Apostolorum, adventum Antichristi, atque tandem parusiam.

Ultima pars (6-11) describit ecstasim Isaiae eiusque iter per septem caelos, ubi multa secreta contemplatur. Huic visioni accedunt plura de Christo. Descriptio septem caelorum forte nititur documento iudaico.

85. *Martyrium*, notum Origeni, saeculo I post Christum, *Apocalypsis christiana* saeculo I exeunte (c. 88-100), *Visio* autem saeculo II vertente (c. 100-150) conscripta videntur. Compilatio paulo post, forsan adhuc saeculo II, facta est. Iuxta Burkitt, integer liber christianum habet auctorem. Attamen a nemine negari potest in eo multas inveniri traditiones iudaicas.

Exstant versio aethiopica completa, fragmentum graecum (2, 4-4, 4), duo fragmenta versionis cujusdam latinae (2, 14-3, 13; 7, 1-19) et alia versio latina *Visionis* (6-11). Versiones omnes profluunt e textu graeco.

Textum aethiopicum ediderunt: LAURENCE (Oxford, 1819), DILLMANN (Leipzig 1877), CHARLES, qui simul cum textu aethiopico omnia alia documenta nunc adinventa collegit: *The Ascension of Isaiah*, London 1900.

Versiones textus aethiopici adornarunt:

anglice: CHARLES, op. cit.; IDEM in suo opere *The Apocrypha* 2, 155-162 (solum *Martyrium*).

gallice: MIGNE, *Dict. des Apocr.*, 1, 647-703; BASSET, *Les apocryphes éthiopiens traduits en français*, 3: L'Ascension d'Isaïe, Paris 1894; E. TISSERANT, *Ascension d'Isaïe*, Paris 1909.

germanice: *G. BEER ap. KAUTZSCH, 2, 119-127 (habet tantum quae existimat iudaica: 2, 1-3, 12; 5, 2-14); *DUENSING ap. HENNECKE, *Neutestamentliche Apokryphen*, Tübingen 1924, p. 303-314. P. RIESSLER, *op. cit.*, p. 481-484 (1, 1-2; 2; 3, 1-12; 5, 1-14).

6) Historia Rechabitarum.

86. Narrat apocryphum quomodo Rechabitae (cf. Ier. 35), a reliquo populo segregati, nolentes oboedire regi qui eis genus vivendi minus austerum suadebat, in carcerem coniecti, ab angelo liberati et miraculose translati sunt in regionem quamdam, undequaque aquis circumdatam, ubi caelestem et aerumnis expertem vitam degunt.

Prouti iacet, documentum est christianum, saeculi V vel VI. Sed thema iam fuit notum Commodiano (c. 250), et quatenus desumptum est ex midraš quodam de decem tribubus e captivitate non

reversis, est originis iudaicae; cf. M. R. JAMES, *The lost Apocrypha of the O. T.*, London 1920, p. 103-106.

Exstat:

graece: M. R. JAMES, *Narratio Zosimi de vita Beatorum, Apocrypha anecdota* (Texts and Studies 3), Cambridge 1893, p. 96-108. Versionem anglicam invenis ap. A. MENZIES, *Recently Discovered Manuscripts*, Additional Volume to «The Ante-Nicene Christian Library», Edinburgh 1897, p. 220-224.

syriace: F. NAU, *Les Fils de Jonadab, fils de Réchab et les îles Fortunées*, Paris 1899, cum versione gallica. Versio syriaca e textu graeco profluxit et Jacobo Edesseno tribuitur.

De textibus slavicis, aethiopicis et arabicis, cf. JAMES, op. cit., p. 87-90.

7) Paralipomena Ieremiae vel Reliquiae verborum Baruchi.

87. Argumentum huius apocryphi his paucis contrahi potest. Ieremias a Deo nuntium accipit civitatem Chaldaeis mox traditum iri, iubetur vasa sacra Templi abscondere, cum populo Babylonem petere, Baruch autem in civitate relinquere. Dum haec fiunt, Abimelech, a Ieremia in vineam quamdam missus ut ficus colligat, somno correptus per 66 annos dormit. Expergefactus in civitatem revertitur ibique omnia cernit mutata. Baruch, iussu Dei, nuntiat Ieremiae proximum reditum in Terram Sanctam eumque monet mulieres alienigenas a populo separare. Iudaei qui uxores ethnicas dimittere nolunt, condunt civitatem Samariae.

88. Materia et cura praecipua libri indicant Iudaeum auctorem. Ad finem tamen adiecta sunt quaedam, quae evidenter interpolatorem christianum produnt. Conscriptus est probabiliter ad medium saeculi II post Christum.

Exstat:

graece: *R. HARRIS, *The Rest of the Words of Baruch: a christian apocalypse of the year 136 A. D.*, the text revised with an introduction, London, 1889.

aethiopice: A. DILLMANN, *Chrestomathia aethiopica*, Lipsiae 1866, p. 1-15.

armeniace: Libri extracanonici V. T. Venetiis 1896, p. 349-378.

slavice: plures textus editi sunt a Novakovic, Popof et Tichonravof. Versiones modernas adornarunt:

gallice: R. BASSET, *Les apocryphes éthiopiens en français*, 1: Le livre de Baruch et la légende de Jérémie, Paris 1893.

germanice: *F. PRAETORIUS, *Zeits. für wissensch. Theol.* 15 (1872) p. 230-247; *E. KÖNIG, *Studien und Kritiken*, 50 (1877) p. 318-338. P. RIESSLER, *op. cit.*, p. 903-919.

anglice compendiata narratio invenitur ap. L. Ginzberg, *The Legends of the Jews*, 4, Philadelphia 1913, p. 318-320.

8) Liber orationis Aseneth.

89. Multas fictiones excogitarunt Iudaei de Ioseph eiusque matrimonio cum « Aseneth, filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos » (Gen. 41, 45), uti patet ex documentis rabbinicis. Summa apocryphi haec est:

Cum Ioseph, ad colligendum frumentum, Heliopolim advenit, sacerdos Putiphar cupit ei filiam suam Aseneth matrimonio iungere. Ipsa autem homini alienigenae, « filio pastoris e terra Canaan », nubere recusat. Tamen pulchritudine Ioseph capta, idola reicit atque Deum adorat. Sequitur oratio Aseneth (c. 12-13). Angelus apparet eique annuntiat quod abhinc « renovabitur et manducabit panem vitae benedictum, bibet calicem immortalitate plenum, ungetur chrismate incorruptionis ». Matrimonio peracto, filius Pharaonis, ope quatuor fratrum Ioseph, Aseneth rapere conatur, sed in pugna a Beniamin occiditur.

Liber, in forma qua ad nos pervenit, est christianus, et videtur saeculo III conscriptus. At praesupponit traditiones iudaicas.

Aliud apocryphum, *Oratio Ioseph*, speculationes gnosticas redolens, pluries citatur ab Origene (1).

Exstat:

graece: P. Batiffol, *Le livre de la Prière d'Aseneth*, Studia Patristica. Etudes d'ancienne littérature chrétienne, fasc. 1-2, Paris 1889-90, p. 39-87.

latine: ibid., fasc. 2, p. 89-115.

De versionibus armeniaca, syriaca et slavica, cf. Batiffol, op. cit., fasc. 1, p. 3-7; Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes*, 3⁴, Leipzig 1909, p. 402.

anglice compendiatam narrationem invenies ap. L. Ginzberg, *The Legends of the Jews*, 2, Philadelphia 1910, p. 170-178.

gallice ap. Migne, *Dict. des Apocryphes* 1, 705-712

germanice ap. P. Riessler, *op. cit.*, p. 497-538.

9) Testamentum Iob.

90. Liber hic tamquam « apocryphus » proscribitur in decreto Gelasiano. Continet narrationem midrašicam de tribulationibus

(1) Cf. M. R. James, *The lost Apocrypha of the O. T.*, London 1920, p. 21-31.

Iob, qui identificatur cum Iobab, rege Idumaeorum (cf. Gen. 36, 33). Refert Iob se olim, hortante angelo, templum idolorum evertisse et hac de causa, instigante Satana, iacturam bonorum, mortem filiorum aliasque afflictiones perpessum esse. Sed Deus ei omnia restituit; et nunc, morti vicinus, possessiones inter septem filios dividit, tribus autem filiabus cingula tradit quorum contactu, divinitus inspiratae, hymnos caelestes cantant, inter quos Deus animam Iob tollit, dum corpus eius sepulchro committitur.

Liber nullam doctrinam specifice christianam continet, immo auctorem potius iudaice sentientem prodit, quem propterea Spitta iudaeum fuisse censet, Kohler iudaeo-essenum, James « nativitate Judaeum, fide christianum ». Scriptus est graece, probabiliter in Aegypto, non post saeculum II, cum Tertullianus iam ad illum alludat (1).

Auctor additamentis versionis graecae libri Iob (2, 9; 42, 18) usus esse videtur.

Textum *graecum* ediderunt: Card. MAI, *Scriptorum veterum nova collectio*, 7, 1 (1833), 180-191; M. R. JAMES, *Apocrypha anecdota*, 2 (Texts and Studies, v, 1), Cambridge 1897, p. 103-137.

Textus a Card. Mai editus *gallice* versus est ap. MIGNE, *Dict. des Apocr.* 2, 401-420, *anglice* a *KOHLER, *Semitic Studies in memory of Alex. Kohut* Berlin 1897, p. 264-338, *germanice* a P. RIESSLER, *op. cit.*, p. 1104-1134.

10) Testamentum Salomonis.

91. Narrat rex Salomon quomodo, dum in aedificatione Templi occupabatur, ope anuli, ab archangelo Michael allati et « pentalpha » insigniti, daemonem Orniam multosque alios daemones ligaverit et diversis laboribus applicuerit. Quam virtutem in daemones servavit usquedum amoribus mulierum alienigenarum indulsit, ideoque omnes, Testamento hoc, monet ne sequantur exempla ejus.

Iam tempore Christi, multa et mira tradebant rabbini de potestate Salomonis in daemones ac de ejus virtutibus magicis; cf. Ios., *Antt.* 8, 3, 5. Juxta opinionem Mc Cown, quae videtur omnino probabilis, Testamentum Salomonis initio saec. III exaratum est a christiano qui documenta iudaica I saeculi prae manibus habuit.

(1) Cf. M. R. JAMES, *The lost Apocrypha of the O. T.*, p. 93 nota.

Textum *graecum* ediderunt: Fleck (Leipzig 1837); Migne, *PG* 122, col. 1315-1358; praesertim: *Chester Charlton Mc Cown, *The Testament of Salomon edited from manuscripts...* with introduction, Leipzig 1922.
Versiones modernas habes:
anglicam: *Conybeare, *Jewish Quarterly Review* 11 (1898), p. 15-45.
germanicam: *Bornemann, *Zeits. für die hist. Theol.* 14 (1844) 9-59; P. Riessler, *op. cit.*, p. 1251-1262 (*cap.* 1-2; 20-26).
latinam: ap. Migne, *loc. cit.*

Classis 2. APOCRYPHA PROPHETICA s. APOCALYPSES (1)

11) Liber Henoch aethiopicus.

92. Opus hoc, quod inter apocrypha facile primum locum obtinet, varia scripta indolis sat diversae complectitur. Sex partes praecipuae in eo distingui possunt:

I. Liber angelologicus, c. 1-36.
II. Liber Parabolarum, c. 37-69.
III. Liber astronomicus, c. 72-82.
IV. Liber visionum historicarum, c. 83-90.
V. Liber exhortationum, c. 91-105, cui inseritur
VI. Apocalypsis hebdomadum, c. 93; 91, 12-17.
His adiunguntur plura fragmenta Noachitica et alia elementa diversae originis.

Compilatio haec est quasi collectanea conceptionum religiosarum ac moralium populi iudaici tempore Christi. Varia opuscula quibus conflatur sibi invicem non conectuntur, et sola persona Henoch, qui fere ubique ut revelationis instrumentum inducitur, unitatem qualemcumque libro confert.

93. Describit ipse Henoch iudicium futurum (1-5), lapsum angelorum eorumque poenam (6-16), itinera quae peregit per universum et per infernum, habitacula animarum, paradisum terrestrem, plura cosmologica (17-36), visiones quas habuit de iudicio ab Antiquo dierum et ab Electo seu Filio hominis in homines et angelos faciendo (37-69), suam assumptionem ad Deum (70 s.), leges quibus reguntur sol et luna (72-82), visiones seu somnia de historia mundi, ubi homines per diversa animalia figurantur (83-90), visionem decem

(1) De genere apocalyptico apud *Judaeos*, cf. J. B. Frey, «Apocalytique» in *Supplemento* ad Vigouroux, *Dict. de la Bible* I (1926), 326-354.

hebdomadum in quas dispescit cursum saeculorum (93; 91, 12-17); tandem exhortationes morales ad filios suos dirigit et maledictiones in improbos promit (91-105). His inseruntur multa alia, historica, moralia, astronomica. At fere omnia sub forma revelationis, seu apocalypsis, traduntur.

De Messia, si abstrahimus a libro Parabolarum, raro fit sermo, atque ita, ut vix quidquam agat (90, 37 s.; cf. 105, 2: locus probabiliter interpolatus).

94. Maiorem partem operis esse originis iudaicae, hodie ab omnibus conceditur. De libro tamen Parabolarum controvertitur. Non pauci enim critici censuerunt hanc sectionem habere auctorem christianum (Hilgenfeld, Volkmar, Colani, Cornill et alii), hodieque sententia haec a quibusdam retinetur (Ed. Koenig, Ed. Herstein). Alii putant saltem textus ubi de Filio hominis agitur, a christiano esse interpolatos (N. Schmidt et alii).

Quaestionem recentissime novae crisi subjecit Nils Messel, *Der Menschensohn in den Bilderreden des Henoch*, Giessen 1922. Iuxta ipsum, ap. pellatio « Filii hominis » ubique a translatore aethiopico christiano interpolata est, praeterquam in Hen. 46, 2-4 et 48, 2, ubi designat, praeeunte Dan. 7, 13, populum israeliticum; v. gr. Hen. 62, 9, ubi Gentiles dicuntur « sperare in Filium hominis », quasi in Deum, aperte fidem christianam prodit. Ceterum tenet etiam appellationem « Messiae » (48, 10; 52, 4) non esse authenticam (hoc etiam concedunt Dalman et Lagrange), immo et vocabulum « Electi », ante cap. 46, non esse genuinum, nec aliud significare quam populum electum. Igitur, ait, « opinio secundum quam appellatio " Filii hominis „ fuit tempore Christi, apud Iudaeos, denominatio messianica, omni fundamento litterario destituta est » (p. 8).

Contra haec non pauca animadvertenda sunt. Etsi admittatur (et rationes non spernendae hoc suadent) traductorem aethiopicum appellationem « Filii hominis » semel vel bis in textum introduxisse, aut etiam locos ubi de spe Gentilium in Filium hominis (62, 9) vel de « Messia » (48, 10; 52, 4) sermo est, interpolasse, adhuc remaneret denominationem illam pluries esse authenticam, ut ab ipso Nils Messel conceditur. Nec dici potest locos integros ubi apparet Filius hominis esse interpolatos, nam ut plurimum tam arcte cohaerent cum contextu et cum tota pericope, ut congruentius videretur totum librum Parabolarum auctori christiano adjudicare quam illos tantum textus. Iamvero, praeter paucas locutiones dubias, nulla doctrina specifice christiana in hoc libro invenitur. Ex alia parte, tenendum est vocabula « Filii hominis » et « Electi » non applicari toti populo israelitico, sed personae cuidam determinatae, cum ipsi tribuantur talia quae nonnisi homini individuo competere possunt (48, 2-7, etc.). Modus, quo Filius hominis introducitur, alludit ad Dan. 7, 13 iusque interpretationem individualem supponit; qualem etiam suppo-

nunt declarationes Christi, Mt. 16, 27; 19, 28; 24, 30; 25, 31; 26, 64. Ceterum, sententiam suam Nils Messel sustinere nequit absque violenta exegesi plurimorum textuum.

Igitur legitime affirmari potest verba Dan. 7, 13 a Iudaeis de Messia intellecta atque denominationem « Filii hominis » Messiae ante Christum applicatam esse. Attamen inde concludi nequit locutionem fuisse communiter usu receptam.

De tempore quo diversae libri Henoch partes compositae sint multum disputatur. Generatim critici saec. II vel I ante Christum ipsis assignant. Conscriptus est lingua hebraica vel aramaica in Palaestina; versus est graece, et e graeco tum aethiopice (probabiliter saec. IV vel V), tum latine.

Exstant versio aethiopica, fragmenta versionis graecae, c. 1-32 (saec. VIII) et c. 97-107 (saec. V, in codice papyraceo Chester Beatty, nuperrime reperto), et fragmentum versionis latinae.

Textum *aethiopicum* ediderunt: *Laurence (Oxford 1838); Dillmann (Leipzig 1851), Flemming (Leipzig 1902); praesertim: Charles, *The Ethiopic Version of the Book of Enoch*, edited from twenty-three mss. together with the fragmentary greek and latin versions (Anecdota Oxoniensia, Semitic Series, part 11), Oxford 1906.

Versiones modernas adornarunt:

anglice: Laurence (Oxford, 1821); Schodde (Andover, 1882); Charles (Oxford, 1893; versio textus a Dillmann editi); melius: Charles, *The Book of Enoch* or 1 *Enoch translated from the editor's Ethiopic text*, Oxford 1912. Eamdem translationem inseruit operi *The Apocrypha*, 2, p. 163-281.

gallice: Migne, *Dict. des Apocr.*, 1, 393-514; Fr. Martin, *Le livre d'Hénoch*, Paris 1906.

germanice: Hoffmann (Jena 1833-1838); Dillmann (Leipzig 1853); Beer, ap. Kautzsch 2, p. 217-310; Flemming-Radermacher, *Das Buch Henoch* (Die griech. christl. Schriftsteller 5), Leipzig 1901; P. Riessler, *op. cit.*, p. 355-451.

italice: F. Feier ed E. De Giovanni, *Il Libro di Enoch*, tradotto e annotato, *Rivista delle Riviste*, 6 (1908), p. 297-319. 377-384. 412-419.

russiace: *Smirnof, Kasan, 1888.

95. Haud mediocrem liber Henoch nactus est fortunam, siquidem liber Iubilaeorum, Testamenta XII Patriarcharum et Apocalypsis Baruch syriaca eo usi sunt; citatur tamquam habens auctoritatem divinam a Ps.-Barnaba et a Tertulliano, in Ecclesia aethiopica inter libros sacros servatus est, allegatur a Clemente Alex. et Origene, reicitur ut apocryphus a S. Hieronymo et a S. Augustino.

De relatione quae intercedit inter Epistolam Iudae 14 et Hen. 1, 9, non una est sententia. Plerique interpretes hodie asserunt S. Iudam ex apocrypho desumpsisse testimonium. E contra CORNELY illis assentire mavult qui eum « ex traditione orali verba illa hausisse tenent »; *Hist. et Crit. Introd.*, I², p. 222. Idem tenet Kaulen. Alii tandem supponunt textum illum esse a christiano quodam in libro Henoch interpolatum ut hic cum Epistola Iudae concordaret.

12) Liber Henoch slavicus vel Liber Secretorum Henoch.

96. Argumentum libri est praecipue apocalypticum: Henoch narrat visiones quas habuit septem caelos, comitantibus angelis, perlustrando, quibus hortamenta de multis rebus moralibus adiungit.

Textus primitivus semiticus videtur exaratus in Palaestina, ante eversionem Templi sc. in priore parte saeculi I post Christum.

Huius apocryphi exstat tantum textus slavicus, in duplici recensione: longiori (*A*) et breviori (*B*).

Textus slavicos praecipuos ediderunt: *SOKOLOF-SPERANSKI, *Slavanskaia Kniga Enokha*, Moscovae 1910.

Versiones adornarunt:

latine: SOKOLOF-SPERANSKI, *op. cit.*, I, p. 1-64 (rec. longior).

anglice: MORFILL-CHARLES, Oxford 1896; FORBES-CHARLES ap. CHARLES, *The Apocrypha*, 2, p. 452-469.

germanice: N. BONWETSCH, Berlin 1896; melius: IDEM, *Die Bücher der Geheimnisse Henochs* (Texte und Unters. 44, 2), Leipzig 1922 (exhibet duplicem recensionem critice discussam); P. RIESSLER, *op. cit.*, p. 452-473 (rec. B).

De mutua relatione inter utramque recensionem diversae sunt sententiae. Multi tenent recensionem breviorem esse quasi compendium longioris hancque esse versionem generatim fidelem textus graeci originalis, cui auctorem assignant Iudaeum hellenisticum in Aegypto commorantem. Sed probabilius videtur dicendum, ambas recensiones slavonicas derivare, per duas versiones graecas diversas, ex eodem fonte hebraico vel aramaico, quo translatores graeci cum quadam libertate usi sunt, prior quaedam omittendo, alter nova elementa adiungendo. Recensio longior facta est a Iudaeo quodam alexandrino et plura continet quae doctrinas hellenisticas sapiunt.

12-*a*) Tertius liber Henoch vel Liber Henoch hebraicus.

96-*a*. Tractat de rebus secretioribus per revelationem coelestem manifestatis, de curru divino, de Metatron qui identificatur cum Henoch, de angelis, de Sheol, etc.

Liber conscriptus est hebraice. Titulus eum ascribit « R. Ishmael ben Elisha, summo sacerdoti », qui vixit initio II saeculi post Chr.

Iuxta editorem, partes antiquiores sunt saeculi I; maior pars libri conscripta est post rebellionem a Iudaeis contra Romanos, duce Barkokheba, factam; ultimam formam accepit in altera parte saeculi III.

Eum edidit et anglice vertit HUGO ODEBERG, *3 Enoch or the Hebrew Book of Enoch, edited and translated for the first time with introduction, commentary and critical notes*, Cambridge, 1928.

13) Assumptio Mosis.

97. Fragmento latino, quod solum superest et a Ceriani, a. 1861, primum editum est, nullus praefigitur titulus, et revera nescimus utrum vocandus sit hic libellus *Assumptio* seu *Ascensio Mosis*, vel *Testamentum Mosis*, quorum mentio occurrit apud antiquos, siquidem de morte et assumptione Mosis in fragmento nostro non fit sermo.

Initium et finis narrationis desunt. Moses vocat Iosue eique sortes futuras populi israelitici praeannuntiat, schisma decem tribuum, destructionem civitatis sanctae et Templi, captivitatem, reditum ab exilio, impietatem sacerdotum et regum, persecutionem, iudicium coeleste quo Israel ad astra levabitur, dum cernet poenas quas inimici eius sustinebunt; tandem Moses verba consolatoria ad Iosue dirigit.

Libellus videtur conscriptus in Palaestina, paulo post mortem Herodis (c. annum 6 post Christum). Textus latinus, mutilus et mendosus, praesupponit versionem graecam; at lingua originalis forsan hebraica vel aramaica fuit.

Textum *latinum*, post A. CERIANI, *Monumenta sacra et profana* 1, Mediolani 1861, 55-64 ediderunt *FRITZSCHE, *Libri apocryphi V. T.*, Lipsiae 1871, p. 700-730; CHARLES, *The Assumption of Moses*, London 1897, p. 55-101; *CLEMEN, *Die Himmelfahrt des Mose* (Kleine Texte 10), Bonn 1904.

Versiones adornarunt:
anglice: CHARLES, *op. cit.*, p. 3-51; IDEM *The Apocrypha*, 2, p. 407-424.
germanice: CLEMEN ap. KAUTZSCH, 2, p. 311-331; P. RIESSLER, *op. cit.*, p. 485-495.

Textum latinum graece reddidit: HILGENFELD, *Messias Judaeorum*, Lipsiae, 1869, p. 435-468.

Iuxta Origenem, S. Iudas in sua Epistola, ubi loquitur de Michael archangelo cum diabolo disputante de Moysi corpore (v. 9), *Ascensionis Mosis* « meminit ». At quo iure id asserat, non apparet; cf. Cornely, *op. cit.*, 1, p. 224.

14) 4 Esdrae.

98. Inter omnes libros apocryphos, apocalypsis haec stylo, eloquentia, doctrina, sinceritate eminet. Invenitur in appendice ad Vulgatam.

Tamen sola capita 3-14 librum primitivum constituunt, nam cap. 1-2. 15-16 additamenta sunt christiana (quandoque c. 1-2 vocantur 5 Esdrae, c. 15-16 vero 6 Esdrae; cf. p. 65).

Liber primitivus constat septem visionibus, vel potius septem colloquiis Esdrae cum Altissimo. Civitas sancta iacet destructa, populus in Babyloniam deportatus et irrisio Gentilium factus est. Cur haec omnia, cum tamen Israel inter omnes nationes specialiter electus sit et Legem servaverit? Cur inter homines tot mali inveniuntur et damnationi tradentur? Quandonam Deus iudicium faciet et omnibus secundum merita vel demerita retribuet? Angelus, nomine Dei, respondet consilia divina esse inscrutabilia; iudicium fiet in omnes, « Messias revelabitur cum comitibus, et felices reddet superstites (per 400? annos). Posthaec Messias morietur, et cum eo omnes qui spiramentum habent hominis » (7, 28 s.; trad. Violet).

Sequetur silentium septem dierum et fiet resurrectio et ultima retributio in iustos et iniustos. Promittitur etiam redintegratio gloriosa civitatis sanctae (10, 25-60), ac denique Esdras, inspirante Deo, quinque amanuensibus dictat, per 40 dies continuos, 24 libros omnibus tradendos (canonicos) et 70 alios (apocryphos) tantum sapientibus populi committendos (cf. p. 15-18).

99. Critici quidam, ut Kabisch, de Faye, Charles et Box, librum in quinque documenta, diversae aetatis, dispescunt, quae redactor quidam finalis in unum conflavit. Sed multo plures huic sententiae adversantur, et iure quidem; nam nulla necessitas talis dissectionis affulget, dum e contrario multa suadent unitatem operis.

Hoc apocryphum, fere omnibus consentientibus, exaratum est ad finem saec. I post Christum, a Iudaeo Palaestinensi, lingua hebraica vel aramaica. E versione graeca nunc deperdita factae sunt ceterae, quae supersunt: latina, syriaca, aethiopica, sahidica, arabica, sola armeniaca forsan excepta. Innotuerunt et codices versionis georgicae adhuc ineditae.

100. Versio *latina*, cum translatione germanica omnium textuum usque nunc evulgatorum, critice edita est a Br. VIOLET, *Die Esra-Apokalypse*. Erster Teil: Die Ueberlieferung (Die griech. christl. Schriftst. 18), Leipzig 1910.

Versiones modernas adornarunt:

anglice: *BISSEL (New-York, 1880); *LUPTON (ap. Wace, London, 1888); *G. H. BOX, *The Ezra-Apocalypse*, London 1912; IDEM, ap. CHARLES, *The Apocrypha*, 2, p. 542-624.

gallice: MIGNE, *Dict. des Apocr.*, 1, 570-647; PIFFARD, ap. CRAMPON, *La sainte Bible*, 7, p. 558-629.

germanice: BRUNO VIOLET, *Die Apokalypsen des Esra und des Baruch*. Erste Hälfte: Die Esra-Apokalypse. Zweiter Teil: Die deutsche Textherstellung (Die griech. christl. Schriftst. 32, 1), Leipzig 1923. Versio haec nititur critica omnium textuum comparatione; P. RIESSLER, *op. cit.*, p. 255-309.

A multis citatur scriptoribus ecclesiasticis, immo a S. Ambrosio tamquam sacra Scriptura aliquoties allegatur. S. Hieronymus eum explicite inter apocryphos ablegat: « nec apocryphorum tertii et quarti (libri Esdrae) somniis delectetur »; *Praef. in Esdram*; *PL* 28, 1472.

15) Apocalypsis Baruch syriaca, cui adiicitur in fine (c. 78-86) Epistola Baruch ad novem et dimidiam tribus.

101. Dum Epistola Baruch in multis codicibus syriacis habetur, liber ipse in unico manuscripto versionis syriacae Mediolanensi exstat.

Diversae partes libri parum sibi cohaerent, et promiscue agitur de eversione urbis Ierusalem, de felicitate impiorum et tribulationibus iustorum, de iudicio futuro, de duodecim plagis quae adventum Messiae praecedent, de resurrectione, de renovatione civitatis, de regno messianico sub figuris vitis et fontis silvam ac cedrum prosternenti, de historia mundi allegorice descripta per nubes

duodecies pluviam atram vel limpidam effundentes. In Epistola quae claudit apocryphum, Baruch consolatur exules eosque ad observantiam Legis adhortatur.

102. Hunc etiam librum in plures fontes, distinctis auctoribus adiudicandos, critici quidam partiri volunt. At dissonantia doctrinarum et inconcinnitas verborum satis explicantur, si admittimus scriptorem diversis traditionibus usum esse.

Conscriptus est liber initio saec. II, post 4 Esdrae. Versio syriaca fluxit e textu graeco; at lingua originalis videtur fuisse hebraica vel aramaica.

Editus est a Ceriani, ***Monumenta sacra et profana*** 5. Mediolani 1871, 113-180, et a Kmosko, *Patrologia syriaca* 2, Parisiis 1907, p. 1056-1207.

Inventum est etiam in papyro quadam Oxyrhinchica fragmentum parvum versionis graecae.

Versiones modernas adornarunt:

latine: Ceriani, *op. cit.*, 1, 2 (Mediolani 1866), 65-98; retractarunt Fritzsche, *Libri apocryphi V. T.* (Lipsiae 1871), 654-699; Kmosko, loc. cit.

anglice: Charles, *The Apocalypse of Baruch*, London 1896; idem, in opere *Apocrypha*, 2, p. 470-526.

gallice: Migne, *Dict. des Apocr.* 2, col. 161-168 (sola Ep. Baruch).

germanice: Ryssel, ap. Kautzsch, 2, p. 404-446; melius Bruno Violet, *Die Apokalypsen des Esra und des Baruch.* Zweite Hälfte. Erster Teil: Die Baruch-Apokalypse, Leipzig 1923; P. Riessler, *op. cit.*, p. 55-113.

16) Apocalypsis Baruch graeca. Vocatur quandoque etiam 3 Baruch.

103. Baruch narrat itinera quae peregit in spiritu per quinque caelos. At textus videtur abruptus, et de septem caelis probabiliter fuit sermo. Loquitur enim Origenes de libro « Baruch prophetae » in quo agitur « de septem mundis vel caelis » (*de Princ.* 2, 3, 6).

Prouti iacet, libellus est christianus; inter alia, ostendit Michael archangelum Deo exhibentem phialam « plenam meritis et bonis operibus iustorum » (11, 8; cf. Apoc. 5, 8). Sed praesupponit opus originis iudaicae. Videtur conscriptus paulo post a. 126 post Christum (Hughes).

Exstat in unico ms. graeco et in versione slavica.

Textum *graecum* edidit M. R. James, *Apocrypha Anecdota*, 2 (Texts and Studies, 5, 1), Cambridge 1897, p. 84-94. ***Slavica*** versio edita est a Novakovic, a. 1886.

Versiones modernas adornarunt:

anglice: Hughes, ap. Charles, *The Apocrypha*, 2, p. 533-541; Morfill, ap. James, *op. cit.*, 96-102 (textum slavicum a Novakovic editum).

germanice: Ryssel, ap. Kautzsch, 2, p. 448-457; P. Riessler, *op. cit.*, p. 40-54.

17) Apocalypsis Abrahae.

104. Constat duabus partibus: prima, indolis midrašicae, narrat conversionem Abrahae ab idolorum cultu ad monotheismum (c. 1-8); altera, indolis apocalypticae, describit visiones quas Abraham, in caelum ab angelo ductus, de variis historiae israeliticae periodis habuit (c. 9-32).

Hoc apocryphum habet Iudaeum auctorem. Attamen videtur, saltem in c. 29, a christiano interpolatum. Admitti potest illud esse conscriptum ad finem saec. I post Christum, in Palaestina, lingua hebraica vel aramaica.

Exstat tantum slavice. Textum ediderunt Tikhonravof (1863) et Sreznewskij (Moscovae 1861-1863).

Versiones modernas confecerunt:

anglice: G. H. Box, *The Apocalypse of Abraham and the Ascension of Isaiah*, by Charles (Transl. of early Doc.), London 1918.

germanice: Bonwetsch, *Die Apokalypse Abrahams. Das Testament der vierzig Märtyrer*, Leipzig 1897; P. Riessler, *op. cit.*, p. 13-39.

18) Testamentum Abrahae.

105. Narratio haec partim midrašica, partim apocalyptica est. Deus mittit ad Abraham archistrategum Michael ut ei significet finem eius iam instare. At Abraham mori recusat et petit ut sibi liceat opera creationis inspicere. In regiones caelestes, curru Cherubim, sublatus, contemplatur omnia quae fiunt in terris; ad portam caeli videt quomodo animae defunctorum iudicantur eorumque opera bona et mala librâ ponderantur. In terram reversus, iterum Abraham renuit mori. Tandem Mors ipsa, sub specie angeli, animam eius tollit.

Liber primitivus, originis iudaicae, potest esse saec. I vel II post Christum; sed fuit ante saec. IV a christiano retractatus.

Exstat graece (in duplici recensione), slavice, rumeniace, coptice, arabice, aethiopice.

Textum *graecum*, sub duplici forma, edidit M. R. James, *The Testament of Abraham* (Texts and Studies, 2, 2), Cambridge 1892. Huic operi adiecta appendix exhibet excerpta Testamentorum Abrahae, Isaac et Jacob, ex versione arabica a W. E. Barnes anglice versa (p. 131-154).

Translationem *anglicam* totius operis confecit A. Craigie, ap. Menzies, *Recently Discovered Manuscripts*, Additional Volume to « The Ante-Nicene Christian Library », Edinburgh 1897, p. 185-201; *germanicam* P. Riessler, *op. cit.*, p. 1091-1103.

19) Apocalypses Eliae et Sophoniae.

106. Textus quosdam *copticos*, in Achmim inventos, edidit cum translatione *germanica* *G. Steindorff, *Die Apokalypse des Elias.* Eine unbekannte Apokalypse und Bruchstücke der Sophonias-Apokalypse (Texte und Unters. 17, 3 a), Leipzig 1899; fragmentum *latinum*, D. Don. de Bruyne, *Revue Bénédictine*, 37 (1925) p. 58.

Translationem germanicam textuum habet Riessler, *op. cit.*, p. 114-125, 168-177.

Documenta haec, quae agunt praesertim de iudicio, de Antichristo, de sorte damnatorum, diversimode a criticis iudicantur. Probabilius dicendum, fragmentum apocalypsis « anonymae » esse partem apocalypsis Sophoniae, hancque esse conscriptam a Iudaeo, saec. II vel III post Christum; apocalypsim autem quae vocatur « Eliae », prouti iacet, esse originis christianae, at praesupponere scriptum quoddam iudaicum.

20) Apocryphum Ezechielis.

107. Supersunt pauca tantum fragmenta, a S. Clemente Romano, Clemente Alex., Tertulliano et S. Epiphanio citata. Fragmentum praecipuum agit de iudicio particulari ab unoquoque, de omnibus quae operatus est, subeundo. atque ostendit resurrectionem corporis esse necessariam, ut corpus simul cum anima iustam retributionem accipiat. Hanc sententiam illustrat parabola paralytici et caeci, quorum primus portatus a caeco dirigit gressus eius ad malum perpetrandum. Iuxta Holl, apocryphum est iudaicum et iam Flavio Iosepho fuit notum.

Fragmenta edidit et commentatus est *Karl Holl, *Das Apokryphon Ezechiel* (Aus Schrift und Geschichte. Theol. Abhandlungen Adolf Schlatter zu seinem 70. Geburtstage dargebracht, Stuttgart 1922), p. 85-98. Cf. etiam M. R. James, *The lost Apocrypha of the O. T.*, London 1920, p. 64-70. **Translationem germanicam habet** P. Riessler, *op. cit.*, p. 334-336.

21) Oracula Sibyllina.

108. Quatuordecim numerantur libri Oraculorum Sibyllinorum; at libri 9 et 10 desunt et forsan numquam exstiterunt. Maxima eorum pars a christianis auctoribus est compilata. Originis iudaicae generatim habentur: Prooemium (fragm. Theophili Antioch.); 3, 97-828; lib. 4 et 5. His quidam adiungunt 1, 1-323 et 2, 6-33. 154-330. Pauca quaedam oracula ethnica aliis sunt inserta.

Ad imitationem Sibyllarum gentilium, Oracula sunt praecipue praedictiones futurorum. Iudaica minitantur idololatris bella aliasque calamitates, annuntiant iudicium divinum in hostes populi electi, adventum Messiae eiusque victoriam. Christiana loquuntur de Christo eiusque vita et morte, necnon de regulis morum ab eius discipulis servandis. Utraque, sub specie vaticiniorum, texunt historiam praeteritam mundi et ultima eius fata portendunt. Mundum igne consumptum iri docet Sib. 4, 172-179 (cf. « Dies irae, dies illa, solvet saeclum in favilla, teste David cum Sibylla »).

Oracula iudaica a saeculo II ante Christum ad saec. II post Christum scripta sunt, christiana a saec. II ad IV, libri 6 et 7 in sectis gnosticis videntur exorti; omnes sunt graeca lingua et versu exarati.

Textum *graecum* critice edidit *J. Geffcken, *Die Oracula Sibyllina* (Die griech. christl. Schriftst. 8), Leipzig 1902.

Omnium Oraculorum Sibyllinorum habetur versio *latina* apud Alexandre (Parisiis 1841-56); partes quaedam, praesertim iudaicae, anglice, gallice, germanice et italice versae sunt. *Excerpta Oraculorum christianorum*, germanice translata a J. Geffcken, habes ap. Hennecke², 1924 p. 399-422.

Classis 3. APOCRYPHA MORALIA seu DIDACTICA

22) Testamenta duodecim Patriarcharum.

109. Exhibent ultima verba filiorum Iacob. Unumquodque « Testamentum » tribus partibus constat: historica, paraenetica, prophetica; narrat patriarcha facta quaedam vitae suae, horta-

tur ad vitium cui indulsit fugiendum vel ad virtutem in qua excelluit colendam, sortes futuras tribus suae praedicit.

Liber primitivus iudaicus est saeculi II vel I ante Christum. At nunc innumeris auctus est interpolationibus christianis, ac proinde nequit extolli tamquam fons doctrinae Christi et Apostolorum, ut a quibusdam criticis fit.

Exstat versio graeca textus originalis hebraici vel aramaici, nunc deperditi, versio armeniaca et versio slavica, quae ambae ex textu graeco emanant. Inventa sunt etiam fragmenta aramaica et graeca Testamenti cuiusdam Levi, et Testamentum quoddam hebraicum Nephtali; at, quam relationem habeant cum textibus primitivis Testamentorum, nescitur.

Textum *graecum*, cum lectionibus variantibus versionis armeniacae et versionis slavicae necnon fragmentis hebraicis, critice edidit Charles, *The Greek Versions of the Testaments of the Twelve Patriarchs*, Oxford 1908.

Versiones modernae exstant multae. Optima est: Charles, *The Testaments of the Twelve Patriarchs*, translated from the editor's Ethiopic text, London 1908.

23) Psalmus David idiographus (151).

110. Est breve carmen octo versuum in quo David gloriatur, quod, minimus cum esset inter fratres et paterno gregi pascendo addictus, electus a Deo vicerit Philistaeum. Nititur narratione biblica 1 Reg. 7, 11; 17, 26. 43. 51; 2 Reg. 6, 5; 2 Par. 29, 26; cf. Ps. 78, 70; 89, 20 s.

In titulo dicitur « Davidi ἰδιόγραφος », h. e. privatim sibi compositus, « et extra numerum », psalmorum scilicet canonicorum, qui publico usui sunt destinati. Certe spurius est.

Textus hebraici, si quando exstitit, nullum est vestigium. Habetur graece et e graeco versus latine, coptice, aethiopice, syriace, arabice, armeniace.

111. Exstat ad finem psalterii canonici (hinc saepe signatus n. 151) in codicibus et plerisque editionibus LXX interpretum et versionum orientalium; latine in codice amiatino aliisque antiquis, unde impressus habetur apud Sabatier, *Bibl. sacr. latinae vers. antiquae* 3, 287; in *Patr. lat.* 86, 844. Plura dat I. B. Frey in *Verbum Domini* 5 (1925) 200-202.

Anglice versus legitur in Hastings, *Dict. of the Bible*, 4, 416; gallice in Vigouroux, *Dict. de la Bible*, 5, 839; italice ap. A. Vaccari, *I Libri poetici della Bibbia tradotti dai testi originali e annotati*, Roma, 1925, p. 411.

Incertae originis sunt quatuor psalmi quos syriace cum praecedenti 151 edidit *W. Wright in *Proceedings of the Soc. of Bibl. Archaeol.* 9 (1887), 256-266; cf. Vigouroux, *Dict. de la Bible*, l. c.

24) Psalmi Salomonis.

112. Sunt decem et octo carmina, psalmis canonicis similia. Exaltant bonitatem Dei, eius misericordiam in populum electum, eius iustitiam; plena sunt iusto odio in peccatores, describunt tribulationes quas passa est civitas sancta, et spem in adventum Messiae, regis israelitici, vivide exprimunt.

Auctor est pius Iudaeus Hierosolymitanus qui scripsit, hebraice vel aramaice, post urbem captam a Pompeo Magno a. 63 ante Christum.

Cur cantica Salomoni tribuantur, nescitur; forsan titulus a quodam scriba serius adiectus est. In pluribus codicibus versionis alexandrinae inter libros Salomoni adscriptos inveniuntur.

Exstant graece et syriace. Textus *graece* pluries editus est, v. gr. ab *Osc. von Gebhardt, Leipzig 1895; a Swete, *The O. T. in Greek*, 3, p. 765-787; a Viteau, Paris 1911.

Textum *syriacum* invenit et edidit R. Harris, *The Odes and Psalms of Solomon*, now first published from the syriac version, Cambridge 1909; plenius R. Harris and Mingana, *The Odes and Psalms of Solomon*, vol. 1: The Text; vol. 2: The translation with introduction and notes, Manchester 1916-20.

Versiones modernae sunt multae, v. gr.:
anglica: Gray ap. Charles, *The Apocrypha* 2, 625-652; R. Harris, R. Harris and Mingana, op. cit.
gallica: Viteau, Paris 1911.
germanica: Kittel ap. Kautzsch, 2, 127-148.

25) Odae Salomonis.

113. Sunt numero quadraginta duae, in ms. quodam syriaco a R. Harris nuper inventae, simul cum Psalmis Salomonis, de quibus modo.

Multum de indole et origine horum poematum disputatur. Probabilius dicendum, ea esse cantica gnostica saeculo II graece conscripta. Quinque ex eis referuntur in opere gnostico *Pistis Sophia*. Christum ejusque beneficia in animam fidelem celebrant.

Aliud ms. syriacum invenit Burkitt, a. 1912; at continet tantum Od. 17, 7-60. Cf. Harris and Mingana, op. cit.

Versiones adornarunt:
anglice: R. Harris; R. Harris and Mingana, op. cit.
gallice: J. Labourt et P. Batiffol, *Les Odes de Salomon*, une oeuvre chrétienne des environs de l'an 100-120, Paris 1911.

germanice: *Flemming-Harnack, *Ein jüdisch-christliches Psalmenbuch aus dem ersten Jahrhundert* (Texte und Unters. 35,4), Leipzig, 1910; *H. Gressmann, ap. Hennecke, 1924, p. 437-472.

italice: Tondelli *Le odi di Salomone.* Cantici cristiani degli inizi del II secolo, Roma 1914.

26) Oratio Manassae.

114. Est carmen poenitentiale, ex narratione 2 Paralip. 33, 11-13. 18 s. obortum, pulchrum ac pium, dolorem de peccatis commissis exprimens.

Conscriptum videtur a Iudaeo Hellenista, lingua graeca, ante Christum.

Exstat graece, latine, syriace, aethiopice, arabice, armeniace, coptice. Invenitur in plerisque editionibus Bibliorum graecorum aut latinorum, et in omnes linguas modernas versa est; cf. editiones apocryphorum et translationes Scripturae sacrae.

27) 4 Machabaeorum.

115. Est pia exhortatio ad omnes animi affectus imperio rationis subdendos. Et primo quidem argumentum evolvit rationibus philosophicis (1, 13-3, 18), deinde rem illustrat exemplis ex historia iudaica desumptis, sacerdotis Oniae, Eleazari, septem fratrum una cum matre, qui omnes, passionibus et tyrannis fortiter resistentes, laudem aeternam adepti sunt (3, 19-18, 24).

Conscriptus est liber graece, paulo ante vel paulo post Christum, sed ante eversionem Templi, a Iudaeo Hellenista, philosophiae stoicae haud ignaro.

Invenitur textus *graecus* in pluribus codicibus et in plerisque editionibus versionis alexandrinae, necnon inter opera Fl. Iosephi, cui quandoque sine fundamento attribuitur. Textus *syriacus* editus est a Ceriani (Mediolani 1883) et a Bensly (Cambridge 1895).

Versiones modernae multae factae sunt, v. gr.:

latine: D. Calmet, *Les Livres des Maccabées,* Paris 1722, 555-577; Dindorf, *Fl. Iosephi opera,* Parisiis 1845-47, 2, 391-411.

anglice: Townshend ap. Charles, *The Apocrypha* 2, 653-685.

germanice: Deissmann ap. Kautzsch *Die Apokryphen* 2, 149-177; P. Riessler, *op. cit.,* p. 700-728.

CAPUT II

DE APOCRYPHIS NOVI TESTAMENTI

116. Libri apocryphi Novi Testamenti, iuxta divisionem librorum canonicorum, commode in quatuor classes distribui possunt: in Evangelia, Actus Apostolorum, Epistolas, Apocalypses, prout scilicet argumenta evangelica aut historiam apostolorum evolvunt, vel Epistolas aut Apocalypsim imitantur.

Sub uno conspectu exhibentur apocrypha Novi Testamenti:

Classis 1. **Evangelia Apocrypha:**

1) Evangelium secundum Hebraeos.
2) Evangelium secundum Aegyptios.
3) Evangelium Ebionitarum. – Evangelium Duodecim Apostolorum.
4) Evangelium Petri.
5) Proto-Evangelium Iacobi. – Evangelium Nativitatis Mariae. – Liber de ortu B. M. V. et de infantia Salvatoris.
6) Evangelium Thomae.
7) Evangelium Infantiae Salvatoris (arabicum).
8) Historia Iosephi Fabri lignarii.
9) Evangelium Nicodemi: Acta Pilati – Descensus Christi ad inferos. – Epistola Pilati – Anaphora Pilati.
10) Transitus Mariae.
11) Alia Evangelia apocrypha: Bartholomaei, Philippi, etc.

Classis 2. **Acta Apocrypha:**

12) Acta Petri.
13) Praedicatio Petri.
14) Acta Pauli.
15) Acta Petri et Pauli.
16) Acta Ioannis.
17) Acta Andreae.
18) Acta Thomae.
19) Acta alia apocrypha: Philippi, Matthaei, Barnabae.

Classis 3. **Epistolae Apocryphae:**

20) Epistolae D. N. I. C. et Abgari, regis Edesseni.
21) Epistola Apostolorum vel Sermones Domini cum discipulis.
22) Epistola Pauli ad Laodicenses.
23) Epistola Pauli ad Alexandrinos.
24) Epistola Pauli ad Corinthios et Epistola Corinthiorum ad Paulum.
25) Epistolae Pauli ad Senecam philosophum et Senecae ad Paulum.

Classis 4. **Apocalypses Apocryphae:**

26) Apocalypsis Petri.
27) Apocalypsis Pauli.
28) Apocalypsis Thomae.
29) Apocalypsis Stephani.
30) Apocalypses Joannis.
31) Apocalypses B. M. Virginis.
32) Aliae apocalypses apocryphae: Bartholomaei (?). Zachariae.

Ad bibliographiam, haec pauca sufficiant:

Textus: *Thilo, *Codex apocryphus Novi Testamenti*, Lipsiae, 1832. – C. Tischendorf, *Evangelia apocrypha*, Lipsiae, 1853; idem, *Acta apostolorum apocrypha*, Lipsiae, 1851; idem, *Apocalypses apocryphae*, Lipsiae, 1866. – W. Wright, *Apocryphal Acts of the Apostles*, edited from Syriac manuscripts in the British Museum and other libraries, London, 1871, vol. I: The Syriac Texts; vol. II: The English Translation. – *Lipsius et Bonnet, *Acta apostolorum apocrypha*, Lipsiae, vol. I, 1891; vol. II, 1898, 1903.

Translationes: Brunet, *Les Évangiles apocryphes*, traduits et annotés d' après l' édition de Thilo, Paris, 1849; 2ª ed. 1863. – Migne, *Dictionnaire des Apocryphes*, I-II, Paris, 1856, 1858. – Peeters et Michel, *Évangiles apocryphes*, I-II, Paris, 1911, 1914. – *Les apocryphes du Nouveau Testament* publiés sous la direction de J. Bousquet et E. Amann, Paris (Protoev. Iacobi, 1910; Acta Pauli, 1913; Acta Petri, 1922). – L. Scarabelli, *I Vangeli apocrifi*, Bologna, 1867. – E. *Hennecke, *Neutestamentliche Apokryphen*, Tübingen, 1904; idem, *Handbuch zu den Neutestamentlichen Apokryphen*, Tübingen, 1904; altera editio retractata et aucta, Tübingen, 1924, utrumque volumen supplet. – M. R. James, *The Apocryphal New Testament*, being the apocryphal Gospels, Acts, Epistles and Apocalypses, Oxford, 1924.

Commentationes: Praeter eas quae in Encyclopaediis biblicis vel in Introductionibus ad Sacram Scripturam passim habentur, consuli possunt: Variot, *Les Évangiles apocryphes*, Paris, 1878. – Lipsius, *Die apokryphen Apostellegenden*, Braunschweig, I-II et Suppl., 1883-90. – Bardenhewer, *Geschichte der altkirchlichen Literatur*², I, Freiburg, 1913, p. 498-622; E. Amann, «Apocryphes du Nouveau Testament», in Supplemento ad Vigouroux *Dict. de la Bible*, fasc. II-III, 460-533. – Alia plura in decursu tractationis adducentur.

Classis 1. EVANGELIA APOCRYPHA.

1-11) Agetur de iis commodius in volumine 3 inter *Fontes de vita Christi*.

Classis 2. ACTA APOCRYPHA.

12) Acta Petri.

117. Ut ex testimoniis veterum elucet, exstitit olim narratio sat diffusa de Petri vita et martyrio. In fragmentis quae supersunt,

haec referuntur: Paulus ex urbe Roma in Hispaniam proficiscitur (1-5). Petro autem, Hierosolymis adhuc commoranti, Christus apparet eumque iubet Romam petere ut contra Simonem Magum pugnet; revera Petrus seductorem, magicis artibus in aera se sublevantem, precibus suis vincit eumque in terram praecipitat (6-32). Sed mox periculum Petro impendet; nam propter eius praedicationem de continentia multae mulieres a maritis se segregaverant. Ut mortem effugiat, Petrus Romam relinquit; e porta civitatis vix egressus, videt Dominum sibi occurrentem et ait: « Domine, quo vadis? ». Cui Dominus: « Venio Romam iterum crucifigi ». Intellexit Petrus quid sibi instaret, gaudens ad urbem rediit, capitur et crucis supplicio afficitur, capite deorsum verso (33-41).

Huc faciunt:

a) *Actus Petri cum Simone*, seu *Actus Vercellenses*, continentur in manuscripto quodam latino Vercellensi saec. VII.

Textum hunc latinum ediderunt LIPSIUS et BONNET, *Acta Apostolorum Apocrypha*, I, Lipsiae, 1891, p. 45-103; simul cum gallica versione L. VOUAUX, *Les Actes de Pierre*. Introduction, textes, traduction et commentaires, Paris, 1922, p. 228-397. Translationem germanicam confecit FICKER, apud HENNECKE, *Neutestamentliche Apocryphen*[2], Tübingen, 1924, p. 231-249; anglicam, A. R. JAMES, *The apocryphal N. T.*, Oxford, 1924, p. 304-330.

b) *Martyrium beati apostoli.* – Exstant textus:

graecus, qui videtur esse textus apocryphi primigenius; ap. LIPSIUS-BONNET, op. cit., p. 78-102; VOUAUX, op. cit., p. 398-467, cum translatione gallica;

latinus: Martyrium b. Petri ap. a Lino episcopo conscriptum, pluribus additamentis auctus; ap. LIPSIUS-BONNET, op. cit., p. 1-22;

syriacus, slavicus, armeniacus, copticus, arabicus, aethiopicus.

c) Textum quemdam copticum edidit C. SCHMIDT, *Die alten Petrusakten* (Texte und Unters. 24, 1), Leipzig, 1903. Narratur in fragmento, quomodo Petrus filiam suam paralyticam sanaverit ac denuo aegritudini restituerit. Disputant critici utrum revera pertineat ad *Acta Petri*, sed affirmandum videtur. Translatio germanica huius textus habetur ap. HENNECKE, *Neutestamentl. Apokr.*[1], Tübingen, 1904, p. 391-393; gallica ap. VOUAUX, op. cit., p. 221-227; anglica, ap. JAMES, *The Apocr. N. T.*, p. 300-302.

Textus latinus *Actorum Vercellensium* est probabiliter saec. III. Textus graecus primitivus, e quo fluxit versio latina, videtur saec. II vel initio saec. III in Asia Minori conscriptus. Multi critici censent

auctorem erroribus gnosticis fuisse infectum; Vouaux et James negant. Certum tamen est eum favere doctrinis Encratitarum (1).

Multa de Petro habent etiam *Homiliae* et *Recognitiones* pseudoclementinae, de quibus confer *Patrologos*, v. gr. BARDENHEWER, *Gesch. der altk. Lit.* 2², § 87; id. *Patrol.*³ p. 66-68.

13) Praedicatio Petri.

118. Paucae supersunt citationes apud Clementem Alex. huius apocryphi, quod plures homilias, S. Petro adscriptas, videtur continuisse, et saec. II, in Aegypto vel in Graecia conscriptum esse.

Fragmenta collegit *E. von DOBSCHÜTZ, *Das « Kerygma Petri » kritisch untersucht* (Texte und Unters. 11, 1), Leipzig, 1893; germanice, ap. HENNECKE, op. cit.², 1924, p. 145 s.; anglice, ap. JAMES, *The Apocr. N. T.*, p. 16-19. – Huc probabiliter spectant etiam citationes quaedam de *Doctrina* (vel *Didascalia*) *Petri;* cf. HENNECKE,² p. 146.

14) Acta Pauli.

119. Operis quondam magnae molis, ad laudem Apostoli gentium conscripti, plures supersunt partes, quarum praecipuae sunt:

a) *Acta Pauli et Theclae.* — Exstant graece, latine, syriace, armeniace, slavice, arabice, coptice. Paulo Iconii praedicante, Thecla virgo fidem christianam amplexa, sponsum Thamiridem reliquit, ideoque igni tradita, at pluvia superveniente liberata est. Cum Paulo Antiochiam petit ubi feris obicitur, sed miraculose servatur.

b) *Martyrium Pauli.* — Exstat graece, latine, syriace, slavice, coptice. Narrat Paulum Neronis pincernam, Patroclum nomine, e mortuis excitasse eumque cum aliis Neronis familia-

(1) Notandum, in *Act. Vercell.* (c. 2), Eucharistiam consecrari *in pane et aqua*. Scimus equidem hoc aliquando factum esse etiam in Ecclesiis quibusdam catholicis, ex ignorantia vel nimia simplicitate (« vel ignoranter vel simpliciter », S. Cyprianus, Ep. 63, *ad Caecilium: PL* 4, 373). Sed verum est etiam, plures sectas gnosticas a vino abhorruisse (ap. EPIPH. *Haer.* 45 et 47; *PG* 41, 833. 836. 852 s.; **cf. etiam S. JOANN. CHRYS., in *Matth.* hom. 82, 1; *PG* 57, 740**); idem modus celebrandi Eucharistiam recurrit in *Actis Thomae* qui multa gnostica continent, et apud Encratitas: illorum mysteria in aqua solummodo celebrantur » (EPIPH. *Haer.* 47; *PG* 41, 852 s.).

ribus convertisse, et hac de causa, Neronis iussu, capite plexum esse.

c) Epistolae Pauli ad Corinthios et Corinthiorum ad Paulum. De his postea agetur.

Textus *graecus Actorum Pauli et Theclae* ac *Martyrii*, ap. LIPSIUS-BONNET, I, p. 235-272; cum translatione gallica, ap. VOUAUX, *Les Actes de Paul et ses lettres apocryphes*. Introduction, textes, traduction et commentaire, Paris, 1913, p. 146-238, 278-314.

Textus *copticus*, cum translatione germanica: C. SCHMIDT, *Acta Pauli*, aus der Heidelberger Papyrushandschrift N. 1 herausgegeben. Uebersetzung, Untersuchungen und koptischer Text, Leipzig, 1904; 2 ed. aucta 1905.

Versionem germanicam omnium fragmentorum habet ROLFFS, ap. HENNECKE², 1924, p. 197-212; anglicam, JAMES, *The Apocr. N. T.*, p. 271-299; italicam M. ZAPPALÀ, *Il romanzo di Paolo e Tecla*, Milano 1924.

Acta Pauli iam nota erant Tertulliano, iuxta quem presbyter asiaticus, qui ea conscripsit, munere suo privatus est. Sunt igitur saeculi II, probabiliter a. 160-170, exarata. Nil vere haeretici continent.

15) Acta Petri et Pauli.

120. Videntur esse retractatio *Actorum Petri* et *Actorum Pauli*. Ostendunt fraternam concordiam qua principes apostolorum ad invicem devinciebantur; narrant iter Pauli romanum et amborum apostolorum martyrium, S. Pauli via Ostiensi gladio percussi, S. Petri supplicio crucis affecti, capite deorsum verso.

Opus videtur in priori parte saec. III conscriptum.

Textus, graecum et latinum, ediderunt LIPSIUS-BONNET, 1, p. 118-222.

Textus plerosque collegerunt LIPSIUS-BONNET, op. cit., 2, 1, Lipsiae, 1898, p. 151-216. Translationem germanicam edidit HENNECKE,² p. 175-191; anglicam, JAMES, *The apocr. N. T.*, p. 228-270.

16) Acta Ioannis.

121. Apocryphi huius sat prolixi et gnosticis erroribus infecti, multa supersunt fragmenta. Narrant itinera apostoli eiusque duplicem commorationem Ephesi, ubi multa patrat miracula et templum Artemitidis destruit, sermones quos habuit de vita Christi eiusque morte apparenti, tandem mortem S. Ioannis.

Videntur confecta circa medium saeculum II, a Leucio quodam (iuxta Innocentium I) vel Leucio Charino (iuxta Photium), placitis Gnosticorum addicto. Initio saeculi V a Prochoro diacono, qui se discipulum S. Ioannis iactat, recognita et ampliata sunt.

Textum huius retractationis edidit Zahn, *Acta Ioannis*, Erlangen, 1880, p. 1-165.

Ad finem saec. VI Ps.-Abdias, in sua *Historia apostolica*, narrationem in compendium redegit; at ea omnia quae heterodoxe sonabant omisit.

Habes translationem gallicam huius textus ap. Migne, *Dictionnaire des Apocryphes* 2, col. 327-356.

17) Acta Andreae.

122. Testimonia veterum testantur exstitisse *Acta Andreae* haeretica, quae iuxta plures criticos eumdem auctorem ac Ioannis Acta habent. Sed probabilius dicendum auctorem hunc, sicut etiam auctores Actorum Petri, Pauli et Thomae, Leucium esse imitatum. Exceptis paucis fragmentis, Acta haec Andreae gnostica perierunt.

Fragmentum praecipuum exstat graece ap. Lipsius-Bonnet II, 1, p. 38-45; germanice ap. Hennecke², p. 251; anglice ap. James, *The apocr. N. T.*, p. 350-357.

Supersunt etiam retractationes quaedam necnon citationes a scriptoribus ecclesiasticis allegatae, quae nil heterodoxi continent. Inter eos eminet *Martyrium S. Andreae Apostoli*, Patrae in Achaia crucifixi.

Retractationes hae catholicae non videntur exaratae ante saec. V. Nituntur quidem Actis antiquioribus; at impossibile est nova a veteribus discernere.

Textus plures editi sunt a Bonnet, *Acta Apostolorum apocrypha* 2, 1, p. 1-127; *Monumenta Germaniae Historica*, Gregor. Turonen. 2, p. 821-847; *Analecta Bollandiana* 13 (1894) p. 309-378 (supplementum *Codicis apocryphi* ², Paris, 1895). Narrationem compendiosam anglice versam exhibet James, *The apocr. N. T.*, p. 337-349.

Juxta James, non ad Acta Andreae sed ad alium cyclum pertinent apocrypha tardioris aetatis inscripta *Acta Andreae et Matthiae*, quae narrant quomodo Andreas liberaverit Matthiam apud anthropophagos in carcere detentum eisque Evangelium praedicaverit, et *Acta Apostolo-*

rum Petri et Andreae, ubi describitur praedicatio apostolorum fratrum «in barbarorum civitate». Quoad priora, cf. Fr. Blatt, *Die lateinische Bearbeitung der Acta Andreae et Matthiae apud anthropophagos mit sprachlichem Kommentar* (*Beihefte zur Zeits. f. neut. Wiss.*, 12), Giessen, 1930.

18) Acta Thomae.

123. Opus primitivum, gnosticum, in sectis haereticis olim praedilectum, maximam partem periit. Supersunt duae retractationes, una syriaca, altera graeca, ab auctoribus catholicis elaboratae, qui tamen multa gnostica servarunt. Fuse narrant itinera S. Thomae in India, eius praedicationem, quae generatim eo tendit ut mulieribus continentiam suadeat easque a consortio virorum separet, eius miracula atque martyrium.

Plerique critici tenent opus originale lingua syriaca, forsan Edessae in schola Bardesana, initio saec. III fuisse conscriptum. Recensio autem syriaca nunc exstans non est posterior saec. IV. In recensione graeca doctrinae gnosticae magis patent; ubique rigidus encratismus docetur (1).

Textum syriacum edidit, cum translatione anglica, *W. Wright, *Apocryphal Acts of the Apostles*, London, 1871, 1, p. 171-333 (syr.), 2, p. 146-298 (angl.); etiam Bedjan, *Acta Martyrum et Sanctorum*[3], Paris, 1892, p. 1-175. Plures alii textus syriaci posterius innotuerunt.

Textum graecum: Lipsius-Bonnet, II, 2, p. 99-288; hunc germanice vertit Bauer, ap. Hennecke[2], p. 258-289; anglice, James, *The apocr. N. T.*, p. 365-438.

Plures existunt retractationes latinae et graecae recentiores. Acta Ioannis, Pauli, Petri, Andreae et Thomae, in unum corpus collecta, apud Manichaeos locum Actuum Apostolorum genuinorum obtinuerunt.

19). Alia Acta: Philippi, Matthaei, Barnabae.

124. Sunt minoris momenti:

Acta Philippi ad finem saec. IV graece a monacho quodam parum litterato exarata sunt. Textus graecus completus ap. Lipsius-Bonnet 2, 2, p. 1-90. Exstat etiam textus syriacus et armeniacus.

Acta Matthaei sunt saec. IV vel V. Textum graecum, cum veteri versione latina, exhibent Lipsius-Bonnet, 2, 1, p. 217-262.

Acta Barnabae in insula Cypro ad finem saec. V conscripta sunt. Textum graecum habent Lipsius-Bonnet, 2, 2, p. 292-302.

(1) Notandum etiam in his Actis Eucharistiam consecrari *in pane et aqua* (c. 120 s.).

Classis 3. EPISTOLAE APOCRYPHAE.

20). Epistolae Domini Nostri Iesu Christi et Abgari, regis Edessae.

125. Iuxta Eusebium, *H. E.* 1, 13, 6-22, Abgarus, rex Edessenorum, morbo insanabili laborans, cum audisset Iesum multa miracula patrare, ad eum legatos misit rogans ut Edessam veniret eumque sanaret, sicque etiam refugium securum contra insidias Iudaeorum inveniret. Christus Abgaro respondit:

« Beatus es, qui credidisti in me, cum ipse me non videris. Scriptum est enim de me, quia ii qui me vident, non credent in me, et qui non vident me, ipsi credent et vivent. De eo autem quod scripsisti mihi ut veniam ad te, oportet me omnia, propter quae missus sum, hic explere et posteaquam complevero, recipi me ad eum a quo missus sum. Cum ergo fuero adsumptus, mittam tibi aliquem ex discipulis meis, ut curet aegritudinem tuam et vitam tibi atque his qui tecum sunt praestet ».

Et revera, post ascensionem Christi, « Iudas qui et Thomas », Edessam misit « Thaddaeum apostolum unum ex septuaginta », qui regem curavit atque Edessenis Evangelium praedicavit.

Eusebius, qui scripta haec authentica putavit, testatur se ea in publicis Edessenae civitatis archivis reperisse eaque ex lingua syriaca in graecam transtulisse.

Tamen Epistolae ut apocryphae reiiciuntur in decreto Gelasiano, ipsisque verba Augustini applicari possunt, nempe quod si exsisterent authenticae Christi Epistolae, absque dubio « praecipuo culmine auctoritatis eminerent in eius Ecclesia »; *C. Faustum Manich.* 28, 4; *PL* 42, 486; cf. *De consensu Evang.* I, 7, 11; *PL* 34, 1047. S. Hieronymus pariter scribit: « Salvator nullum volumen doctrinae suae proprium dereliquit, quod in plerisque apocryphorum deliramenta confingunt »; *Comment. in Ezech.*, ad 44, 29 s.; *PL* 25, 443.

Iuxta Lipsium, Epistolae tempore Abgari IX (179-216) confictae sunt.

126. Amplior quaedam narratio de conversione Edessenorum ad fidem christianam habetur in *Doctrina Addaei apostoli*, syriaca, quae anno 1876 edita est:

G. Phillips, *The Doctrine of Addai, the apostle*, now first edited in a complete form in the original Syriac, with an English translation and notes, London 1876.

Idem opus, quandoque *Acta Thaddei* inscriptum, exstat etiam armeniace, in retractatione quadam graeca et in pluribus aliis recensionibus; LIPSIUS-BONNET 1, p. 273-278. Cf. L. J. TIXERONT, *Les Origines de l'Eglise d'Edesse et la légende d'Abgar.* Étude critique suivie de deux textes orientaux inédits, Paris 1888; E. von DOBSCHÜTZ, *Christusbilder* (Texte und Unters 18), Leipzig 1899, p. 102-196; R. DUVAL, *La Littérature syriaque*[3], Paris 1907, p. 95-109.

Doctrina Addaei syriaca, juxta Tixeront, praesentem formam accepit a. 390-430. Multa addit narrationi eusebianae, v. gr. de inventione sanctae Crucis, de imagine Christi Edessam allata. At in hoc textu responsum Christi est mere orale, probabiliter quia auctor non existimavit se posse exhibere Epistolam Christi quae, si fuisset authentica, in canone librorum sacrorum inveniri debuisset.

21). Epistola Apostolorum.

127. Prima fronte videntur esse quasi Litterae Encyclicae, a collegio apostolico Ecclesiis « Orientis et Occidentis, Septentrionis et Austri » missae. Sed re melius inspecta, potius sunt *Sermones Domini cum discipulis.* Docent apostoli qualem fidem Christi discipuli profiteri debent; narrant vitam, passionem, resurrectionem et apparitiones Domini; referunt quomodo Christus, ante ascensionem, ipsis praedixerit futuras sortes Ecclesiae, eosque interrogantes erudierit de iudicio et de signis parusiae, de resurrectione corporum, de retributione cuique secundum opera sua impertienda. Auctor videtur speciatim insistere in iis quae ostendunt missionem apostolorum, non excepto Paulo, a Christo esse factam; poenas aeternas falsis doctoribus comminatur; monet veram fidem et opera bona esse conditionem requisitam ad vitam aeternam obtinendam; « extra ovile pastoris ovium » nullam dari salutem, nec ipsos fideles salvatum iri, si eorum opera sint eadem ac infidelium.

Paucis tantum abhinc annis Epistola innotuit. Exstat aethiopice et est pars operis cui titulus *Testamentum D. N. I. C.*; sed revera sunt duo opera distincta quorum primum est *Testamentum* et secundum *Epistola apostolorum.* Textum *aethiopicum,* cum translatione gallica, edidit GUERRIER, *Le Testament en Galilée de N. S. J. C.*; texte éthiopien édité et traduit, avec le concours de S. GREBAUT, *Patrologia Orientalis* 9, 3, Paris 1913 (Epistola continetur c. 12-62).

Textus *copticus* (c. a. 400) est mutilus; eum edidit, cum translatione germanica et commentariis, C. SCHMIDT, *Gespräche Jesu mit seinen Jüngern nach der Auferstehung.* Ein katholisch-apostolisches Sendschreiben des 2. Jahrhunderts, nach einem koptischen Papyrus des Institut de la

Mission archéologique française au Caire, unter Mitarbeit von H. Pierre Lacau, herausgegeben, übersetzt und untersucht. Uebersetzung des äthiopischen Textes von Dr. Isaac Wajnberg (Texte und Unters 43), Leipzig 1919. De hoc opere, cf. G. Bardy, *Revue Biblique* 1921, p. 110-134.

Parvum fragmentum *latinum* (v vel vi saec.) adinventum est a Bick in codice palimpsesto Vindobonensi; ap. Schmidt, op. cit., p. 21 s.

Habetur Epistola anglice ap. James, *The apocr. N. T.*, p. 485-503; germanice edita est a Duensing, *Epistula Apostolorum* nach dem aethiopischen und koptischen Texte, Bonn 1925. Cfr. Hennecke, *Neut. Apokr.*[2] 1924, p. 146-150.

Epistola in rebus moralibus doctrinas optimas praebet. Sed in re dogmatica plura habet singularia; v. gr. Christus assimilatur angelo; annuntiatio facta est a Verbo ipso, sub specie archangeli Gabrielis B. M. V. apparente (c. 25 ap. Guerrier); Christus, passione peracta, descendit ad inferos ibique patriarchis ac prophetis « manu dextra baptismum vitae, condonationem et remissionem omnium peccatorum contulit » (c. 37 ap. Guerrier), et plura alia quae gnosticismum sapiunt (cf. Bardy loc. cit.).

Conscripta est graece, a. 160-170 iuxta Schmidt, forsan adhuc prius iuxta Hennecke, ad finem saec. ii vel initio saec. iii, iuxta Bardy. Disputant utrum in Asia Minori an in Aegypto ortum habuerit.

22) Epistola Pauli ad Laodicenses.

128. Originem huic apocrypho dederunt verba Apostoli ad Col. 4, 16. Testante fragmento Muratoriano, epistola quaedam ad Laodicenses exstitit olim apud Marcionitas. At illa, cuius textus latinus nobis servatus est, nil continet haeretici, ac proinde non eadem est.

Epistola fuit scripta graece, probabiliter saec. iv. Fere tota ex aliis S. Pauli epistolis, praesertim ex epistola ad Philippenses, compilata est.

Legitur in Vulgatae manuscriptis haud paucis, v. gr. in celebri cod. Fuldensi (saec. vi), et in pluribus versionibus ex Vulgata adornatis.

Invenitur ap. Nestle, *Novum Testamentum graece et latine*, Stuttgart 1906, p. xxviii; cum introductione et translatione gallica ap. Vouaux, *Les Actes de Paul et ses lettres apocryphes*, Paris 1913, p. 315-326; germanice ap. Hennecke[2], p. 150 s.; anglice ap. James *The apocr. N. T.*, p. 478 s.

23) Epistola Pauli ad Alexandrinos.

Fragmentum Muratorianum etiam epistolae cuiusdam S. Pauli ad Alexandrinos, eadem haeresi infectae, meminit; at ne vestigium quidem huius scripti remansit. ZAHN (1) putavit se invenisse hanc epistolam in « Sacramentario et Lectionario Bobbiensi » saec. VII, ubi legitur quaedam « Epistola Pauli apostoli ad Colossenses ». Sed haec nil continet quod haeresim marcioniticam sapiat, et fuit latine conscripta.

24) Epistola Pauli ad Corinthios et Epistola Corinthiorum ad Paulum.

129. His figmentis ansam dederunt verba Pauli, 1 Cor. 7, 1 et 5,9. Sunt pars *Actorum Pauli*. « Stephanus et qui cum eo sunt maiores natu » (presbyteri) scribunt Paulo advenisse Corinthum duos homines qui « negant prophetis oportere uti; nec communium rerum esse Deum potentem; nec anastasim futuram carnis; nec hominem a Deo factum; nec in carne Christum descendisse, nec de Maria natum; nec Dei esse orbem, sed nuntiorum » (angelorum), ac proinde expostulant, ut veniat et scandalum removeat. Paulus rescribit docendo veram doctrinam.

S. Ephrem has epistolas ut canonicas habuit easque, sicut alias Epistolas paulinas, exposuit. Eius commentarius superest in versione armeniaca. Etiam in Bibliis armeniacis, a saec. V, diu inter scripta canonica connumerabantur. Cum *Actis Pauli*, earum compositio versus a. 170 ponenda videtur.

Exstant epistolae armeniace, latine et coptice. Translationem germanicam textus armeniaci et ambas recensiones latinas edidit VETTER, *Der apocryphe dritte Korintherbrief*, Wien, 1894. Textum latinum exhibent KARL PINK, *Die pseudo-paulinischen Briefe*, I, *Biblica* 6 (1925), 82-89, et cum translatione gallica, VOUAUX, op. cit., p. 248-275; textum copticum C. SCHMIDT, *Acta Pauli*, Leipzig 1904 et 1905; translationem germanicam HENNECKE², p. 207-209; anglicam JAMES, *The apocr. N. T.*, p. 289-291.

Versio armeniaca probabiliter e textu syriaco, versiones autem latinae e textu graeco originali *Actorum Pauli* promanant.

---

(1) ZAHN, *Geschichte des neut. Kanons*, 2, 2, Leipzig 1892, p. 586-592; cf. VOUAUX, op. cit., p. 327-332.

25) S. Pauli Epistolae ad Senecam philosophum et Senecae ad Paulum.

130. Sunt numero quatuordecim, octo Senecae et sex Pauli, lingua latina conscriptae, nec stylo nec sententiis praestantes. Miratur philosophus doctrinas Apostoli, sed optaret « ut maiestati earum cultus sermonis non desit », eaque de ratione ei transmittit librum « de verborum copia »; Caesar quoque (Nero), cui ipse quaedam Pauli volumina legit, iis permotus est; tandem incendium urbis et supplicia christianorum lamentatur. Paulus ei rescribit, felicem se arbitrari « tanti viri iudicio », et timorem exprimit ne Caesar et imperatrix (Poppaea) ex cognitione religionis christianae offensam sumant, eumque rogat ne deinceps epistolas suas eis legat.

Nota erat quaedam collectio epistolarum Senecae ad Paulum et Pauli ad Senecam S. Hieronymo et S. Augustino. At dubitant quidam utrum collectio illa eadem fuerit ac nostra; immo sunt qui compositionem epistolarum nostrarum, aut saltem plurium, usque ad saec. VIII reiciant. Probabiliter dici potest eas saec. IV, ante Hieronymum, esse conscriptas.

Textus invenitur in plurimis editionibus operum Senecae. Etiam separatim saepe evulgatus est; v. gr. ap. Vouaux, op. cit., p. 332-369, cum introductione et translatione gallica.

Classis 4. APOCALYPSES APOCRYPHAE.

26) Apocalypsis Petri.

131. Exstitisse saec. II apocalypsim quamdam Petri, immo eam apud quosdam in magna aestimatione fuisse, constabat ex testimoniis veterum (1), praesertim Clementis Alexandrini, qui eam ut sacram Scripturam commentatus est. At, exceptis paucis citationibus, opus deperditum credebatur. Anno 1887 Bouriant, in ms. quodam graeco saec. VIII in Akhmim invento, fragmentum apocalypsis detexit et a. 1892 edidit. Nunc autem textus completus exstat in versione aethiopica quam Sylvain Grébaut cum gallica translatione a. 1910 evulgavit. Haec fere continet:

Dum Christus sedet in monte Olivarum, accedunt ad eum di-

(1) Fragmentum Muratorianum videtur iam eius facere mentionem (lin. 71-72).

scipuli et rogant ut eis indicet tempus adventus sui et consummationis saeculi (cf. Mt. 24,3). Dominus respondet, parusiam suam fore gloriosam, monet a seductoribus, longius evolvit parabolam ficus (Mt. 24, 32 s.), nuntiat venturos Henoch et Eliam ut Antichristo resistant, describit signa horrenda quae resurrectionem ac iudicium generale praecedent. Deinde ostendit discipulis loca ubi cruciantur damnati, diversa peccata diversimode puniuntur. Ex altera parte, describit gloriam electorum et delicias quibus perfruentur. Tandem Christus rapitur in coelum, Moyse et Elia comitantibus.

U. Bouriant, *Fragments du texte grec du livre d'Enoch et de quelques écrits attribués à S. Pierre*, in « Mémoires publiés par les membres de la Mission archéologique française au Caire » 9, 1, 1892. – Sylvain Grébaut, *Littérature éthiopienne pseudo-clémentine. La seconde venue du Christ et la résurrection des morts*, in « Revue de l'Orient chrétien » 15 (1910) p. 198-214. 307-323. 425-439; cf. ibid. 1907, p. 140-145. De hoc opere cf., M. R. James, *Jour. of Th. St.*, 12 (1910-11), p. 36-54. 362-383. 573-583.

Translationem germanicam exhibet Weinel ap. Hennecke², 1924, p. 314-327; anglicam James *The apocr. N. T.*, p. 505-521.

Conscripta est haec apocalypsis graece saeculo II, ut innuimus; iuxta Weinel circa annum 135. Prouti iacet in versione aethiopica, forsan aliquibus additamentis aucta est.

27) Apocalypsis Pauli.

132. Apostolus ad Corinthios scribens declarat se, raptum usque ad tertium coelum, audivisse arcana verba quae non licet homini loqui; 2 Cor. 12, 2-4. Quae ipse dicere noluit, alii fraudulenter finxerunt. Testatur S. Epiphanius, saec. II vel III apud Cainitas et « Gnosticos » exstitisse *Ascensionem Pauli*, Ἀναβατικὸν Παύλου (Haer. 38, 2; *PG* 41, 656). Sed opus hoc periit.

Superest alia *Apocalypsis Pauli*, iam in decreto Gelasiano notata. In huius operis praefatione auctor contendit, apocalypsim adinventam esse Theodosio imperante (379-395) Tharsi, in fundamentis domus ubi olim habitaverat Paulus. Iubente Domino, Apostolus hortatur peccatores ad poenitentiam; sol, luna, stellae et mare clamant ad Deum ut vindictam sumat de impiis; bis in die, occasu et ortu solis, angeli, qui populos et homines custodiunt, ad Dominum accedunt ut rationem reddant de unoquoque et de

operibus. bonis vel malis, quae gessit. Videt Paulus angelos qui praesunt hominibus, tum bonis tum malis, videt iudicium quod exercetur in homines statim post mortem, novam Ierusalem cum quatuor fluminibus melle, lacte, oleo et vino fluentibus, ibique cernit prophetas, Innocentes ab Herode occisos, patriarchas, David. Alio versus, videt flumen ignis et in eo multitudinem virorum ac mulierum qui pro peccatis commissis puniuntur; supplicia specialia inferuntur his qui non confessi sunt « Christum venisse in carne et eum genuisse Mariam Virginem », et quicumque dicunt « panem eucharistiae et calicem benedictionis non esse ipsius carnem et sanguinem ». Post haec, alia multa adhuc contemplatus est Paulus.

Singulari adnotatione dignum, quod Christus, precibus annuens Michaelis archangeli et Pauli apostoli, omnibus damnatis cessationem poenarum per diem integrum, nempe diem Paschatis, in perpetuum elargiri fingitur (c. 44). Similiter in *Apocalypsi B. M. V.*, de qua mox dicemus, Dominus reprobis ferias poenarum « per dies Pentecostes » concedit (c. 29). Doctrina haec, quae etiam apud Prudentium occurrit (*Cathaemer.* v. 125-136; *PL* 59, 827), quoad substantiam videtur a Iudaeis mutuata; rabbini enim docent impios in Gehinnom detentos die sabbati requiem a tormentis habere; *Berešith Rabba* 11, in *Gen.* 2, 3.

Conscripta est saec. IV exeunte vel saec. V ineunte, forsan Hierosolymis.

Exstat haec *Apocalypsis Pauli* graece, latine, syriace, armeniace, slavice, et in multis retractationibus medio aevo in Gallia, Anglia et Germania factis.

Textum graecum, mutilum, edidit Tischendorf, *Apocalypses apocryphae*, Lipsiae 1866, p. 34-69; versionem latinam, quae videtur esse testis sat fidelis textus primigenii, M. R. James, *Apocrypha Anecdota* (Texts and Studies 2, 3), Cambridge 1893, p. 11-42; huius textus translationem anglicam edidit Menzies, *Recently discovered manuscripts*, Edinburgh, 1897, p. 151-166; aliam translationem anglicam, ceteris etiam testibus nitentem, exhibet James, *The apocr. N. T.*, p. 526-555. Versio syriaca anglice et germanice translata est.

28) Apocalypsis Thomae.

133. In decreto Gelasiano, proscribitur « revelatio quae appellatur Thomae », una cum apocalypsi Pauli et apocalypsi Stephani. At recentiori tantum tempore duo textus latini, revelationem quamdam Christi ad discipulum suum Thomam continentes,

evulgati sunt. Agunt de signis finem mundi antecedentibus, per septem dies distributis.

Iuxta Bihlmeyer, hoc apocryphum auctorem gnosticum manichaeum habuit. Non videtur ante saec. IV conscriptum; utrum lingua graeca an latina, disputatur.

Fr. Wilhelm, *Deutsche Legenden und Legendare*, Leipzig, 1907, p. 40-42, « Epistula domini nostri Jesu Christi ad Thomam discipulum suum »; P. Bihlmeyer, *Un texte non interpolé de l'Apocalypse de Thomas* in *Revue bénédictine*, 28 (1912) p. 270-282; Hauler, *Zu den neuen lateinischen Bruchstücken der Thomasapokalypse und eines apostolischen Sendschreibens im Cod. Vindobonensi N. 16*, Wien, 1908, p. 308-340. – Cf. M. R. James, *Notes on Apocrypha*, I, Revelatio Thomae, in *Journal of Theological Studies*, 11 (1909-10), p. 288-290. 569. – Anglice translati exhibentur textus ap. James, *The apocr. N. T.*, p. 556-562.

29) Apocalypsis Stephani.

134. Damnatur a decreto Gelasiano. Iuxta Bardenhewer, forsan eadem est atque epistola quae refert inventionem reliquiarum S. Stephani, accepta superna revelatione a. 415 factam (1). Sed iure de hac identitate dubitari potest; nam nulla apparet ratio cur haec epistola anathemati subiecta sit, et connumeratio cum apocalypsibus Pauli ac Thomae videtur supponere apocalypsim Stephani eiusdem generis fuisse.

« Epistola Luciani ad omnes ecclesias de revelatione corporis Stephani, martyris primi, et aliorum », exstat in duplici recensione latina, ap. Migne, *PL* 41, 805-818; translationem gallicam Epistolae exhibet P. Lagrange, *Saint Étienne et son sanctuaire à Jérusalem*, Paris 1894, p. 43-52. Scripta est graece a. 415-16 a presbytero Luciano in Caphargamala, prope Ierusalem.

Aliam narrationem, martyrium S. Stephani describentem, iuxta duos codices slavicos germanice versam evulgavit Ivan Franko, *Zeitschrift für neut. Wissensch.* 7 (1906) p. 158-166. At neque ea est « apocalypsis Stephani ». Cf. James, *The apocr. N. T*, p. 565-568.

30) Apocalypses Ioannis.

135. Exstant tres apocalypses Ioannis apocryphae, duae graece, tertia coptice conscriptae.

a) *Apocalypsis S. Ioannis apostoli* ap. Tischendorf, *Apocalypses apocryphae*, p. 70-94. Post ascensionem, S. Ioannes, in

(1) *Geschichte der altkirchlichen Literatur* I² (Freiburg, 1913), p. 621.

monte Thabor orans, rogat Dominum ut ei manifestet tempus parusiae et ea quae tunc fient. Christus quaestionibus apostoli respondet, multa disserens de Antichristo, de resurrectione, de statu hominum post resurrectionem, de destructione mundi per ignem et eius renovatione, de iudicio Gentilium, Hebraeorum, Christianorum, de poenis inferni et de paradiso iustorum.

Haec apocalypsis non habet testem antiquiorem saec. IX.

b) Alia nuper edita est a Fr. Nau, *Une deuxième Apocalypse apocryphe grecque de saint Jean*, in *Rev. Bibl.* 1914, p. 209-221 (cum introductione et translatione gallica). Agit de peccatis maioribus (sc. de apostasia, de incestu, de profanatione diei dominicae), de ieiunio, de significatione mystica rerum liturgicarum ac de coeremoniis missae, de honore sacerdotibus tribuendo, de baptismate, de charitate. Nullus exstat nexus inter diversas partes; Christus respondet interrogationibus S. Joannis.

Iuxta Nau, conscriptus est libellus in insula Cypro, a saec. VI ad VIII. In titulo tribuitur S. Ioanni Chrysostomo.

c) ***Mysteria apostoli virginis Sancti Ioannis.***

Apocalypsis haec, lingua coptica exarata, evulgata est a Wallis Budge, *Coptic Apocrypha in the dialect of Upper Egypt*, London 1912, p. 59-74, cum translatione anglica, p. 241-257. Cf. *Analecta Bollandiana*, (1914) p. 352 s.

Post resurrectionem Domini, Apostoli in nube transferuntur ad montem Oliveti; inde Ioannes, super alas cherubim, ascendit in coelum, ubi ei ostenduntur paradisus terrestris, status Adae ante et post lapsum, ordo mundi et virtutes occultae (inter quas archangelus Michael) quibus natura regitur.

Textus copticus non videtur esse originalis.

31) Apocalypses Beatae Mariae Virginis.

136. Existunt duae:

a) *Apocalypsis Beatae Dei Genitricis de poenis.*

B. M. V., orans in monte Olivarum, rogat Deum ut sibi mittat archangelum Gabriel, qui eam edoceat de poenis damnatorum. Venit Michael et ostendit ei tormenta eorum qui « Patrem et Filium et Spiritum Sanctum non adoraverunt », Virginem non confessi sunt Dei Genitricem, haec vel illa peccata commiserunt.

Vehementer commota, B. M. V. supplicat Michaelem ut intercedat pro christianis in inferno detentis. Respondet archangelus: « Septies per diem et septies per noctem, cum hymnum dominicum offerimus, memoriam peccatorum facimus, at non exaudit nos Dominus ». In coelum sublata, ipsa B. M. V. apud Deum misericordiam pro christianis implorat; intercedunt etiam Moyses, Ioannes apostolus, Paulus, totus exercitus angelorum et archangelorum. Tandem Deus, tot precibus flexus, mittit Filium qui damnatis concedit « per dies Pentecostes habere requiem ut glorificent Patrem et Filium et Spiritum Sanctum ».

Iuxta James, conscripta est haec apocalypsis saec. IX circiter.

Eius textum graecum edidit M. R. James, *Apocrypha Anecdota*, Cambridge 1893, p. 115-126.

Versionem anglicam evulgavit Rutherford, ap. Menzies, *Recently discovered manuscripts*, Edinburgh 1897, p. 167-174; cfr. James, *The apocr. N. T.*, p. 563.

b) *Apocalypsis seu Visio Mariae Virginis.*

Hanc opellam e textu aethiopico latine interpretatus est Marius Chaine, *Apocrypha de B. M. Virgine* (« Corpus Scriptorum christianorum Orientalium. Scriptores aethiopici », ser. 1, t. 7), Parisiis, 1909 p. 43-68. Cf. James, *The apocr. N. T.*, p. 563 s.

Dum B. M. V. orat « in Golgotha, hora sexta, in feria sexta » (nam iuxta librum *de Transitu V. M.*, « erat consuetudo eius adire cotidie sepulcrum Golgotha, et ibi orare», ibid., p. 19), rapta est in tertium coelum ut ei revelentur secreta mysteria. Videt animam iustam e corpore egredientem et laete ab angelis exceptam, animam quoque peccatoris angelo gehennae, Temliako, traditam; invisit paradisum ubi colloquitur cum Henoch et Elia, quatuor flumina, vini, mellis, lactis, olei ac butyri, et beatos qui eorum ripas incolunt; infernum et flumen ignis ubi variis suppliciis afficiuntur peccatores, et imprimis ministri Ecclesiae et monachi. Etiam hic B. M. V. videtur damnatis obtinuisse levamen quoddam a poenis, nempe « a vesperis feriae sextae usque ad matutinum feriae secundae ». Totam hanc revelationem Maria Virgo narravit Ioanni apostolo ut eam scripto servaret.

Apocalypsis haec pauca habet communia cum priori. E contrario in multis convenit cum *Apocalypsi Pauli* cc. 14-39, ita ut ab hac omnino dependere dicenda sit.

Cum Mahummedanos commemoret, non est anterior saec. VII.

De apocalypsi quadam graeca nondum edita, simile argumentum tractante agit TISCHENDORF, *Apocal. Apocr.*, p. XXIX s.

32) Aliae Apocalypses apocryphae.

137. *a*) *Apocalypsis Bartholomaei*, de qua apud recentiores passim est sermo, nil aliud est quam pars *Evangelii Bartholomaei*.

E. DULAURIER, *Fragment des révélations apocryphes de S. Barthélemy et de l'histoire des communautés religieuses fondées par S. Pakhome*, traduit sur les textes copte-thébains inédits conservés à la Bibliothèque du Roi, Paris 1835. Fragmentum hoc, gallice versum, exhibent etiam MIGNE. *Dict. des Apocr.* 2, col. 160-162; TISCHENDORF, *Apocal. Apocr.*, p. XXIV-XXVII; P. LACAU, *Fragments d'Apocryphes coptes*, Paris 1904, p. 73-77. Cf. etiam DOM A. WILMART et E. TISSERANT, *Fragments grecs et latins de l'Evangile de Barthélemy* in *Rev. Bibl.* 1913, p. 161-190. 326-368. Aliam recensionem evulgavit WALLIS BUDGE, *Coptic Apocrypha in the dialect of Upper Egypt*, London 1912, p 1-48, cum translatione anglica, p. 179-230.

Ad *Evangelium Bartholomaei* pertinent etiam *Quaestiones S. Bartholomaei apostoli*.

Cf. UMBERTO MORICCA, *Un nuovo testo dell'Evangelo di Bartolomeo*, in *Rev. Bibl.* 1921, p. 481-516; 1922, p. 20-30.

b) *Apocalypsim Zachariae* commemorant quidam veteres apocryphorum catalogi. Sed revera de ea nil certi scimus.

Cf. A. BERENDTS, *Studien über Zacharias-Apocryphen und Zachariaslegenden*, Leipzig 1895; idem, *Die handschriftliche Ueberlieferung der Zacharias- und Joannes-Apokryphen* (Texte und Unters. 26, 3), Leipzig 1904.

c) Alia supersunt apocrypha christiana, v. gr. *Apocalypses Daniel* (graece, syriace, coptice, slavice, armeniace), *Apocalypses Esdrae* (graece, syriace, latine, aethiopice, armeniace), apocrypha nomine *apostoli Ioannis* inscripta (latine, graece, coptice). Sed cum haec omnia sint serioris aetatis, in iis recensendis immorari non iuvat.

II

DOCUMENTA

138. Fragmentum Muratorianum (1)

(e codice Ambrosiano J 101 sup., sec. VIII; cf. supra n. 47)

[1]...quibus tamen interfuit et ita posuit. [2] *Tertium evangelii librum secundum Lucan.* [3] Lucas iste medicus, post ascensum Christi [4] cum eum Paulus quasi itineris studiosum [5] secum adsumpsisset, nomine suo [6] ex opinione conscripsit, dominum tamen nec ipse [7] vidit in carne, et ideo, prout assequi potuit, [8] ita et a nativitate Iohannis incipit dicere. [9] *Quartum evangeliorum Iohannis ex discipulis.* [10] Cohortantibus condiscipulis et episcopis suis [11] dixit: « Conieiunate mihi hodie triduo, et quid [12] cuique fuerit revelatum alterutrum [13] nobis enarremus ». Eadem nocte reve- [14] latum Andreae ex apostolis, ut recognos- [15] centibus cunctis Iohannes suo nomine [16] cuncta describeret. Et ideo, licet varia sin- [17] gulis evangeliorum libris principia [18] doceantur, nihil tamen differt creden- [19] tium fidei, cum uno ac principali spiritu de- [20] clarata sint in omnibus omnia: de nativi- [21] tate, de passione, de resurrectione, [22] de conversatione cum discipulis suis [23] ac de gemino eius adventu, [24] primo in humilitate despecto, quod fu- [25] it, secundo in potestate regali prae- [26] claro, quod futurum est. Quid ergo [27] mirum, si Iohannes tam constanter [28] singula etiam in epistulis suis proferat [29] dicens in semetipsum: « Quae vidimus oculis [30] nostris et auribus audivimus et manus [31] nostrae palpaverunt, haec scripsimus vobis ». [32] Sic enim non solum visorem se et auditorem, [33] sed et scriptorem omnium mirabilium domini per ordi- [34] nem profitetur. A c t a autem omnium a p o s t o l o r u m [35] sub uno libro scripta sunt. Lucas optimo Theophi- [36] lo comprendit, quae sub praesentia eius singula [37] gerebantur, sicuti et semota passione Petri [38] evidenter declarat, sed et profectione Pauli ab ur- [39] be ad Spaniam proficiscentis. E p i s t u l a e autem [40] P a u l i quae a quo loco vel qua ex causa directae [41] sint, volentibus intellegere ipsae declarant: [42] primum omnium Corinthiis schismae haereses in- [43] terdicens, deinceps Galatis circumcisionem, [44] Romanis autem ordinem scripturarum sed et [45] principium earum esse Christum intimans [46] prolixius scripsit. De quibus singulis neces- [47] se est a nobis disputari, cum ipse beatus [48] apostolus Paulus sequens predecessoris sui [49] Iohannis ordinem non nisi nominatim septem [50] ecclesiis scribat ordine tali: ad Corinthios [51] prima,

---

(1) Textum exhibemus emendatum ex recensione potissimum G. RAUSCHEN, *Florilegium patristicum*, fasc. 3 (Bonnae 1905), 27-35. Numeris ipsi textui insertis distinguimus codicis lineas. Quae *inclinatis litteris* scripta cernis (lin. 2. 9) in codice, rubro colore ad instar titulorum, exarata sunt. D i d u c t i s litteris distinguimus alia librorum canonicorum nomina. Huius gravissimi documenti sub prelo est editio phototypica cum amplo apparatu ac bibliographia curantibus Doctoribus Ambrosianis.

ad Ephesios secunda, ad Philippenses ter- [52] tia, ad Colossenses quarta, ad Galatas quin- [53] ta, ad Thessalonicenses sexta, ad Romanos [54] septima. Verum Corinthiis et Thessalonicen- [55] sibus licet pro correptione iteretur, una [56] tamen per omnem orbem terrae ecclesia [57] diffusa esse dinoscitur; et Iohannes enim in a- [58] pocalyps licet septem ecclesiis scribat, [59] tamen omnibus dicit. Verum ad Philemonem una [60] et ad Titum una et ad Timotheum duae pro affec- [61] tu et dilectione, in honore tamen ecclesiae ca- [62] tholicae, in ordinatione ecclesiasticae [63] disciplinae sanctificatae sunt. Fertur etiam ad [64] Laodicenses, alia ad Alexandrinos, Pauli no- [65] mine finctae ad haeresem Marcionis et alia plu- [66] ra, quae in catholicam ecclesiam recipi non [67] potest; fel enim cum melle misceri non con- [68] gruit. Epistola sane Iudae et superscripti [69] Iohannis duae in catholica habentur et Sapi- [70] entia ab amicis Salomonis in honorem ipsius [71] scripta. Apocalypses etiam Iohannis et Pe- [72] tri tantum recipimus, quam quidem ex nos- [73] tris legi in ecclesia nolunt. Pastorem vero [74] nuperrime temporibus nostris in urbe [75] Roma Hermas conscripsit sedente cathe- [76] dra urbis Romae ecclesiae Pio episcopo fratre [77] eius; et ideo legi eum quidem oportet, se pu- [78] blicare vero in ecclesia populo neque inter [79] prophetas completo numero, neque inter [80] apostolos in fine temporum potest. [81] Arsinoi autem seu Valentini vel Miltiadis [82] nihil in totum recipimus; quin etiam novum [83] psalmorum librum Marcioni conscripse- [84] runt una cum Basilide Asiano, Cataphry- [85] gum constitutore.

139. Canon claromontanus

(e codice Paris. Bibl. Nat. gr. 107, saec. VI, editus a C. TISCHENDORF, *Codex Claromontanus, sive Epistulae Pauli omnes graece et latine* [Lipsiae 1852, fol. 468. Tabulam phototypicam habes in VIGOUROUX, *Dict. Bible* 2, 147]).

Versus scripturarum sanctarum ita:.

Genesis	ver[s]us	$\overline{\text{IIIII}}$D	[4500]
Exodus	versus	$\overline{\text{III}}$DCC	[3700]
Leviticum	versus	$\overline{\text{II}}$DCCC	[2800]
Numeri	versus	$\overline{\text{III}}$DCL	[3650]
Deuteronomium	ver.	$\overline{\text{III}}$CCC	[3300]
Iesu Nave	ver.	$\overline{\text{II}}$	[2000]
Iudicum	ver.	$\overline{\text{II}}$	[2000]
Ruth	ver.	CCL	[250]
Regnorum	ver.		
Primus liber	ver.	$\overline{\text{II}}$D	[2500]
Secundus lib.	ver.	$\overline{\text{II}}$	[2000]
Tertius lib.	ver.	$\overline{\text{II}}$DC	[2600]
Quartus lib.	ver.	$\overline{\text{II}}$CCCC	[2400]
Psalmi Davitici	ver.	$\overline{\text{V}}$	[5000]
Proverbia	ver.	$\overline{\text{I}}$DC	[1600]

Ecclesiastes		DC	[600]
Cantica Canticorum		CCC	[300]
Sapientia	vers.	$\bar{I}$	[1000]
Sapientia Iesu	ver.	$\bar{\bar{I}}$D	[2500]
XII Profetae	ver.	$\overline{\text{III}}$CX	[3110]
Osee	ver.	DXXX	[530]
Amos	ver.	CCCCX	[410]
Micheas	ver.	CCCX	[310]
Ioel	ver.	XC	[90]
Abdias	ver.	LXX	[70]
Ionas	ver.	CL	[150]
Naum	ver.	CXL	[140]
Ambacum	ver.	CLX	[160]
Sophonias	ver.	CLX	[160]
Aggeus	vers.	CX	[110]
Zacharias	ver.	DCLX	[660]
Malachiel	ver.	CC	[200]
Eseias	ver.	$\overline{\text{III}}$DC	[3600]
Ieremias	ver.	$\overline{\text{IIII}}$LXX	[4070]
Ezechiel	ver.	$\overline{\text{III}}$DC	[3600]
Daniel	ver.	$\bar{I}$DC	[1600]
Maccabeorum sic:			
Lib. primus	ver.	$\bar{\bar{I}}$CCC	[2300]
Lib. secundus	ver.	$\bar{\bar{I}}$CCC	[2300]
Lib. quartus	ver.	$\bar{I}$	[1000]
Iudit	ver.	$\bar{I}$CCC	[1300]
Hesdra		$\bar{I}$D	[1500]
Ester	ver.	$\bar{I}$	[1000]
Job	ver.	$\bar{I}$DC	[1600]
Tobias	ver.	$\bar{I}$	[1000]
Evangelia IIII			
Mattheum	ver.	$\bar{\bar{I}}$DC	[2600]
Iohannes	ver.	$\bar{\bar{I}}$	[2000]
Marcus	ver.	$\bar{I}$DC	[1600]
Lucam	ver.	$\bar{\bar{I}}$DCCCC	[2900]
Epistulas Pauli:			
ad Romanos	ver.	$\bar{I}$XL	[1040]
ad Corinthios •I•	ver.	$\bar{I}$LX	[1060]
ad Corinthios •II•	ver.	LXX	[70]
ad Galatas	ver.	CCCL	[350]
ad Efesios	ver.	CCCLXXV	[375]

(1)

(1) Hic tres lineae, pro Philipp. 1 Thes. 2 Thes., casu exciderunt; cfr. n. 27 nota.

ad Timotheum ·I·	ver.	CCVIII	[208]
ad Timotheum ·II·	ver.	CCLXXXVIIII	[289]
ad Titum	ver.	CXL	[140]
ad Colossenses	ver.	CCLI	[251]
ad Filimonem	ver.	L	[50]
ad Petrum ·I·	ver.	CC	[200]
ad Petrum ·II·	ver.	CXL	[140]
Iacobi	ver.	CCXX	[220]
Pr. Iohanni Epist.		CCXX	[220]
Iohanni Epistula ·II·		XX	[20]
Iohanni Epistula ·III·		XX	[20]
Iudae Epistula	ver.	LX	[60]
Barnabae Epist.	ver.	DCCCL	[850]
Iohannis Revelatio		$\overline{\text{I}}$CC	[1200]
Actus apostolorum	versi	$\overline{\text{II}}$DC	[2600]
Pastoris	ver.	$\overline{\text{IIII}}$	[4000]
Actus Pauli	ver.	$\overline{\text{IIII}}$DLX	[3560]
Revelatio Petri		CCLXX	[270]

140. Canon Mommsenianus

(e codicibus Cheltenham. 12266 et Sangallensi 133 editus a Th. Mommsen in *Hermes* 21 [1886], 144 ss. et 25 [1890], 636 ss.).

Incipit indiculum veteri[s] testamenti, qui sunt libri canonici sic			
Genesis	versus	$\overline{\text{III}}$DCC	[3700]
Exodus	ver.	$\overline{\text{III}}$	[3000]
Numeri	ver.	$\overline{\text{III}}$	[3000]
Leviticum	ver.	$\overline{\text{II}}$CCC	[2300]
Deuteronomium	ver.	$\overline{\text{II}}$DCC	[2700]
Iesu Nave	ver.	MDCCL	[1750]
Iudicum	ver.	MDCCL	[1750]
fiunt libri VII	ver.	$\overline{\text{X}}$V$\overline{\text{III}}$C	[18100]
Rut	ver.	CCL	[250]
Regnorum liber I	ver.	$\overline{\text{II}}$CCC	[2300]
Regnorum liber II	ver.	$\overline{\text{II}}$CC	[2200]
Regnorum liber III	ver.	$\overline{\text{II}}$DL	[2550]
Regnorum liber IV	ver.	$\overline{\text{II}}$CCL	[2250]
fiunt	ver.	V$\overline{\text{IIII}}$D	[9500]
Paralipomenon liber I	ver.	$\overline{\text{II}}$XL	[2040]
liber II	ver.	$\overline{\text{II}}$C	[2100]
Machabeorum liber I	ver.	$\overline{\text{II}}$CCC	[2300]
liber II	ver.	MDCCC	[1800]

Iob	ver.	MDCCC (1)	[1800]
Tobias	ver.	DCCCC	[900]
Hester	ver.	DCC	[700]
Iudit	ver.	MC	[1100]
Psalmi Davidici CLI	ver.	$\overline{V}$	[5000]
Salomonis	ver.	$\overline{VI}$D	[6500]
profetae majores numero IIII	ver.	XVCCCLXX	[15370]
Esaias	ver.	$\overline{III}$DLXXX	[3580]
Ieremias	ver.	$\overline{IIII}$CCCCL	[4450]
Daniel	ver.	MCCCL	[1350]
Ezechiel	ver.	$\overline{III}$CCCXL	[3340]
profetae XII	ver.	$\overline{III}$DCCC	[3800]
erunt omnes versus numero		$\overline{LXVIIII}$D	[69500]

Sed ut in apocalypsi Iohannis dictum est: « vidi XXIIII seniores mittent es coronas suas ante thronum », maiores nostri probant hos libros esse canonicos et hoc dixisse seniores.

Item indiculum novi testamenti:

Evangelia IIII:

Mattheum	ver.	$\overline{II}$DCC	[2700]
Marcum	ver.	MDCC	[1700]
Iohannem	ver.	MDCCC	[1800]
Lucam	ver.	$\overline{III}$CCC	[3300]
fiunt omnes versus		$\overline{X}$	[10000]
Epistulae Pauli n. XIII			
Actus apostolorum	ver.	$\overline{III}$DC	[3600]
Apocalipsis	ver.	MDCCC	[1800]
Epistulae Iohannis III	vers.	CCCL	[350]
[una sola] (2)			
Epistulae Petri II	ver.	CCC	[300]
[una sola] (2)			

Quoniam indiculum versuum in urbe Roma non ad liquidum, sed et alibi avariciae causa non habent integrum, per singulos libros computatis syllabis — posui numero XVI versum Virgilianum — omnibus libris numerum adscribsi.

---

(1) Sic Chettenh. codex; Sangall. habet MDCC [1700]; duo graeci codices V. T. tradunt in libro Iob sine asteriscis esse stichos 1600, cum asteriscis (i. e. additis versibus asterisco notatis) stichos 2200. Cf. S. HIERON. *Prol. in lib. Iob*; *Biblica* 6 (1925), 352.

(2) Haec verba absunt a cod. Sangall. et alioqui glossam sapiunt; cf. supra n. 47 p. 48

LIBER III

DE TEXTU

auctore P. Alberto Vaccari S. I.

1. Postquam vidimus, *qui libri* sint inspirati et ideo divina auctoritate polleant, iam inquirendum in *quo statu* ad nos pervenerint. Nil enim profuisset libros Deo inspirante conscribi, nisi ad nos ita incorrupti pervenerint, ut in eis vere legamus verbum Dei. Hoc autem est factum historicum, quod non aliunde nobis compertum esse potest, quam ex *historia textus*, ad quam pertinet etiam, uti pars non minima, *historia versionum antiquarum*. Ex hac historia non tantum discemus sacros libros ad nos usque in substantia integros pervenisse, sed normas etiam deducemus, quibus menda, si qua irrepserint, sanare et genuinum textum restituere valeamus; quod quidem quanti momenti sit, declaravit S. Augustinus illis verbis: « Codicibus emendandis primitus debet invigilare sollertia eorum qui Scripturas divinas nosse desiderant » (*De doctr. christ.* 2, 21; *PL* 34, 46). Huic principio concinit, quod Leo XIII in Encycl. *Providentissimus Deus* commendat: « Post expensum, ubi opus sit, omni industria lectionem, tum locus erit scrutandae et proponendae sententiae » (n. 15 apud Cornely, *Compend.*; Cav. *Thes.* n. 70; *Ench. B.* n. 92).

Hanc igitur historiam enarrandam aggredimur, ac primo dicemus de textibus originalibus seu Veteris seu Novi Testamenti, dein de utriusque versionibus in antiquitate adornatis; illae enim solae ad textum diiudicandum ac restituendum conferre possunt. Etsi vero non paucae versiones Veteris Testamenti non immediate e textu, sed mediate e versione graeca alexandrina (n. **58.60**) profluxerunt, et ratio requireret, ut de iis agatur proxime post graecam, ad quam pertinent, quia tamen hae Vet. Test. versiones intime cohaerent cum eiusdem linguae versionibus Novi Testa-

menti, immo et cum immediatis Vet. Test. multam connexionem habent, hinc omnium versionum enarrationem dividemus per linguas, et eo fere ordine disponemus, quo singularum versionum in re critica momentum suadet.

2. Bibliographia. Praeter Lexica Biblica et Introductiones in S. Scripturam, pauca omnino habentur opera specialia, quae utriusque Testamenti textum et versiones amplectantur. Utiles adhuc sunt: *Copinger W. A., *The Bible and its Transmission*, London, 1897; *Hody Humphr. *De Bibliorum textibus originalibus, versionibus graecis* etc. libri IV, Oxonii, 1705; Loisy A., *Histoire critique du texte et des versions de la Bible*, Amiens, 1892; *F. G. Kenyon, *Our Bible and the ancient Manuscripts*[2], London, 1896.

Huc pertinent Biblia, quae dicuntur, *Polyglotta*, quae sub uno conspectu exhibent textus et versiones antiquas. Omnium ditissima sunt, quae curarunt M. Le Jay, Parisiis 1629-1645, et *B. Walton Londini 1654-1657; illa (*parisiensia*) splendidiora, haec (*londinensia*) commodiora et vario apparatu magis instructa. Ad usum quotidianum inserviunt tetraglotta edita a F. Vigouroux *La s. Bible polyglotte*, Paris 1900-1909, 8 vol., et a *Stier et Theile, *Polyglottenbibel*[5], Bielefeld 1890-94, 6 vol.; et *B. Triglotta* curis *A. de Levante, London 1890, 3 vol.; haec duo postrema carent V. T. deuterocanonicis. Cf. E. Mangenot, *Polyglottes* in Vigouroux, *Dict. Bible*. Ceterum haec opera ad commoditatem consulendi inserviunt, minime vero sufficiunt ad accuratam investigationem; pro hac adeantur criticae editiones singulorum textum aut versionum.

PARS I

DE TEXTIBUS ORIGINALIBUS

Caput I

De textu hebraico V. T.

3. Non omnes libri Veteris Testamenti originarie hebraica lingua conscripti sunt, aut nunc exstant. Nam partes non paucae *Danielis* (2, 4 - 7, 28) et *Esdrae* (4, 8 - 6, 18; 7, 12-26) cum uno versiculo *Ieremiae* (10, 11) *aramaica* lingua constant; duo vero integri libri, *Sapientia* et 2 *Machabaeorum* graece primum conscripti sunt; huc accedunt alii plures, quorum textus originalis intercidit, eiusque locum tenet antiquissima versio graeca: 1 Machab., Baruch, Iudith, Tobit, partes Danielis et Esther deuterocanonicae (1). Quia tamen et isti sortem graecae versionis alexandrinae, cum qua coniuncti ad nos pervenerunt, secuti sunt, et illae rursus aramaicae partes a textu hebraico circumstante separari nequeunt, hinc unice agemus hic de textu hebraico, qui totius V. T. pars est longe maxima et nobilissima.

4. Bibliographia. Praeter Introductiones in V. T., praecipue *E. König, *Einleitung*, et articulos *Text, Texte* etc. in Lexicis Biblicis: *Buhl Frants, *Kanon u. Text des Alt. Testaments*, Leipzig 1891; De Rossi G. Bernardo, *Compendio di critica sacra, dei difetti e delle emendazioni del sacro testo e piano d'una nuova edizione*, Parma, 1811; idem, *Variae lectiones Veteris Testamenti et Scholia critica in V. T. libros*, 5 voll., Parmae 1784-1798; *Geden Alfred S., *Outlines of Introduction to the Hebrew Bible*, Edinburgh 1911; *Ginsburg Christian D., *Introduction to the Massoretico-Critical edition of the Hebrew Bible*, London 1897; *Kennicot Beniaminus, *Dissertatio super ratione textus Hebraici Vet. Testamenti*, 2 voll. Ex Angl. Lat. vertit Gui. A. Teller, Lipsiae, 1756; idem, *Dissertatio generalis in Vet. Test. Hebr.* Recudi curavit et notas adiecit P. J. Bruns, Brunovici, 1783; Simon Rich., *Histoire critique du Vieux Test.*, Roterodami, 1685 (eadem latine, Amstelodami, 1685); *Strack Herm. L., *Prolegomena crit. in Vet. Test. Hebr.*,

(1) Singularis est casus Ecclesiastici, seu Sapientiae Iesu filii Sirac, cuius textus originalis hebraicus, seorsim traditus et longa saeculorum oblivione obrutus, recenter (1896) quasi postliminio inventus est et ne totus quidem, sed duo fere tertiae partes. De eo agetur in introductione speciali ad illum librum.

Lipsiae, 1873; *WEIR T. H., *A short History of the Hebrew Text of the O. T.*, London, 1907; *J. KENNEDY, *An aid to the textual Emendment of the O. T.*, Edinburgh 1928; L. DENNEFELD, *Critique textuelle de l'A. T.*, in *Dictionn. de la Bible, Supplément* II, 240.

***Adverte.* — In hoc toto capite, cum agatur de textu hebraico, sequimur semper in libris citandis nomina apud Hebraeos usitata, ut Sam., Chron. (cf. p. 3) et numerationem Psalmorum, quae a 10 ad 146 unitate superat communem (Vulgatae).**

Ad historiam textus proprie dictam antequam accedamus, solvenda nobis est praevia quaestio de primigenia lingua et scriptura sacrorum librorum. Tum praemittemus etiam notiones aliquas admodum utiles de extrinseca forma librorum atque scripturae.

ART. 1. — De originibus V. T.

§ 1. — DE LINGUA PRIMIGENIA V. T.

5. Lingua hebraica ad ramum occidentalem linguarum semiticarum pertinet, qui apto nomine *cananaeus* appellari solet; nam in ipsa S. Scriptura Hebraeorum sermo « lingua Chananan » vocatur (Is., 19, 18).

Huiusmodi linguam apud incolas Palaestinae iam saec. XV a. C. fuisse usu vulgatam constat ex litteris in Tell el Amarna repertis; quae cum sint generatim lingua accadica (assyriaca) et scriptura cuneiformi, conscriptae identidem tamen inter accadica vocabula insertam ferunt eorundem interpretationem sermone cananaeo.

Cfr. de his: P. DHORME, *Langues et écritures sémitiques*, Paris 1930; id. *La langue de Canaan*, in *Rev. bibl.*, 1913, p. 369; 1914, p. 37-344; id. *Amarna*, in *Supplément au Dictionnaire de la Bible;* F. BÖHL, *Die Sprache der Amarnabriefe*, Leipzig 1909.

6. Scriptura propria eaque **alphabetica** usos fuisse Chananaeos saltem a saec. XIII a. C. probant monumenta Bybli reperta annis 1923 et ss. In iis alphabetum, quod a primis propagatoribus, si non inventoribus, *phoenicium* dici solet et a quo pleraque alphabeta etiam nunc in usu dimanant, iam plene constitutum et evolutum apparet. Antiquiora tentamina eiusdem vel similis alphabeti exhibent inscriptiones quaedam brevissimae in peninsula sinaitica repertae, quae ad saec. XVI-XVII a. C. ascendere putantur.

Cfr. R. Dussaud, *Les inscriptions phéniciennes du tombeau d'Ahiram* in *Syria* 5 (1924), 135; *Rev. Bibl.*, 1925, p. 183; Gardiner-Peet, *The Inscriptions of Sinai*, London, 1917; H. Grimme *Die altsinaitischen Buchstaben-Inschriften*, Berlin 1929; A. Barrois, *Aux mines du Sinai*, in *Rev. Bibl.*, 1930, pp. 578-598; R.F. Butin, *The protosinaitic Inscriptions* in *Harvard Theol. Rev.*, 25 (1932), 130-203.

7. His documentis constat nihil obstare quominus antiquissimi libri Veteris Testamenti iam lingua hebraica et scriptura phoenicia fuerint conscripti illa aetate, quam ipsis traditio assignat, h. e. aetate mosaica. Confirmatur id ex iis, quae proxime dicturi sumus de materia qua libri conficiebantur.

Contra Winckler, Benzinger, Naville, aliosque paucos, qui perperam contenderunt sacros V. T. libros fuisse primitus exaratos lingua accadica et scriptura cuneiformi, cf. A. Zerbe, *The antiquity of Hebrew Writing and Literature*, Cleveland 1911; E. König, in *Neue kirchl. Zeits.* 24 (1913), 87-118 et *Expositor* 8-8 (1914), 97-193; J. A. Kelso, in *Festschrift E. Sachau*, Berlin 1915, p. 113-124; S. Ronzevalle, in *Rech. de sc. rel.*, 1917, 353-417; Fr. X. Kortleitner, *Archaeologia biblica*, pp. 598-604; *Verbum Domini* 1 (1921), 340-344.

§ 2. — De materia et forma librorum

8. Constat ex narratione aegyptii Wenamon (sub Ramesse XII dynastiae XX, extremo tempore Iudicum) multam *papyrorum* mercem ex Aegypto in Palaestinam ac Syriam fuisse exportatam (2); unde pronum est inferre papyrum fuisse communem librorum conscribendorum **materiam**, in illa remota aetate. Iamvero papyrus apta materia est scripturae phoeniciae, quae calamo exarari poterat, excipiendae, minime vero cuneiformibus characteribus, qui stylo argillae insculpebantur.

Idem deducitur pro regum posteriorum tempore e narratione Ieremiae 36, 21-25; neque enim potuisset tam cito et tota comburi alia materia.

---

(1) Contra hypotheses Naville cf. amplam bibliographiam in *Journ. Soc. Or Research* 9 (1925), 46 sq.

(2) Hoc summi momenti documentum habes versum anglice ab *U. Breasted, *Ancient Records of Egypt*, :4, Chicago, 1906, 284, n. 582; germanice in *Gressmann-Ranke, *Altorient. Texte zum A. T.*², Tübingen 1926, p. 71.

In ipsa Aegypto ab antiquissimis temporibus ad documenta saltem maioris momenti exaranda *membrana*, seu pellis animalium, utpote solidior materia, adhibebatur. In Palaestina id etiam frequentius fuisse factitatum verisimile est (1). Artem membranae ad scribendi usum parandae perfecerunt saec. II. a. C. Pergamenses, unde *pergamenae* nomen accepit.

Membranae seu pergamenae usum ad s. libros transcribendos testantur Pseudo — Aristaeas *ad Philocratem* n. 176 (2); et s. Paulus *2 Tim.* 4, 13. Illi posteriores Iudaei tenaciter adhaserunt, etiam post invectam chartae fabricationem (saec. x p. C.), adeo ut perpauci inveniantur codices chartacei hebraici textus.

9. Forma libri apud veteres Hebraeos fuit *volumen* seu longa vitta, quae circumvolvebatur scapo seu cylindro interiori (Is. 34, 4; Iob 31, 36; cf. nomen *megilla* Ier. 36 passim; Ez. 3, 1; Zach. 5, 1; Ps. 40, 8).

Forma *codicis* (hodierna) cum frequentiore usu pergamenae primum invaluit, sed a Iudaeis sero admissa est et quidem tantum in exemplaribus ad usum privatum.

Volumina scribebantur tantum in parte *interiore* paginae, raro etiam in exteriore seu posteriore (opistographa; cf. Ez. 2, 9; Apoc. 5, 1). Ideo longum opus, quod non posset uno volumine comprehendi, in varias partes seu tomos (τεῦχος; hinc *Pentateuchus*) dividebatur; et in ipsa conservatione textus diversa opera, distinctis libris tradita, diversam sortem secuta sunt.

§ 3. — De variis scripturae formis

10. De scriptura phoenicia. — Certum est *Hebraeos antiquitus* in scribendo usos esse litteris, non quibus nunc a multis saeculis utuntur, sed ad formam *alphabeti phoenicii* proxime accedentibus. Huius rei testes sunt: 1° Monumenta antiquissima, uti inscriptio ad fontem Siloe (cf. tab. 1, col. 4); tabella gezeriana (*Rev.*

(1) Cfr. *Zeitschrift für Aegyptische Sprache* 9 (1871), 103-117; *Ancient Records*, Aegypt II, n. 433 fine; L. Blau, *Studien z. althebräischen Buchwesen*, Strassburg, 1902, p. 12 sq.

(2) Cfr. infra n. 60.

bibl. 1909, 243); sigilla et ostraca in effossionibus inventa. 2° Nummi iudaici (cf. * MADDEN, *Coins of the Jews;* *COOK, *North-sem. Inscriptions* p. 352 sq.); 3° Samaritanorum characteres, quos certum est ab antiquis hebraeis esse derivatos (tab. 1, col. 5).

11. Hanc vero scripturam adhibitam fuisse *in s. libris exarandis* speciatim demonstrant: 1° traditio apud ipsos Hebraeos conservata et a Patribus Ecclesiae relata (1); 2° nomen Iahve prout scriptum invenitur in fragmentis Aquilae editis a TAYLOR, *Cairo Genizah Palimpsests* et BURKITT, *Fragments of Aquila* (2); 3° varietas lectionum tum inter textum hebr. et LXX, tum in ipso textu hebr., quae proveniunt ex confusione litterarum in antiquo tantum alphabeto similium; vg. in hebr. 2 Sam. 23, 32 יָשֻׁן, 1 Chron. 11, 34 הַשֵּׁם; Ps. 17, 3 hebr. יַעֲבֹר, LXX « loquatur » יִדְבַּר.

12. — Litterae antiquae notabiliores quae inter se *confundi* poterant, aut magis discedunt a recentioribus sunt: 1° bet, dalet, reš, quibus accedit ʿain; 2° ghimel et phe; 3° he et jod; 4° mem et šin; 5° aleph et thau; 6° jod et sade (cf. tab. 1, col. 5).

Ex antiqua provenit recentior *quadrata* triplici potissimum processu: 1° reductione linearum (v. gr. het); 2° apertura susuperiori (bet, dalet, ʿain, reš); 3° curvatura inferiori (kaf, mem, samek); cf. tabulam 1.

Hic autem processus locum habuit non tam apud Hebraeos, quam apud Aramaeos, a quibus deinde novam scripturae formam mutuati sunt Iudaei.

---

(1) Legitur in Talm. bab. Sanhedrin 21b fine « Ab initio data est lex Israelitis in scriptura hebraica et lingua sancta. Rursus tempore Esdrae data est ipsis in scriptura syra (*aššurīt*) et lingua aramaea. Elegerunt sibi, Israelitis, scripturam syram et linguam sanctam, et reliquerunt idiotis scripturam hebraicam et linguam aramaeam. Quinam sunt idiotae? Respondet R. Hasda: Cuthaei » (h. e. Samaritani; cf. 2 Reg. 17, 24. 30). Patet in hoc testimonio « scripturam hebraicam » appellari quae ab initio in usu erat apud Hebraeos, ut modo vidimus, h. e. phoeniciam; « linguam sanctam » vero illam, quam nos vocamus hebraicam. Cf. de hoc loco *NEUBAUER in *Studia biblica et ecclesiastica*, 3, Oxford 1891, 8-13; *BERNHEIMER, *Paleogr. ebraica*, Firenze 1924, 2-5. Ad rem HIERONYMUS in Prologo galeato (*PL* 28, 546): « cum ad illud usque tempus (Esdrae) iidem Samaritanorum et Hebraeorum characteres fuerint »; cf. ORIGENES in Ez. 9, 4 (*PG* 13, 801): « Dicebat (quidam Hebraeus) in antiquo alphabeto litteram thau esse figura similem cruci ».

(2) Cf. HIERON. Prolog. galeat. init. et ORIGEN. in Ps. 2 (*PG* 12, 1103 B).

13. De scriptura quadrata. — Mutationem alphabeti ex antiquo in quadratum tribuit Esdrae *traditio* (1).

Si animum convertimus ad *monumenta*, scripturam quadratam invenimus primum cum antiqua mixtam in brevissima inscriptione Tobiae (c. 175 a. Ch.: cf. IOSEPH. FL. *Ant. Iud.* XII, 4, 11) apud Aràq el-Emìr (2), tum omnino novam (quadratam) in inscriptione filiorum Hazir (cf. *Rev. Arch. n. s.* t. 9 [1864] pag. 200, pl. VII) et in limite gezeriano (*Archaeol. Researches in Palest.* 2 pag. 225 sqq., *Rev. bibl.* 1899, 422; in universum *LIDZBARSKI *Handbuch der nordsemit. Epigraphik* Taf. XLIII) saec. II-I a. Ch.

Verum in inscriptionibus (ne dicam in nummis) diutius retineri solet sollemnior et antiquior scriptura. E contrario in scriptis (papyro, pergamena et ostracis) *calamo* exaratis multo citius viget facilior scriptura cursiva.

Iamvero papyri Elephantinae (3) (a Iudaeis inter 465-414, utique aramaica dialecto, conditae) exaratae sunt hac scriptura cursiva, a qua non multum distat quadrata antiqua (cf. tab. 1, col. 7). Est ergo probabile Iudaeos post exilium paulatim novam scripturam adoptasse, atque Esdram esse, seu significare, initium huius evolutionis, quae aetate Christi perfecta erat (iod minima omnium litterarum, Mt. 5, 18).

Quod non fuerit repentina mutatio, sed lento processu inducta, inde probatur, quod Chronica (opus exaratum circa med. sec. IV a. Ch.) confusiones litterarum continent ex antiqua scriptura, ut exempla docent supra citata. Cf. BERNHEIMER, *Pal. ebr.*, p. 2 nota 1.

14. De interpunctione et scriptione continua. — In inscriptionibus antiquis hebraicis et aramaeis singula verba separantur puncto, ut apud Latinos. In plerisque phoeniciis e contrario nulla separatio verborum, ut apud Graecos. Inscriptiones in scriptura quadrata solent vocabula distinguere brevi intervallo, item antiqui papyri sive aramaei (3) sive hebraei (4).

---

(1) Testes Talmud, HIERONYMUS in Prol. gal., ORIGENES in Ps. 2 paulo ante citati. Praeterea EPIPHANIUS *De XII gemmis* (*PG* 43, 356), de quo loco cf. HOFFMANN, *Lexikalisches* in *Zeits. altt. Wiss.* 1 (1881), 334-336.

(2) Cf. *Rev. bibl.* 1920, 196; *Zeits. deutsch. morgenl. Gesellsch.* 75 (1921), 60.

(3) *Aramaic papyri discovered at Assuan*, ed. SAYCE... COWLEY, London 1906; SACHAU *Aramäische Papyrus u. Ostraka* Leipzig 1911. Habentur in *Kleine Texte*, nn. 22, 23, 32; versi germanice ib. 94; cum vers. anglica COWLEY *Aramaic Papyri of the fifth century B. C.* Oxford 1923.

(4) *Zeits. f. ägypt. Spr.* 17 (1879) 93, Taf. VIII; *Jew. Quart. Rev.* 15 (1903) 392; 16 (1904), 2. 561.

Haec intervalli distinctio usitata certo fuit apud Iudaeos post exilium, nam antiquissimae inscriptiones quadratae iam exhibent litteras finales. Est autem probabile adhibitam fuisse etiam in antiquiore aetate; nam variae lectiones, ex diversa divisione verborum exortae, sunt relative paucae. Adsunt tamen, v. c. Gen. 30, 11; Is. 9, 6; 16, 1 (LXX); Zach. 11, 11 (1). Quare dicendum (cum LAGRANGE in *Rev. bibl.* 1907, 268) verba non semper fuisse sufficienter divisa.

15. SENTENTIAS Mesae inscriptio distinguit lineola verticali, exemplo in inscriptionibus adhuc notis unico. In papyris nulla est interpunctio. At ex quo Talmudistae sacros libros in versus diviserunt (n. **24**), hi distingui coepti sunt duobus punctis.

16. Compendia verborum adhibita interdum fuerunt ab antiquis amanuensibus, praesertim י pro יהוה; cf. Ierem. 3, 19; 6, 11; 25, 37; 2 Reg. 11, 17 coll. 2 Chron. 23, 16; Ion. 1, 9 (LXX) (2). Huiusmodi compendia plurima sunt in scriptis rabbinicis (3); at in exemplaribus s. Scripturae, saltem publicis, adhiberi vetantur a Talmudistis.

Notis numerorum, ut constat e papyris Elephantinae, utebantur antiqui Iudaei, ad exemplum Phoeniciorum, hisce: lineola verticali ad unitates, horizontali ad decades designandas, circello inter duas lineolas verticales vel similibus figuris ad centum; cf. LIDZBARSKI, *Handbuch*, Taf. XLVI. Hinc fons non adeo rarus errorum vel variantum lectionum.

ART. 2. — Historia textus manu scripti

17. Postquam consideravimus in praecedentibus s. textum in suo quodammodo ortu, in sua prima constitutione, nunc restat, ut (quod studii nostri longior est pars) eius sortes seu vicissitudines prosequamur inde ab origine ad nostra usque tempora. Quo in longo saeculorum intervallo primum duae sunt epochae inter se maxime distinctae, quarum altera inde ab inventa arte typographica protenditur, altera praecedentes aetates, in quibus librorum exemplaria manu propagabantur, complectitur. Historiam vero textus manu scripti, quae longe maius sibi vindicat seu temporis spatium seu momentum in re critica, placet hic simul sub uno quodammodo aspectu proponere, postea per partes enucleandam.

---

(1) GINSBURG, p. 158 sqq.; PERLES, *Analekten*, p. 35-49; DELITZSCH, *Lese- u Schreibfehler*, p. 2-4.

(2) GINSBURG, p. 164-70; PERLES, *Analekten*, p. 4-35.

(3) De his cf. * I. BUXTORFII *De abbreviaturis hebraicis*, Basileae 1613, saepe reimpressus; P. PERREAU *Oceano delle abbreviature e sigle ebraiche*[2] Parma 1883; * HÄNDLER *Lexicon der Abbreviaturen*[2] Frankfurt a. M. 1922 (Appendix ad G. DALMAN, *Aramäisch-neuhebräisches Handwörterbuch;* cf. n. **72**).

Historiae textus et versionum V. T. brevis conspectus

	AETAS I ab originibus ad saec. I. p. C.	AETAS II a saec. II ad VI p. C.				AETAS III a saec. VI ad X p. C.
Textus	Habetur varietas relative maxima tum lectionum tum recensionum.	Eligitur una recensio: variantes lectiones paulatim eliminantur: textus redditur *uniformis*.				Signa vocalium apponuntur; masora scripto traditur; textus redditur *immutabilis*.
Versiones immediatae	saec. III-II a. C. graeca LXX interpretum	II Syr. pešitta. Graecae: Aquilae Symmachi Theodotionis 5ª. 6ª. 7ª	III Recensiones LXX: Origenis (Hexapla) Luciani Hesychii	IV 390-404 latina Hieronymi	V Targum Onkelos scripto traditur.	Targum Prophetarum, hierosolym. Pentateuchi, Hagiographorum. Graecae recensiones miscentur. Latinae antiquae praevalet hieronymiana.
mediatae (ex LXX)			latinae antiquae, coptica sahidica	copticae: ahmimica, faiumica? — aethiopica	coptica bohairica; armeniaca; georgiana	508 syriaca philoxeniana e graeco non hexaplari; 616-618 syriaca hexaplaris; syro-palaestinensis.

Aetas I. — Ab originibus ad saec. I p. C.

18. Plures sunt causae, quibus in hac prima aetate fieri potuerit, ut maxima tunc exstiterit varietas lectionum aut etiam recensionum. Maxima, inquam, relative ad miram illam uniformitatem sequentium aetatum.

Eae causae sunt: 1) Quod textus erat adhuc quodammodo in fluxu. Ipsi auctores interdum varias editiones vel redactiones suorum scriptorum curarunt, ut de Ieremia constat ex ipso eius testimonio (Ier. 36, 2-4. 32). — 2) Scripta primum dispersa per multos ac breves codices, vel etiam voce tantum tradita, docti homines et pii colligenda et ordinanda curarunt, quod « a viris Ezechiae regis » constat factum de Salomonis Proverbiis (Prov. 25, 1); Psalmis idem Ezechias (2 Par. 29, 25. 30) et Iosias (ibi 35, 15) similem curam admovisse videntur, et certe examine intrinseco demonstratur Psalterium integrum coaluisse paulatim e collectionibus antea separatim existentibus. — 3) Cum canon nondum esset conclusus, proinde cum non omnia scripta ab omnibus haberentur uti sacra nec tanta veneratione circumdarentur uti postea factum est, textus ipse non tanta diligentia transcribebatur; unde facilius irrepere poterant sive menda involuntaria, seu voluntariae mutationes ab amanuensibus et sciolis. — 4) Tempore exilii et in persecutione Antiochi Epiphanis (1 Mac. 1, 56) multa damna passa sunt exemplaria legis aliorumque librorum, ad quae reparanda variam operam navarunt Nehemias et Iudas Maccabaeus (2 Mac. 2, 13 sq.). Scribarum vulgo admissa auctoritas et labores ad integritatem textus tuendam, incidunt in extremam hanc aetatem, quando iam praedictae causae multam iacturam attulerant.

Ceterum quae conditio fuerit sacri textus in hac aetate colligitur comparando:

1) Ipsum in se textum hebraicum prout ad nos pervenit (1) in locis parallelis, h. e. iis, qui eundem originario textum reproducunt.

2) Textum masoreticum cum versione LXX interpretum.

3) Pentateuchi textum hebraicum cum samaritano.

---

(1) A *masora* seu traditione (cf. n. **31**) illum appellamus *masoreticum* et signamus compendio **TM**

19. Loci paralleli sensu dicto sunt praecipue:

Ps. 14 = 53	Is. 36-39 = 2 Reg. 18, 13-20, 19
» 40, 14-18 = 70	Ier. 52 = 2 Reg. 24, 18-25, 30
» 57, 8-12 + 60, 7-14 = 108	Esdr. 2, 3-63 = Neh. 7, 6-73
» 18 = 2 Sam. 22	1 Chr. 16, 8-35 = Ps. 105, 1-15
Is. 2, 2-4 = Mic. 4, 1-3	+ 96, 1-13 + 106, 1-46

Praeterea hinc Sam. Reg. inde Chron. passim, de quibus in Introd. speciali.

20. Hi loci si inter se comparentur, constabit hac aetate plerasque in sacrum textum irrepsisse mutationes, quae in librorum transcriptione accidere solent. Sic, v. gr., una pro altera littera posita est *figurae* similis (2 Sam. 22, 11 וירא et apparuit; Ps. 18, 11 וידא et volavit) vel similis *soni* (Ps. 14, 6 עֲצַת עָנִי בדור.. «in generatione... consilium inopis»; Ps. 53,6 פִּזַּר עצמות חנך «dissipavit ossa circumdantis te»); mutatus ordo litterarum (2 Sam. 22, 13 בערו incensi sunt; Ps. 18, 13 עברו transierunt); bis scripta (per *dittographiam*) eadem littera, syllaba, vox integra (2 Sam. 23, 8 ישב בשבת sedens in cathedra, pro ישבשת Isboseth, cf. infra; Ier. 10, 25 ואכלוהו ויכלהו et «comederunt eum et consumpserunt eum» deest in Ps. 79, 7), vel e contrario duo identicae (per *haplographiam*) semel scriptae (Ps. 18, 6 סבבוני; 2 Sam. 22, 6 סבוני); addita littera (2 Sam. 22, 16 ים mare; Ps. 18, 16 מים aquae) vel omissa (2 Sam. 22, 27 תִּתַּפָּל; Ps. 18, 27 תִּתְפַּתָּל); omissa plura verba inter duo similiter desinentia (*homoeoteleuton*; e. gr. 1 Chr. 11, 13 om. quae habet 2 Sam. 23, 10. 11 inter duplex «congregati sunt Philistiim in praelium»); synonymum pro synonymo substitutum (Ps. 18, 7 אֶשַּׁוַּע clamabo; 2 Sam. 22, 7 אקרא vocabo); aliter divisa verba (Ps. 31, 3 לְבֵית מְצוּדוֹת «in domum munitam»; Ps. 71, 3 לָבוֹא תָּמִיד צִוִּיתָ «ad ingrediendum iugiter, iussisti»); compendia verborum soluta, vel contra (2 Reg. 11, 17, בֵּין יהוה inter Deum; 2 Chr. 23, 16 בֵּינוֹ inter eum); nomini male sonanti substitutum decentius, v. gr. pro *baal* (in nominibus propriis) positum *bošeth* (turpitudo), cf. 1 Chron. 8, 33. 34 cum 2 Sam. 7, 4, aut *El* (Deus) ut 1 Chron. 14, 7 Baalyada, 2 Sam. 5, 16 Elyada; pro Iahwe positum Elohim, ut in Ps. 42-84 passim. Cf. n. 140.

Quod si comparetur textus cum versionibus, apparebit praeterea, fere omnes varietates atque corruptiones, quae etiam nunc exstant, enatas esse in hac prima aetate.

21. Differentiae inter TM et versionem LXX interpretum. Quae quidem ex eorum archetypo hebraico provenire dicendae sunt, hae praecipue notatu dignae. Apud LXX in *Exodo* 36-39 alio ordine et brevius narratur erectio tabernaculi aliaque ad cultum pertinentia; in 1 *Reg.* (Sam.) deest 17, 12-31; 17, 55-18, 5; in 3 *Reg.* capita 4-7 alio ordine; 1 *Par.* deest 1, 10-23;

in 2 *Esdr.* (Neem.) cc. 11. 12 elenchus brevior, omissis 23 vv.; in *Prov.* 24, 23-31, 10 alius ordo; desunt hic illic 23 vv. circiter, adduntur passim plures; in *Ieremia* vaticinia contra gentes (hebr. et Vulg. cc. 46-51) ponuntur in medio libro (post 25, 14) et alio ordine; *Lam.* (Thren.) praemittitur introductio historica; additamenta Danielis et Esther, quae ad canonis historiam pertinent; item Baruch cum Epistola Ieremiae; cf. lib. II p. 17 sq.

Et huiusmodi quidem differentiae recensionem ipsam librorum attingunt. Variantes vero lectiones in singulis locis pene innumerae sunt, de quibus consulendi commentarii (1). Cf. etiam infra n. **60. 61.**

22. De Pentateucho Samaritano. — Samaritani, cultores Iahve orti e gentilibus et Israelitis commixtis (4 Reg. 17, 24-33), a Iudaeis dissidentes (Esd. 4, 1-23; Ioh. 4, 9), Pentateuchum Moysi, quem solum habent divinitus inspiratum, etiam nunc servant, lingua hebraica, litteris antiquis (n. **10**; HIERON. *Prol. galeatus*, initio).

Eius EDITIONES: primae habentur in Bibliis polyglottis Paris. (t. VI) et Londin. (t. 1); critica, curis A. von GALL, prodiit Giessen 1914-1919 (litteris quadratis).

Mentio hic fiat de Pent. Sam. *versione aramaica* seu Targum. Edita est in Polyglottis loc. cit., a *PETERMANN et VOLLERS, *Pentateuchus samaritanus ad fidem librorum mss.* Berolini. 1872-1891; a *BRÜLL, *Das samar. Targum*, Frankfurt 1873-1876. Item *versio graeca* citatur a Patribus (cf. FIELD, *Origenis Hexaplorum quae supersunt* 1, LXXXIII); fragmenta recens reperta ediderunt *GLAUE et RAHLFS, *Fragmente einer griech. Uebersetzung der sam. Pentateuchs*, Berlin 1911.

DIFFERENTIAE PRAECIPUAE a TM. — 1) *Transpositiones.* Ex. 30, 1-10 (TM) legitur in Sam. post 26, 35; 29, 21 (TM) post 29, 28.

2) *Additiones.* Post Ex. 7, 18. 29; 8, 1. 19; 9, 5. 19 ad singula mandata Dei (de 10 plagis), additur narratio exsecutionis iisdem verbis, mutatis mutandis. Ante Ex. 10, 3; 11, 3; Num. 31, 20 e contrario additur mandatum (Dei vel Moysis). In Num. 10. 12. 13. 20. 21. 27 adduntur multa ex Dt. 1. 2. 3. Contra post Dt. 2, 7 adduntur alia ex Num. 20, 14. 17.

(1) Plerasque habes collectas in *KITTEL, *Biblia hebraica*, cuius tamen apparatus criticus non sine cautela adhibendus. Multo parcior, sed etiam solidior, liber *S. DAVIDSON, *The Hebrew text of the O. T. revised from critical sources*, London, Bagster, 1855. Cf. infra n. **35.**

Notanda in primis post utrumque decalogum (Ex. 20, 17; Dt. 5, 18) additio Deut. 27, 3-7 de altari exstruendo in monte Garizim (loco Hebal).

In his additionibus plane solus est Sam.

Minoris momenti sunt frequentes differentiae in *orthographicis*, in *grammaticis*, in *sensu* (vg. Gen. 2, 2 die *sexto* pro septimo; in his Sam. medius est inter TM et LXX), in *numeris* (vg. in genealogiis patriarcharum Gen. 5 et 11).

23. Conclusiones: 1. In hac aetate exstitit multa varietas lectionum ac plures etiam recensiones. — 2. Sam. in additionibus ipsi propriis est plane secundarius; item in orthographicis et grammaticalibus. — 3. Sam. est a LXX independens, et vice versa. Cum hi duo concordant contra TM, magnum habent pondus. — 4. Considerata praesertim varia quantitate Pentateuchi, v. g. in Exodo, trium horum testium, animadvertitur in textu retractando et ampliando quaedam evolutio, cuius antiquissima periodus sunt LXX, recentior TM, recentissima Sam.

24. Opera Scribarum. — Extrema hac aetate floruerunt *Soferim* seu Scribae, quibus tribuuntur complures curae criticae. Praecipuae sunt: 1 *Divisio* s. textus in *versiculos*, et versiculorum *enumeratio*, ac summa, quae tradi solet in fine singulorum librorum (1). — 2. *Verba legenda sed non scribenda, aut scribenda sed non legenda;* v. g. 2 Sam. 8, 3 in fine post « flumen » legitur P^{e}rat, Eufrates, quamvis non sit scriptum; Ier. 51, 3 scriptum est יִדְרֹךְ 2° (dittographia) sed non legitur; item legenda aliter quam scripta sunt, seu *kerê ketīb*, de quibus consulè grammaticos. — 3. *Puncta extraordinaria*, quibus indicatur verba esse dubia vel spuria; v. g. Is. 44, 9 הֵמָּה (dittographia) (2). — 4. Emendationes scribarum seu *tiqqunê soferîm* in locis circiter 18, quibus dicuntur removisse locutiones male sonantes, praesertim Deo minus reverentes.

Posuissent v. g. Gen. 18, 22 « Abraham stabat ante Deum » pro (supposito originario) « Deus stabat ante Abraham »; 1 Sam. 3, 13 « maledicentes sibi » (לָהֶם) pro « mal. Deo » (אֱלֹהִים); Iob. 7, 20 « mihi gravis » pro « tibi gravis ».

---

(1) Cf. infra n. **31**.

(2) Alium casum (Gen. 19, 33) videas relatum a S. Hieronymo, *Quaest. in Gen.*, PL 23, 973.

Non constat autem reapse primitivum textum fuisse mutatum nisi forte perpaucis in locis (1). Plura videas apud Ginsburg, *Introd.* p. 347-363; König, *Einl.*, p. 83 sq.; * Barnes in *Journ. of theol. Stud.* 1 (1900), 387-414.

Aetas II. — A saec. I ad VI p. C.

25. Duo sunt ineunte hac aetate notanda:

I. — Narratur in Talmude (Taanith jer. IV, 2 (2); Sopherim 6, 4) tres in templo extitisse codices inter se hic illic discrepantes. His collatis, eam lectionem in singulis locis praelatam esse quae a duobus praeberetur, ea reiecta quam unus fulciret. Videtur ergo, stante adhuc templo, facta fuisse aliqua revisio textus (3).

II. — Versiones immediatae hoc tempore factae plerumque concordant omnes cum TM contra LXX (et Sam.): cf. v. gr. Ps. 75, 6 (LXX Θεοῦ = צור; cett. צואר = collum); Ps. 4, 3 LXX « usquequo gravi corde? Ut quid... »; cett. « usquequo gloria mea (vel gloriosi mei) in ignominiam? »; Ps. 71, 3 LXX « in domum munitam »; cett. « ad ingrediendum iugiter iussisti » (cf. supra n. **20**).

Ex his factis merito concluditur initio huius aetatis unam recensionem electam esse et celeriter propagatam, variasque lectiones eliminatas.

26. Codices nunc existentes ab *uno singulari* descendere sat communis est sententia post I. G. Sommer, *Bibl. Abhandl.*, Bonn 1846, p. 49 et I. Olshausen, *Lehrbuch d. hebr. Spr.* § 31ª et *Psalmen*, p. 18. Pro hac sententia stare videtur, tum quod ab antiqua varietate LXX interpretum ad uniformitatem versionum saeculi II p. C. et deinceps transitus fit quodammodo repentinus; tum scriptio litterarum magnarum Deut. 6, 4, parvarum Gen. 2, 4, suspensarum Iudic. 18, 30; Ps. 80, 14, inversarum Num. 10, 35 sq., Ps. 107, quae videntur casu accidisse in uno exemplari.

---

(1) In duobus ultimis locis LXX habent alteram lectionem quae dicitur esse primitiva; in ceteris locis concordant omnino cum textu hebr.; ita et Pentat. Sam.

(2) Gallice versum a M. Schwab, *Le Talmud de Jérusalem*, tom. VI, p. 179 fine. Cf. etiam midraš *Siphri* in Dt 33, 27 apud Ugolini, Thes. 15, 982.

(3) Ita fert communis interpretatio eorum locorum. Nuper I. Z. Lauterbach, in *Jewish Quart. Rev.* 1918, 385 – 423, contendit tres illos libros in templo repertos continuisse non sacrum textum, sed tabulas genealogicas. Hoc si verum est, restat explicatio quam n. sequenti damus.

Tamen et hae scriptiones habent significationem criticam (1) et illa celeritas mutationis posset explicari per activitatem rabbinorum et usum proiciendi in *genizam* codices reprobatos. Nam post eversionem Hierusalem, sacerdotio omnino sublato, totus populus Iudaeorum exclusive cessit in ditionem ac ductum rabbinorum, qui litteram ipsam S. Scripturae superstitioso cultu venerabantur, ac nil patiebantur mutari aut differre ab exemplaribus probatis. Codices vero, qui eorum praescriptionibus non responderent, aut essent usu detriti, proicere iubebant in *genizam* seu latibulum, singulis synagogis adnexum. Et haec satis explicant uniformitatem textus inde a II saec. post Chr., exclusa derivatione omnium codicum ab uno archetypo. Ita sentiunt homines in hac re primi subsellii, ut KÖNIG, *Einleit.*, p. 87-89; STRACK, *Einleit.*[6] p. 196; *KAHLE in BAUER-LEANDER, *Histor. Gramm. d. hebr. Sprache*, p. 74.

27. Ad conditionem textus hac aetate cognoscendam faciunt citationes librorum quae occurrunt in Talmude et in antiquioribus midrašîm (commentariis rabbinicis) et verba hebraica a scriptoribus ecclesiasticis praesertim ab Origene in Hexaplis et a S. Hieronymo, transcripta litteris graecis vel latinis (2).

« Index locorum V. T. qui in Talmude aliter leguntur atque in Bibliis nostris » collectus habetur apud Strack (*Proleg.*, p. 91-111): pleraque ad orthographiam spectant (3). E midrašîm aliqua bona lectio magni momenti erui potest, ut Ps. 22, 17 *ka'aru* cum waw in fine (Vulg. foderunt), non *ka'ari* (sicut leo?) uti nunc legitur (4).

In transcriptionibus apud PP. Ecclesiae occurrentibus animadvertitur ratio quaedam legendi ac pronuntiandi saepe antiquior et sincerior. Nec desunt variae lectiones textui masoretico praeferendae, ut Ps. 49 (48), 6 ἀών ἀκουββαελ ἰσουββούνει = « iniquitate circumdant me insidiatores mei « (apud Chrysostomum in homilia ad populum, *PG* 55, 226) pro hodierno « iniquitas calcanei mei circumdat me ».

Hae tamen varietates fere solum in vocalibus consistunt; consonantes textus probantur iam eo tempore ita propemodum stabilitae uti nunc sunt, etiam v. g. in ratione plene vel defective scri-

---

(1) Cf. GINSBURG, *Introd.*, p. 318-345.

(2) Cf. FR. WUTZ, *Die Transkriptionen von der Septuaginta bis zu Hieronymus*, Leipzig, 1925; vide infra n. **60** fine.

(3) Cf. etiam * V. APTOWITZER, *Das Schriftwort in der rabbin. Literatur*, Wien 1906-1915; S. EURINGER, *Der Masorahtext des Koheleth kritisch untersucht*, Leipz. 1890, Anhang.

(4) Cf. GINSBURG, *Introd.* p. 963 – 971; C. TAYLOR, *Hebrew-Greek Cairo Genizah Palimpsests*, Cambridge 1900, p. 23, 41.

bendi. Sic ex Hieronymo constat nomen Ephron Gen. 23, 16 iam fuisse scriptum primo plene, deinde defective; et verbum *cherubim* in Exodo semper defective (*PL* 23, 973; 22, 440).

Floruerunt hoc tempore tum in Palaestina, tum in Babylonia, rabbinorum scholae, quae scribarum criticas curas atque animadversiones et fideliter viva voce tradebant et sedulo imitatae non parum auxerunt.

Aetas III. — A saec. VI ad X p. C.

28. Praecedentium saeculorum circa sacrum textum studia et criticus apparatus, cum succedentium generationum accessionibus in magnam molem excrevissent vix memoria retinendam, coepta sunt demum scripto tradi, atque ita paullatim efformata est ilia observationum congeries, quae a *traditione* (1) nomen accepit *masora* (מָסוֹרָה). Simul ad faciliorem ac stabiliorem reddendam ipsam sacri textus lectionem, textui, qui antea solis litteris consonantibus, pro more semiticarum linguarum, constabat, signa vocalium apposita sunt. Quae duo facta notam propriam constituunt huius aetatis. Dicemus primum de signis vocalium, tum de masora.

29. Inveniuntur varia systemata punctorum vocalium, e quibus praevalet tiberiense.

Puncta vocalia non sunt apposita nisi *inter V et VII* saeculum post Chr. Nam: 1) quoad *terminum post quem*, S. Hieronymus († 420) diserte testatur suo tempore nullas vocales fuisse appositas hebraicis vocabulis.

Eius verba sunt: « vocalibus in medio litteris [h. e. יוא vice vocalium fungentibus] perraro utuntur Hebraei » (*Epist.* 73 *ad Evangelum* n. 8; *PL* 22, 445). Alibi (*in Ierem.* 9, 22) « verbum hebraicum, quod tribus litteris scribitur, daleth beth et res (vocales enim in medio non habet) pro consequentia et legentis arbitrio, si legatur *dabar*, « sermonem » significat; si *deber*, « mortem »; si *dabber*, « loquere » (*PL* 24, 745). Cf. et *in Ierem.* 17, 9 (ibi 789); *in* 3, 1 (ib. 690); *in* 6, 3 (ib. 721). Nota commentarium in Ieremiam fuisse ultimum opus a Hieronymo conscriptum, immo relictum imperfectum.

(1) Haec probabilis etymologia. Alii deducunt ab *'ásar*, ligare, ut *massōre* Ez. 20, 37. Cf. p. 4 nota 2.

Praeterea tractatus Sopherim (1), scriptus saec. VI exeunte aut VII ineunte, cum minutissima det praecepta de codicibus exarandis, silet omnino de vocalibus. In bab. Talmude, *Baba bathra* f. 21 controvertitur Deut. 25, 19 זכר sitne pronuntiandum *zakar* (« masculus ») an *zeker* (« memoria »).

2) Quoad *terminum ante quem*, iam saec. IX Mar Natronai II, qui fuit Gaon (2) inter 859 et 869 post Chr., inventionem punctorum vocalium tribuit Legisperitis (ḥakamim: νομικοῖς), qui vixerunt tempore Christi. Id fieri non potuit, nisi ea inventio iam tum esset tam antiqua ut inventorum memoria exciderit (3).

3) Probatur idem ex analogia cum Syris, a quibus verisimile est sumpsisse Hebraeos. Apposita sunt enim puncta vocalia a Syris primum saec. V ineunte, nec varia systemata inventa stabilem formam adepta sunt nisi saec. VII-VIII (4).

30. *Varia* primum invecta sunt signorum *systemata* ad vocales notandas. Initium factum videtur, ut apud Syros, a designanda per punctum supernum pleniore vocali, per inferius exiliore; nam vox *milel* (= supra) pleniorem vocalem, *milra* (= subtus) exiliorem primitus significavit: cf. exempla in *Rev. Bibl.* 1905, p. 211. Inde per additionem punctorum et linearum omnes vocales inter se fuere distinctae.

Systemata signorum vocalium e codicibus exstantibus cognoscuntur tria pura et alia mixta. Pura sunt:

1) Tiberiense sive occidentale vel sublineare, quia signa vocalium scribit (uno excepto) *sub* consonantibus. A multis iam saeculis unice dominatur in usu, et docetur a grammaticis hebraicis. Signa habet 8 simplicia et tria composita.

2) Babyloniense, sive orientale vel supralineare, eo quod signa ponit *supra* litteras. Adhibet septem signa simplicia et plura composita.

3) Tertium pariter supralineare, sed Palaestinense appellatum, in paucis fragmentis exstat, biblicis et liturgicis. Signa vocalium praebet 6. Hoc videtur doctis viris antiquius praecedentibus et eorumdem fons. Ceterum de his confer grammaticos praesertim KAHLE apud BAUER-LEANDER § 67 *y-c'* (p. 103-106).

---

(1) Edidit cum commentario J. MÜLLER, *Masechet Soferim*, Lipsiae 1878. Exstat in Talmude bab. ed. Amstelod. vol. 14 et in *Machsor Vitry* ed. Hurwitz, Berlin 1893, p. 686-717.

(2) Gaon, plur. geonim, vocabantur praesides academiarum iudaicarum in Babylonia saeculis VII-X.

(3) Cf. LOISY, *Histoire du Texte*, p. 165; BUHL, *Text u. Kanon*, 209-211.

(4) Cf. DUVAL, *Traité de grammaire syriaque* p. 61-72.

E mixtis systematibus sufficiat indicasse cod. Prophetarum Petropolitanum (ed. lithogr. H. Strack 1876), qui simul cum signis supralinearibus compositis adhibet ô, û, dāgeš tiberiensia.

Cf. *P. Kahle, *Der mas. Text des A. T. nach der Ueberlieferung der Bab. Juden*, Lipsiae, 1902; *Masoreten des Ostens* ib., 1913; *Masoreten des Westens*, Stuttgart 1927; et apud Bauer-Leander, *Histor. Grammatik der hebr. Sprache* p. 91-114.

E dictis patet vocales textui appositas, etsi bonae in universum traditioni innitantur, tamen non tanta frui auctoritate, ut ab iis recedere aliqua de causa non liceat.

31. Masora scripto traditur. Nomine *masorae* hic intelligimus complexum observationum criticarum, quae inde ab aetate scribarum tradebantur in scholis circa sacrum textum. Distinguitur in *numeralem*, quae tradit numerum versuum, vocabulorum, litterarum (cf. supra **24**) et *textualem*, quae ipsum tenorem textus attingit.

Numeralis legitur in fine cuiusque libri.

Textualis raro traditur separatim a textu; plerumque ad latus textus sacri tripliciter:

1. Inter columnas sive in margine laterali. Dicitur *parva*, quia brevissimas tantum adnotationes compendio exhibet, in primis *a*) quoties occurrat in s. libris verbum circello affectum: siglo לֵית (= non est [alibi]), si semel, littera numerali si pluries; *b*) qerê-ketîb; *c*) scriptionem plenam et defectivam.

2. In margine inferiori vel superiori. Dicitur *magna*, quia fusior est parva, eamque plerumque explicat, adductis in extenso exemplis.

3. In fine codicis, ideoque *finalis* dicitur. Sub variis titulis colligit verba omnia quae certa quadam proprietate gaudent. Tituli ipsi ordine alphabetico disponuntur.

Bibliographia. — **Editiones:** Habetur simul cum textu in Bibliis rabbinicis; separatim: Frensdorff, *Das Buch Ochlah w'ochlah;* Ginsburg, *The Massorah compiled from manuscripts*, 4 voll. — **Subsidia:** Buxtorfii, *Tiberias*, sive commentarius masorethicus triplex; Elias Levita, *The Massoreth ha-massoreth...* with translation by C. D. Ginsburg; Frensdorff, *Massoretisches Woerterbuch* (Die Massora Magna, I Teil); Hyvernat, *Petite introduction à l'étude de la Massore* (in *Rev. bibl.*, 1902, p. 551-563; 1903, p. 529-549); *Lexique massorétique* (ib. 1904, p. 521-546; 1905, p. 203-254, 515-542).

Doctum commentarium in masoram hebraice scripsit SALOMO NORZI (h. e. a Nursia) circa annum 1626; posthumum edidit ad calcem sacri textus Raphael Basila, Mantuae, 1744, sub titulo *Minḥat Šai*, quo communiter citatur. Habetur in Bibliis rabbinicis, Varsaviae, 1860-66.

32. In universum:

1. Masora procedit methodo concordantiali h. e. per completam enumerationem casuum (1); hinc quod omittit, implicite negat.

2. Non est plane uniformis. Nam diversae scholae interdum diversa tradebant. Distinguuntur proinde lectiones Occidentalium (Palaestinensium seu Tiberiensium doctorum) et Orientalium (Babyloniorum); et intra ipsos occidentales aliter saepe legit Ben Ašer, aliter Ben Nephtali, qui duo aemuli scholae duces florebant ineunte saec. x. Utriusque generis variantes impressae prostant in fine Bibliorum rabbinicorum, item editionum Baer et Ginsburg (infra n. **34**).

E dictis facile intellegitur, quomodo abhinc textus evaserit non solum *uniformis*, sed etiam *immutabilis*. Nam si qua corruptio invaserit quemcumque codicem, si quod dubium de aliqua lectione surrexerit, statim recurritur ad masoram, atque corruptio sanatur, dubium tollitur, quaelibet mutatio excluditur. Hoc sensu vere dicitur: ***Massorâh siâg l^{e}tôrâh*** (masora est sepes S. Scripturae).

Non est tamen putandum nullam omnino, nec in minimis accentibus, iam adesse varietatem inter codices hebraicos. Nam tum masora ipsa non est plane uniformis, ut vidimus, tum amanuenses non semper aut praecepta masorae cognoscebant, aut eius auctoritatem agnoscebant.

33. Permulti quidem exstant *codices* hebraici, sed nullus aetatem masoretarum antecedit.

Antiquissimus eorum qui certam temporis notam gerunt, est codex prophetarum Petropolitanus (Bibl. publ. B 3) anni 916, dictus etiam Babylonicus eo quod punctatione supralineari ornatus est (vid. supra n. **29**). Continet prophetas posteriores cum masora; editus est lithographice ab H. Strack anno 1876.

Eiusdem saeculi x sunt codices Musaei britannici Or. 4445 et 5550; Petropolitanus T 43; Vaticanus Urbinas 2.

Cf. GINSBURG, *Introd.* cap. 12, p. 469-778; BERNHEIMER, *Paleogr. ebr.*, cap. 5, p. 191-289.

---

(1) Si quando elenchum aliquem incompletum exhibet, id significat expresse voce ***dillūg*** = saltuario modo.

Art. 3. — De textu typis impresso

34. Novam aetatem inchoavit artis typographicae inventio, qua fit ut textus et perfectius emendetur ante impressionem, et in plurima exemplaria plane immutatus reproducatur, et celerrime propagetur. Distingui potest triplex periodus, cum triplici genere editionum.

I. Editiones principes, ab anno 1477 ad 1525: dantur immediate ex uno vel altero codice, qui praesto erat editori. Utiles tanquam testes aliquatenus independentes a masora, sed plerumque rudes et imperfectae quoad impressionem. Cf. Ginsburg, p. 780-955.

Nominasse sufficiat:

1488 Soncini, V. T. integri prima, cum omnibus vocalibus et accentibus.

1515-1517 Polyglotta Complutensia: in textu consonantico excellunt, in vocalibus minus fida, raro adhibent ḥatephim; carent accentibus et maqqeph.

1516 sq. Biblia rabbinica, Venetiis apud Bombergium, cura Felicis Pratensis ex iudaeo augustiniani. Primum notantur in mg. qerê, aliae lectiones e codd. et notae masoreticae.

II. Textus receptus. — 1525 Biblia rabbinica, Venetiis apud Bombergium, curante Iacobo ben Chaiim, iudaeo, *ad fidem masorae*, quam primus collegit e mss. et edidit. Hinc omittit Ios. 21, 36 sq. contra praecedentes editiones et permultos codices (De Rossi in *h. l.*). Notat etiam var. lect. e codd. Huius textus bonitas et auctoritas fecit ut deinceps ab omnibus editoribus repeteretur. Quare origine masoreticus, evasit usu receptus.

Ex editionibus quae post hanc typicam maiori cura commendantur, hae memorandae videntur:

1667 Amstelodami typis Athiae, cura J. Leusden, quae, utpote commodior, a subsequentibus editoribus fuit adhibita.

1699 Berolini e recensione D. E. Jablonski. Ad praecedentem adhibuit codd. mss.

1705 Amstelodami, recensita ab E. van der Hooght. Inter optimas et commodissimas numeratur; ab eaque derivantur illae, quae in usum scholarum vulgatae sunt ad nostra usque tempora.

III. Editiones criticae. — B. Kennicot, *Vetus Test. hebr. cum var. lect.* 2 voll. Oxonii 1776, 1780. Dat textum sine vocalibus et accentibus, et var. lect. e 615 codd. et 52 edd., sed perfunctorie collatis.

Huius ed. tanquam complementum et correctio sunt *Variae lectiones Vet. Test.* opera et studio Joh. Bernardi De-Rossi, 4 voll. Parmae 1784-88; *Scholia critica in V. T.* seu *Supplementum* ib. 1798 (e codd. 1418 et edd. 374). Exhibet solum variantes, sine textu, sed respicit etiam ad vocales, et accuratius refert ac discutit.

S. Baer († 1897) adiuvante Fr. Delitzsch († 1890) edidit separatim libros fere omnes (sc. exceptis Exod.-Deut.) e *fontibus masorae*, at non semper rectis criteriis. Utiles sunt eius editiones ob copiosas ac varias Appendices.

D. C. Ginsburg exhibet textum Iacobi b. Chaiim accuratissime, cum amplo apparatu critico e 73 codd., 23 edd. et versionibus antiquis. Editio minor uno volumine 8° min.; ed. maior 4 voll. in 4°, London, 1908-1926.

R. Kittel, multis adiuvantibus, edidit *Biblia hebraica* cum var. lect. ex De-Rossi, antiquis vers., coniecturis criticis Lipsiae 1906; ² 1909; tertiae editionis ex integro renovatae ad recensionem Ben Ascher cum masora parva prodierunt hucusque fasciculi quattuor.

Ad quotidianum usum praestat ceteris ed. Kittel, cuius tamen apparatus minime eximit ab ipsis fontibus adeundis, cum nec omnes, etiam magni momenti, lectiones (v. g. Ios. 24, 1 LXX *in Silo* pro *in Sichem;* Iob 12, 2 Aquila, Symmachus *tummat* pro *tāmût*) referat, nec quae affert, semper vere aut exacte citet (v. g. Is. 42, 11 falso adducitur Targum [ישבח = laudet] pro lectione יְשׂוּשׂוּ = gaudeant). Praeterea multas proponit emendationes textus, quas cordata critica reicere iubet.

Art. 4. — De auctoritate critica textus masoretici

35. Vidimus omnes hebraicos codices ad nos transmissos unam textus recensionem exhibere, masoretarum auctoritate firmatam. In versionibus antiquis, praesertim graeca LXX interpretum, habemus praeterea vestigia diversae textus hebraici recensionis. Quaeritur num his adiumentis devenire possimus ad ipsam s. scriptoris primitivam lectionem, et quam vim ad id habeat textus masoreticus. Qua de re (1) haec statui possunt:

1. Recensio masoretica, textus generatim egregie bonus, non ubique tamen nobis servavit ipsa s. auctorum verba (n. **20**).

(1) De *auctoritate dogmatica* textus masoretici dicemus, ordinis et claritatis gratia, in fine post historiam latinae Vulgatae n. **135** sq.

2. In locis ita corruptis saepe emendari potest ope antiquarum versionum, praesertim LXX interpretum (n. **21. 25**).

3. Antequam tamen corrigatur ex eis textus masoreticus oportet *a*) ut ipsa lectio versionum critice sit certa, minime dubia; *b*) ut huius lectionis diversitas ab hebraico masoretico tribuenda sit non arbitrio interpretis, sed hebraico exemplari, scilicet ut ille vere alium textum prae manibus habuerit, non textum masoreticum aliter intellexerit; *c*) ut alter hic textus versioni subiacens masoreticum superet intrinseca bonitate; h. e. quod sensum meliorem, contextui vel usui scriptoris magis congruentem, fundat (n. **72**).

4. Si hae normae serio applicentur, liquido apparebit veram aut certe meliorem lectionem longe saepius inveniri in textu masoretico, quam in versionibus, inclusa graeca LXX interpretum.

5. Quoniam corruptio textus in pluribus locis interdum antiquior est omnibus versionibus, inclusa LXX (n. **20**), licebit illic in critica interna refugium quaerere per emendationem *coniecturalem*. Id vero ne arbitrario fiat, sed cautelis statim dicendis.

6. In omni casu textus masoreticus habendus est ut fundamentum criticae recensionis, ita scilicet, ut *a*) non mutetur, quando non adest gravis ratio dubitandi de eius genuinitate; *b*) ut correctio ita fiat ut quam minimum discedatur a consonantibus masoreticis, consideratis communibus errorum causis (n. **20**); *c*) ut emendatio contextui, consuetudini s. scriptoris, legibus hebraicae linguae, veritati historicae vel dogmaticae apprime congruat.

His conditionibus satisfacere videtur, v. gr., coniectura nunc communiter admissa in Ps. 73, 4 לָמוֹ תָם pro לְמוֹתָם qua per simplicem divisionem unius vocis in duas e propositione vix intelligibili « non sunt tormenta (Vulg. respectus) morti eorum, et pingue etc. », fit clara et contextui apta: « non sunt tormenta ipsis; validum et pingue est corpus eorum ». Non eadem evidentia emicat alia similis divisio coniecturalis, a plerisque pariter recepta, in eodem Psalmo v. 1: לִישָׁר אֵל = iusto Deus, pro לישראל = Israeli.

Caput II

De textu graeco Novi Testamenti

36. Uti Vetus Testamentum maxima ex parte hebraice, ita Novum fere totum graece scriptum est. Solum Evangelium Matthaei primitus hebraica, seu verius aramaica, dialecto exaratum

fuit, ut suo loco (vol. 3) probabitur. Verum eius graeca versio, mature confecta, sola nunc exstat, et auctoritatem habet textus originalis deperditi. Licebit ergo generatim et unice loqui de textu *graeco* Novi Testamenti. Cuius historiam ita prosequemur, ut primo (quemadmodum fecimus in Veteri T.) breviter enarremus, quae fuerit usurpata in eo propagando tum materia ac forma librorum, tum forma scripturae; deinde inspiciamus quinam ad nos pervenerint eius testes (1) et quam relationem inter se habeant, seu quot formas textus exhibeant; denique ex his facile colligamus totius propagationis historiam et normas ad textum recte constituendum.

Bibliographia. — *WESTCOTT-HORT, *The N. T. in the original Greek*, 2. Introduction. – *GREGORY, *Prolegomena ad N. T. graece* ed. Const. Tischendorf. 8. maior, Lips. 1894; idem, *Textkritik des N. T.*, ib. 1900-1909; idem, *Die griech. Handschriften des N. T.*, 1908; idem, *Einleitung in das N. T.*, ib. 1909, pp. 402-645. – *VON SODEN H., *Die Schriften des N. T.*, 1. pars, 3 voll., 1900-1910. – *SCRIVENER-MILLER, *A plain Introduction to the criticism of the N. T*⁴., London 1894. – *KENYON, *Handbook to the textual criticism of the N. T*²., ib. 1912. – *NESTLE'S *Einführung in das griech. N. T*⁴. cur. E. V. DOBSCHÜTZ, Göttingen 1923. – JACQUIER, *Le N. T. dans l'Eglise chrétienne*, tom. 2 Paris 1913. – VOGELS, *Handbuch der neutest. Textkritik*, Münster 1923. – *ROBERTSON A. T., *An Introduction to the Textual Criticism of the N. T.*, New York 1925. – G. SACCO, *La Koinē del N. T. e la trasmissione del sacro testo*, Roma 1928. – K. LAKE, *The Text of the N. T.*⁶ London 1928.

Editiones maxime utiles: * C. TISCHENDORF, *N. T. graece.* Ed. VIII critica major. Lipsiae 1869-1872, 2 voll,; * H. von SODEN, *Die Schriften des N. T.* II Theil. Göttingen, 1913; id. *Griechisches N. T.* (editio minor) ib. 1913; *ERWIN NESTLE, *N. T. graece*, ed. 13ª, Stuttgart 1927; H. VOGELS, *N. T. graece*², Düsseldorf 1922; A. MERK, Romae 1932. Hae tres postremae etiam *graece et latine.*

ART. 1. — Palaeographica

37. Materia et forma librorum. Aevo apostolico ad scribendum adhibebatur sive papyrus (χάρτης 2 Ioh. 12) sive membrana (2 Tim. 4, 13), illa tamen longe frequentius, utpote viliori pretio comparabilis.

Papyrus cum sit detritu facilis (volumina papyracea vix 200 annos durabant; PLIN. *Hist. Nat.* 13, 83) nil mirum quod et auto-

(1) Quae dicimus in his n. **37-42,** maximam partem valent etiam de versione Vet. T. graeca, quae non raro iisdem codicibus traditur, quibus N. T.

grapha seu prima exemplaria (originalia) deperdita sint, et hic illic aliqua lacuna accidere potuerit, unde partialis corruptio.

Inde a saec. IV ineunte *pergamenae* usus fuit in dies communior (HIERON. *Epist.* 34, 1; *Vir. ill.*, 113: *PL* 22, 448; 23, 707), a quo tempore et antiquissimos habemus codices biblicos. *Chartae* e pannis confectae usus invaluit primum saec. X.

Papyraceorum librorum *forma* fere semper erat *volumen* (rotolo).

Forma *codicis*, rara in papyris, ordinaria evasit cum pergamenae usu, atque ob commoditatem unice in posterum dominata est.

Ceterum vide quae dicta sunt n. **8. 9.**

38. Forma scripturae. In papyris duplex forma litterarum adhibebatur: cursiva et uncialis, et haec sive soluta sive ligaturis innexa. Est autem uncialis scriptura maiuscula (capitalis), in qua litterae quaedam, ut E, Σ, rotundam formam induunt; cf. tab. 3.

In codicibus membranaceis fuit in usu scriptura uncialis exclusive usque ad saec. IX, quo adhiberi coepta est minuscula ex unciali enata cum influxu antiquae cursivae. Haec minuscula iam sola regnat inde a saec. XI.

In scriptura unciali et antiqua cursiva ordinarie non separantur inter se verba; hinc occasio variae divisionis et lectionis; v. gr. Lev. 5,4 pro ἡ ἂν ὀμόσῃ διαστέλλουσα in plerisque editionibus est ἡ ἄνομος ἡ διαστέλλουσα.

Spiritus et accentus, licet a grammaticis alexandrinis inventi fuerint saec. II a. C., in usum tamen communem et constantem non abierunt nisi a saec. VIII post C. In antiquioribus documentis et in optimis codicibus uncialibus omnino absunt. Inde alius fons diversitatis in lectione; cf. AUGUST. *Epist.* 149,4 *PL* 33,634. V. gr. Mc. 10, 40 Vulg. *sed quibus* (ἀλλ'οἷς); Chrysost. *aliis* (ἄλλοις).

Etiam interpunctio ad distinguendas propositiones non venit in usum communem nisi cum scriptura minuscula. Antea raro distinguebantur maiores pericopae aliquo intervallo, vel aliquo signo arbitrario; eoque rariora sunt eiusmodi signa, quo antiquior est codex. Hinc in Ioh. 1, 2-4 variae coniunctiones et interpretationes.

Ad praecavenda incommoda ex tali modo scribendi, invecta est primum ratio scribendi *per cola et commata*, quae probe distingui debet a scriptione *stichometrica*.

39. In *stichometria* proprie dicta computatur numerus litterarum vel syllabarum unice spectando longitudinem lineae in ordine ad mercedem amanuensis: stichus constat syllabis 16, seu litteris 36. In hoc sensu intellegenda numeratio stichorum quae invenitur in codicibus ad calcem librorum; cf. * RENDEL HARRIS, *Stichometry*, p. 29-63; et canones allatos supra lib. II fine. Haec mensuratio iam erat in usu saec II a. C.

In *divisione per cola et commata* seu colometria spectatur divisio logica sensus: lineae singulae exhibent membrum aliquod periodi in se completum. Ita Psalmi, Iob et libri Salomonici tum apud Hebraeos (masoretas) tum apud Graecos ea ratione scribebantur, ut una linea fere contineret unum membrum parallelismi. Hic deinde modus transcribendi per cola ad alios libros prosa oratione scriptos translatus est (HIERON. *Praef. in Proph.;* HESYCHIUS, *PG* 93, 1339 sq.). Istae lineae appellatae sunt etiam stichi, et ea ratio scribendi, quamquam minus proprie, stichometria (1).

Colometriam in Epistolas et Actus induxit saec. IV exeunte EUTHALIUS diaconus, de quo cf. ROBINSON, *Euthaliana;* VON SODEN *Die Schriften des N. T.*, I, p. 637-682; ZAHN, in *Neue kirchl. Zeitschr.*, 15 (1904), p. 305-330, 375-390; CONYBEARE, in *Zeits. f. neut. Wissensch.*, 5, p. 39-52; TURNER, in *Hastings Dict.* Extrav. 524*b*-529.

40. *De compendiis scripturae.* In antiquissimis codicibus inveniuntur abbreviata nomina sacra θς κς ις χς πνα ανος ουνος πηρ υς ιηλ ιλημ pro Θεὸς, κύριος, Ἰησοῦς, Χριστὸς, πνεῦμα, ἄνθρωπος, οὐρανὸς, πατὴρ, υἱὸς, Ἰσραὴλ, Ἰερουσαλήμ.

In recentioribus autem codicibus, praesertim minusculis, abbreviantur per *syncopem* verba, suppressa desinentia et aliquo signo conventionali indicata. Immo brevia verba, ut praepositiones, formae verbi εἰμὶ, notis *tachygraphicis* seu tironianis indicata sunt. Inde multiplices causae erroris, cum compendia vel confunderentur, vel omitterentur, vel male solverentur: v. gr. Ez. 7, 10 pro κυρίου εἰ multi codices habent κύει; Rom. 12, 11

(1) Ab utraque hac ratione distinguenda scriptio plurium codicum bilinguium, v. gr. Laudiani, Claromontani (n. **42**) et Hexaplorum, in quibus ad iuvandam comparationem textus cum versione et unius linguae cum alia, respondet fere verbum verbo in eadem linea.

codd. fluctuant inter *Domino* (κυριῳ) vel *tempori* (καιρῳ) ex κρω vel potius κ,ρω; Ps. 78, 9 κύριε (κε) loco και omnes codices.

Bibliographia. — *Kenyon, *Our Bible and the ancient manuscripts* [4], Lond. 1903; *The palaeography of Greek papyri*, Oxford 1899. – Barone, *Paleografia*, Potenza 1910, 77-128. – *Gardthausen, *Griechische Palãographie*, [2] Leipz. 1911. – *Milligan, *The N. T. Documents*, London 1913, *Lect.* I. V. – *Thompson, *An Introduction to Greek and Latin Palaeography*, Oxford 1912. – *Schubart, *Papyri graecae berolinenses*, Bonn 1911. – P. Franchi de' Cavalieri, J. Lietzmann, *Specimina codicum graecorum vaticanorum*, ib. 1910. – Wessely, *Les plus anciens monuments du Christianisme écrits sur papyrus* (Patrologia Orientalis, tom. 4, fasc. 2; t. 18 f. 3). – H. I. Vogels, *Codicum N. T. Specimina*, Bonnae 1929. – Rendel-Harris, *Stichometry*, London 1893.

Art. 2. — De testimoniis textus

Testes ad historiam et criticam textus consulendi sunt triplicis generis: codices, versiones, citationes Patrum.

41. Codices nunc exstantes *numerantur* ad hanc diem circiter unciales 188; minusculi 2350; papyri 38; lectionaria (1) 1595; in summa 4171. Ex his integrum N. T. complectuntur tantum 53; multi solum fragmenta continent (2).

Notati sunt triplici systemate: 1. Tischendorfii. Unciales designantur litteris maiusculis, primum latinis, tum graecis, inde hebraicis; minusculi numeris arabicis. Et quia in codd. plerumque separatim exstant hae librorum sectiones: 1) Evangelia; 2) Ep. Pauli; 3) Actus cum Ep. Cath.; 4) Apoc., utraque series (litterarum et numerorum) ad singulas sectiones iterum incipit. Ad distinctionem, si quando opus est, additur litterae vel numero *ev paul* etc.; v. g. D ev = cod. Bezae; D paul = cod. Claromontanus. Accedunt lectionaria divisa in duas series: ev. et ap. Idem ergo numerus saepe diversis codicibus tribuitur, nec raro eidem codici varii numeri in diversis N. T. partibus. Hinc faciles confusiones.

2. systema propositum est a Gregory in opere *Die griech. Handschr.* Retinentur pro codicibus *minusculis* numeri praecedentis

(1) Libri qui non continent integros libros, sed partes tantum quae leguntur in liturgia (cf. p. 4, n. 5).

(2) E. v. Dobschütz, *Nestle's Einf.*, p. 85. 103; *Zeits. f. neut. Wiss.* 23 (1924), 251 s.; 25 (1926), 301-305.

systematis; quantum fieri potest, h. e. quantum conciliari possunt cum principio: singuli numeri singulis codd., unus uni. Pro uncialibus, papyris, lectionariis incipit alia triplex series numerorum arabicorum, sed ita ut pro uncialibus numerum arabicum praecedat sigla O; v. g. 02 = A; 03 = B etc.; pro papyris praecedat littera 𝔓 (gotica), pro lectionariis littera (cursiva) *l;* v. g. p 13 = T^e paul. *l* 23 = apl. 2. Permittit tamen Gregory ut pro prioribus 45 uncialibus retineantur litterae latinae et graecae maiusculae, ut in praecedenti systemate. Cum hac mitigatione hoc 2 systema approbatum est a pluribus doctis, et adhibitum v. g. ab A. Souter in sua editione N. T. graece, Oxonii 1910; a Kenyon in *Handbook* [2] (vid. n. **36**); a Dobschütz in *Nestle's Einführung* [4]; hoc et nos adhibebimus.

3. invectum est ab Herm. von Soden (n. **56**). Non distinguuntur codd. unciales a minusculis; sed dividuntur omnes in tres series prouti continent totum N. T. (δ) aut solum Evangelia (ε) aut scripta apostolica (α). In unaquaque serie designantur codd. numeris arabicis eo pacto, ut (pro codd. saec. x posterioribus) ex numero centenario appareat quo seculo circiter exaratus sit codex et ex numero denario utrum contineat Apocalypsim (infra 50) an non (cf. tabulas in JACQUIER, p. 72-74). V. gr. δ 206, ε 279, ε 1210, ε 2045, α 268 sunt omnes saec. XII; prior continet Apoc., ceteri non.

Hoc systema, cum sit nimis implicatum et erroribus magis expositum, doctis minus placuit (1).

42. Praecipuos codices describemus, aliorum elenchum subiciemus.

B vel 03 (δ 1), *Vaticanus*. Fol. 734, 272 × 268 mm.; in singulis pag. columnae tres, lineae 42, litterae in singulis lineis plerumque 16. Exaratus est saec. IV probabiliter in Aegypto; nunc in Bibliotheca Vaticana sub n. 1209. Continet totum Vetus et Novum Testamentum, utrumque mutilum; incipit Gen. 46, 28, desinit Hebr. 9, 14; quae desunt (fol. 34) suppleta sunt in charta manu recenti. Editus est phototypice Romae 1889, [2]1904; habetur tum palaeographice tum praesertim critice in summo pretio, ut antiquissimus simul et in universum optimus. Cf. tab. 3.

א (vel *S*) vel 01 (δ 2), *Sinaiticus*. Fol. 347, 430 × 378 mm., quattuor col., 48 lin., 13 litt. Cum Vaticano magnam habet cognationem ori-

(1) Concordantiam notationum Sodenianae et Gregorianae exhibent libelli B. KRAFT, *Die Zeichen für die wichtigeren Hands. des gr. N. T.*, Freiburg i. B. 1926; Fr. KRÜGER, *Schlüssel zu von Soden's Die Schriften des N. T.*, Göttingen 1927.

ginis et indolis. A Const. Tischendorf detectus (anno 1844) in monasterio montis Sinai (unde illi nomen) et in Europam allatus, nunc asservatur partim Lipsiae (43 folia Vet. Test.), maximam partem Petropoli (Bibl. publ. n. 259). Complectitur item utrumque Testamentum, sed ex Veteri multa exciderunt. Editus est phototypice Oxonii 1911. 1922.

A vel 02 (δ 4), *Alexandrinus*. Fol. 773, 320 × 260 mm., 2 col., lin. 50, litt. 22 circ. Exaratus saec. V, pertinuit olim ad patriarcham alexandrinum, unde illi nomen. Nunc asservatur in Museo Britannico sub signo Royal 1 D V-VIII. Continet utrumque Testamentum, cum lacunis hic illic. N. T. editum est phototypice Londini 1879, et iterum modulo diminuto 1909.

C vel 04 (δ 3) *Codex Ephraemi rescriptus* appellatur eo quod supra sacrum textum saec. v exaratum, serius (saec. XII) opera Ephraemi syri graece conscripta sunt. Fol. 209, 325 × 260 mm., col. unica, lin. 42 circ., litt. 40 plus minus. Parisios allatus a regina Catharina de Medicis, nunc illic asservatur in Bibl. Nat. codd. gr. n. 9. Continet fragmenta Veteris Test., Novum fere integrum.

D vel 05 (δ 5), *Bezae* vel *Cantabrigensis*. Fol. 406, 260 × 215 mm.; una col., lin. 33; saec. VI. Continet Evangelia et Actus Apostolorum graece (laeva pagina) et latine (dextra) per commata disposita. Allatus fuit ad Concilium Tridentinum ab Episcopo Claromontano (1546); postea de monasterio Lugdunensi ablatus in potestatem venit Theodori Bezae, a quo demum Academiae Cantabrigiensi donatus, ibi etiam nunc asservatur (Univ. Nn. 2, 41). Editus est phototypice a Scrivener, Cambr. 1899.

Dp vel 06 (α 1026), *Claromontanus*, nunc Paris. Bibl. Nat. gr. 107, Fol. 533, 246 × 195, lin. 21; saec. VI. Colometrice exhibet Ep. Pauli graece et latine, simili dispositione ac praecedens. Celeber ob canonem S. Scripturarum (cf. p. 192). Editus a Tischendorf (facsimile), Lipsiae 1852.

Codices N. T. selecti (pro ceteris vide opera citata n. 36)

GREG.	SODEN	NOMEN	SAEC.	EST NUNC	CONTINET	NOT.
E	ε 55	Basileensis	VIII	Basileae	Ev.	
E	α 1001	Laudianus	VI	Oxford	Act.	gr. lat.
F	α 1029	Augiensis	IX	Cambridge	Paul.	gr. lat.
G	α 1028	Boernerianus	IX	Dresdae	Paul.	gr. lat.
H	α 1022	Coislinianus	VI	Paris. alibi	Paul.	cfr. 39.
K	ε 71	Cyprius	IX	Paris.	Ev.	
L	ε 56	Regius	VIII	Paris.	Ev.	
P	α 3	Porfirianus	IX	Petropoli	Act. Paul.	
W	ε 014	Freer	V	Washington	Ev.	
Δ	ε 76	Sangallensis	IX	S. Gall	Ev.	gr. lat.
Θ	ε 050	Koridethi	VIII?	Tiflis	Ev.	
1	δ 254	—	XII	Basileae	N. T.	
13	ε 368	Ferrar	XIII	Paris.	Ev.	
28	ε 168	—	XI	Paris.	Ev.	
33	δ 48	—	IX	Paris.	N. T.	
565	ε 93	—	IX-X	Petropoli	Ev.	
700	ε 133	—	XI-XII	Londini	Ev.	

43. De citationibus Patrum hic sufficiat indicasse:

1. Citationes PP. primum locum tenent in determinanda *chronologia*, sive historica successione textus.

2. Ultimum locum tenent si quaeratur *tenor* textus, ob frequentem incertitudinem lectionis, duabus de causis: 1) quod PP. non raro citant ex fallaci memoria, non e fido codice; 2) quod ipse eorum textus vel est corruptus vel non critice certus.

3. Saepe tamen statuere licet extra dubium veritatem citationum ex codicibus versionum; ita ut Patres indicent aetatem versionum, versiones confirment citationes PP.; atque hoc mutuo auxilio utrique multam lucem afferant historiae textuum.

Patres apostolici cum sint summi momenti in historia Canonis, ob allusiones (rarius citationes) ad pleraque scripta N. T. (cf. p. 43), ad historiam textus ob paucitatem documentorum vix quidquam conferunt. Cf. von Soden, § 377 (I, p. 1629 sq).

Amplam e contrario, eamque utilissimam, praebent materiam Patres II et III saeculi, eorumque textus iam specialibus studiis subiectus est. Omnes N. T. citationes collectae et editae sunt horum: *Novum Testamentum S. Irenaei Episcopi Lugdunensis...* ed. Sanday, Turner, Souter, Oxford 1923. — P. M. Barnard, *The biblical text of Clement of Alexandria*, Cambridge, 1899 — H. Rönsch, *Das neue Testament Tertullians*, Leipzig 1871. — H. von Soden, *Das latein. Neue Testament in Africa z. Zeit Cyprians*, Leipzig 1909. — De opere P. Sabatier vide infra, n. **96.**

44. De versionibus erit infra fusius dicendum. In rem praesentem veniunt praecipue tres, seu trium linguarum: syriacae, copticae, latinae. Interim iuvat hic synoptice exhibere, uti supra fecimus in V. T., totam historiam textus et versionum N. T.

Historiae textus et versionum N. T. brevis conspectus

Saec.	Textus	Versiones			
		Syriacae	*latinae*	*copticae*	*aliae*
II	Passim harmonistice retractatur et expanditur. Tatiani Diatessaron.	Diatessaron	afra		
III	Purior textus Alexandriae (Origenes); expolitur.	Evangelia separata.	romana	sahidica	
IV	Recensio antiochena. Eusebii codices et canones. Euthalii editio.	(Pauli Ep., Acta Apost.)	Priorum permixtio et retractatio. 383. Recensio S. Hieronymi. (Vulgata).	akhmimica; fayumica	gotica (Ulphilas)
V	Textus antiocheno-byzantinus diffunditur.	Pešitta (Rabbula)		bohairica	aethiopica; armeniaca
VI	Codices purpurei (in Asia minore?); variae formae miscentur.	Philoxeniana	Cassiodorii curae		georgiana?
VII	Forma antiochenobyzantina in dies magis evincit ceteras.	Heraclensis Palaestinensis	Hieronymiana praevalet antiquae.		
VIII					arabica
IX					slavonica

ART. 3. — De formis textus

45. Evangeliorum textus in illis triplicis generis documentis adhuc exstantibus sese nobis offert sub tribus potissimum formis, quae apte repraesentantur, ad summam quod attinet, respective a tribus codicibus antiquissimis ABD iam descriptis; quare eas liceat designare litteris α β δ respective (1).

FORMA α, quae continetur codicibus AEK, plurimis aliis, et versione syra Pešitta:

1) *Expolit* linguam, formas vocabulorum ac syntaxim redigens ad normam classicae graecitatis;

2) *Claritatis gratia* addit aliquid (subiectum, obiectum, etc.) vel mutat (pronomen in substantivum, etc.).

3) Cum δ unum alteri Evangelio *conformare* amat (*harmonistica*); v. gr. orationem dominicam parem facit in Lc. 11, 2-4 ac Mt. 6, 9-13; addit Mt. 23, 14 e Mc. 12, 40 = Lc. 20, 47.

4) *Plenitudinem quaerit*, ita ut nec quidquam omittat (quod faciunt β et δ diversa via), et lectiones varias β et δ in unum copulet ac *conflet;* v. gr. Lc. 24, 53 δ laudantes Deum; β benedicentes Deum; α laudantes et benedicentes Deum. Hac nota forma α probatur aliis posterior, ab iisque dependens.

46. FORMA β continetur codd. B ℵ L 33, versionibus copticis, praes. bohairica, plerumque latina Vulgata. Eius notae sunt:

1) *Concisio;* v. g. omittit Mt. 1, 25 (suum primogenitum); 5, 22 (sine causa); Ioh. 3, 13 (qui est in coelis); Mc. 16, 9-fine; et Ioh. 7, 53-8, 11 de quibus cf. historiam canonis, n. **5. 62.** sq.

2) *Formae* verborum et orthographia *vulgares*, ut εἴχοσαν, ἐώρακαν, λήμψομαι, τέσσερες.

---

(1) Eisdem signis utitur KENYON *Handbook* ch. VIII, sed addit γ, quo denotat formam alexandrinam, secundum placita Westcott et Hort (cf. n. **55**). Nobis haec forma videtur a β non distinguenda. Ceterum haec proponimus schematico quodam modo ad summam rei perspicue exhibendam. Hae vero formae α β δ respondent fere Sodenianis (cf. n. **56**) respective *KHI*, sed ultima (δ) solum ex parte (I); cf. n. 48 not.

3) *Immunitas*, etsi non absoluta, a contaminatione harmonistica; v. gr. Mt. 5,44 caret additamento e Lc. 6,27.28; sed Mt. 27,49 addit Joh. 19,34.

47. Forma δ continetur cod. D, versionibus syris sinaitica et curetoniana, et latinis antiquis. Distinguitur his notis:

1) Tendentia *harmonistica*, v. g. Mt. 9, 15 « ieiunare » cum Mc. 2, 19 et Lc. 5, 34 pro « lugere »; genealogia Christi in Lc. 3, 24-31 (a Iacob ad David) eadem ac Mt. 1; Lc. 14, 8-10 in Mt. 20, 28.

2) *Paraphrasi*, v. gr. Mt. 27, 23 « dicit illis praeses » pro: « ille autem ait »; Lc. 11, 48 « non consentire » pro « et consentitis ».

3) *Additamentis* rerum plerumque mirabilium; v. gr. Mt. 3, 15: « cum baptizaretur Iesus lumen ingens circumfulsit de aqua, ita ut timerent omnes qui advenerant »; Mt. 20, 28: « vos autem quaeritis de pusillo crescere et de maiore minores esse etc. ». Cf. tab. 5 (1).

4) *Omissionibus*: v. gr. Lc. 10, 42 (porro unum est necessarium); 24, 51 (ferebatur in coelum); ibi 52 (adorantes eum); Mc. 14, 39 (eundem sermonem dicens).

Haec forma cum fuerit communis apud latinos (ante Vulgatam) appellari solet *textus occidentalis*.

48. Cum hac forma δ vario modo conveniunt in paraphrasi et harmonistica, alibi lectiones habent proprias, codices Θ. 28. 565. 700 et duae parvae minusculorum familiae, quarum alteram ducit cod. 1 (2), altera, duce 13, codices complectitur in Calabria et Sicilia exaratos et a detectore Ferrar nomen habet (3). Accedunt versiones armeniaca et georgiana.

Ex his omnibus recenter B. Streeter, K. Lake, aliique textum eruunt peculiarem, qui Caesaream in Palaestina videtur habuisse patriam, adeoque ab esi *textus Caesariensis* vocatur (4). Sententia

(1) Cf. Jacquier, *Le N. T. dans l'Eglise chrétienne* 2 p. 381-386.

(2) Cf. K. Lake, *Codex* 1 *of the Gospels and its allies*, Cambridge 1902. In ed. Nestle 13ª haec familia notatur λ, a v. Soden I η.

(3) Cf. W. H. Ferrar, *A collation of four important Mss. of the Gospels* Dublin, 1877; P. Martin, *Quatre anciens manuscrits grecs du N. T.*, in *Rev. des sciences ecclés.* 27 (1886), 1-33, 146-175. A Nestle signatur φ, a v. Soden I ι; cf. lectiones notandas ad Mt 1, 16; 26, 39 (sudor Christi sanguineus); Lc. 21, 38 (pericope de adultera).

(4) Cf. Streeter, *The four Gospels*, London, 1924 (2ª 1927), part. I, ch. IV; K. Lake and R. P. Blake, *The Text of the Gospels and the Koridethi Codex* in *Har-*

probabilis est et utilibus investigationibus solidam viam aperire videtur; cf. *Biblica*, 10 (1929), 363 s. *Rev. bibl.* 38 (1929), 481 ss.

49. In **Actibus et Epistolis** eadem animadvertitur diversitas formarum, nisi quod et rarius inter se differunt (1) et non iisdem testibus repraesentantur atque in Evangeliis; in specie cod. A in hac parte N. T. optimus est testis formae β.

Pauca exempla ad rem declarandam et confirmandam sufficient.

Act. 7, 21:	β) ἐκτεθέντος δὲ αὐτοῦ ἀνείλατο αὐτόν.
	δ) add. παρὰ τὸν ποταμόν (post αυτον).
	α) ἐκτεθέντα δὲ αὐτὸν ἀνείλατο.
Rom. 6, 12:	β) ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ – δ) αὐτῇ
	α) αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ
I Cor. 9, 10:	β) ἐπ'ἐλπίδι τοῦ μετέχειν
	δ) τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν
	α) τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ μετέχειν ἐπ'ἐλπίδι.
Apoc. 2, 20:	β) τὴν γυναῖκα..ἡ λέγουσα – δ) τὴν γυν. τὴν λέγουσαν – α) τὴν γυν. ἡ λέγει
Apoc. 16, 17:	β) ναοῦ - δ)οὐρανοῦ – α) ναοῦ τοῦ οὐρανοῦ.

In epistolis paulinis textus δ exhibetur praesertim codicibus graeco-latinis *DEFG*, versione latina antiqua.

Forma β est in codicibus ℵ *BAC*, in recensione euthaliana, de qua supra (n. **39**), in versionibus Vulgata latina, et copticis.

Forma denique α prostat in codd. *KLP* et plerisque minusculis.

In *Actibus Apostolorum* forma δ exhibet recensionem singularis gravitatis, a textu communi longius etiam discedendo quam in Evangeliis, nunc addendo facta vel adiuncta ceteris ignota, nunc aliter narrando rem eandem. De origine huius textus disputant eruditi. Frid. Blass putavit esse primam libri delineationem ab ipso Luca factam; plerique tenent esse retractationem ab ama-

---

vard Theol. Rev., 16 (1923), 267-286; id. id. *The Caesarian Text of the Gospel of Mark* ibid. 21 (1928), 207-404; *Biblica* 10 (1929), 363-5. Apud v. Soden omnes hi codices sunt partes magnae recensionis, quam appellat I, et quidem ponit codices Θ-700 sub familia I^a (cum D), cod. 1 et socios sub I η et cod. 13 sociosque sub I ι (§ 208-223; 278-294).

(1) Excepta δ in Actibus, de qua mox.

nuensibus vel lectoribus tentatam. Nec denegatur huic textui auctoritas historica, etsi canonica abiudicetur. Cf. H. Coppieters, *De historia textus Act. Apost.*, Lovanii, 1902; F. Prat, *Le texte occidental des Actes d. Ap.* in *Recherches de science religieuse*, 5, p. 472-486; E. Eisentraut, *Studien zur Apostelgeschichte*, Würzburg 1924.

Art. 4. — Historia textus manu scripti

50. His praeiactis, ita breviter delineari potest nostri textus historia.

Saec. II erat pervulgata forma, quae, Palaestina (ut videtur) profecta, originem dedit textibus occidentali (δ) et caesariensi. Apparet ex citationibus Iustini, Irenaei, Clementis Alex., antiquis vers. syra et lat. Cf. *Sanday, *The Gospels in the 2d century*; *Bousset, *Evangeliencitate Iustins*; Lippelt, *Quae fuerint Iustini M.* ὑπομνημονεύματα; v. Soden § 369-375 (1).

Vergente saec. II Tatianus primus, ut videtur, harmoniam evangelicam διὰ τεσσάρων composuit de qua plura n. **79**; cf. **116.** Ea certe cognata erat cum forma δ; sed quod influxu suo fuerit fons plerarumque corruptelarum in codicibus et versionibus, uti contendunt v. Soden (1, p. 1633; ed. minor IX) et Vogels (*Handbuch* p. 167), longe a veritate aberrare videtur.

Saec. III Origenes non quidem recensuit ut V. T. sic etiam N. (Migne *PG* 13, 1293 sq.); sed codices identidem emendavit. Textum adhibuit, cum Alexandriae degeret, accedentem maxime ad β, quam formam dici potest in lucem traxisse et illi exemplo suo auctoritatem conciliasse. Transgressus Caesaream (ab anno 231) usus est textu caesariensi, de quo supra (n. 48). Hic etiam est

---

(1) Eodem saec. II Marcion (flor. 140-165), uti canonem N. T. ad Evangelium Lucae et decem Epistolas S. Pauli contraxit (cf. lib. II, n. **46**), ita horum librorum textum vario modo mutilavit et corrupit. Eius recensio, quantum e scriptoribus ecclesiasticis nota est, exhibetur a Zahn, *Gesch. d. neut. Kanons* 2,455-529, et ab Harnack, *Marcion*, Beilage III. IV. Multa habet communia cum hac forma δ. Sed quod ulla lectio a Marcione primum conficta in codices catholicorum penetraverit, uti nonnulli nunc autumant, probatum non est, nec verisimile. Cf. A. Bludau, *Die Schriftfälschungen der Häretiker*, Münster 1925, p. 16-21.

conspicuus in scriptis Eusebii Caesariensis, ac forte continebatur illis exemplaribus, quae a Pamphilo, Eusebii magistro, correcta et divulgata dicuntur (1).

Ineunte saec. IV facta videtur Antiochiae, auctore Luciano, recensio α. Nam huius proprietates eaedem sunt ac Lucianeae recensionis in V. T; cf. **67.**

Num etiam Hesychius (n. **66**) N. T. recensendum susceperit (Hieron., *Praef. ad Dam.*) dubium est. Dominabantur saec. IV forma α in Syria et Asia minore, β in Aegypto et Palaestina, δ apud Latinos. Hanc autem (lat. ant.) anno 384 circ. Hieronymus emendavit ad β: quae recensio celeriter ab Ecclesia latina recepta est. Apud syros videtur facta versio, vel recensio, pešitta (vulgata) ineunte seculo V ex α. Cf. n. **81.**

51. *In media aetate* haec accidere notanda:

1. Antiochena recensio (α) perlata Constantinopolim, quae evaserat sedes et imperii et litterarum, inde magis ac magis sese diffudit, alias primum infecit, deinde supplantavit; a saec. XIV sola dominabatur. Triumphalis hic successus debetur tum auctoritati metropolis, tum communi tendentiae ad textum pleniorem, harmonizantem, elegantiorem, qualis erat antiochenus.

2. Forma β magis circumscripta remansit; hinc rarius invenitur in codicibus. Transcripta est usque ad saec. XI, deinde cessat; parum infecta est a rec. antiochena etiam in iunioribus codd.

3. Forma occidentalis (δ), media inter praecedentes, latius propagata quam β, non mediocriter mixta est cum antiochena atque ita supervixit hic illic ex parte usque ad saec. XIV.

Ex mixtione harum trium natae sunt quaedam secundariae formae textus, quas recensere longum et parum utile est.

---

(1) Cf. n. **65.** Cum hoc caesariensi textu valde probabile est connexionem habere illa 50 exemplaria, quae, rogante Constantino imperatore, Constantinopolim misit Eusebius Ecclesiis distribuendos (Euseb. *Vita Const.* 4,36; *PG* 20, 1183). Idem Eusebius († 340) Evangelia divisit in sectiones, has collegit in decem *canones*, quibus facile dignosci possit, quid proprium unusquisque evangelista scripserit, quid commune cum aliis. Hi canones a S. Hieronymo versi latine, transierunt in Vulgatae codices. Cf. *PL* 29,531; *PG* 22,1275; critica editio desideratur.

Art. 5. — Historia textus impressi

52. Cum recensio textus antiochena, seu forma quam appellavimus α, aetate media per totum imperium byzantinum diffusa fuerit et innumeris codicibus propagata, hinc factum est, ut inventa arte typographica ipsi illi codices byzantini, ut maxime parabiles et lectu faciliores, typis exprimerentur.

N. T. graece primus edidit Erasmus Roterodamensis, et quidem quinquies, Basileae 1516-1535. Eius textum leviter retractatum secutae sunt quattuor editiones Roberti Stephani (Parisiis 1546, '49-50; Genevae 1551; cf. p. 5), unde suum hauserunt Elzevieri fratres (Lugduni Batavorum et Amstelodami septies 1624-1678), quem tanquam « textum ab omnibus receptum » venditarunt (praef. ed. secundae 1633, unde huic formae textus illud nomen adhaesit). Ab his editionibus et Complutensi paulo meliori (in Polyglottis; cf. n. 34) pendent ceterae omnes N. T. editiones usque ad saec. xix.

In saec. xviii plures magni nominis editiones emissae sunt, eatenus criticae, quod textui recepto magnam copiam variantum lectionum e variis fontibus subiecerunt: Joh. Millii (Oxonii 1707), Jac. Westenii (Amstelodami 1751), Joh. Jac. Griesbach (Halae 1774 ss.; 1796; Lipsiae 1805); Chr. Fr. Matthaei (Rigae 1782 ss.). Accessit ad hanc edendi rationem ampliori codicum subsidio catholicus Joh. M. Scholz (Lipsiae 1830).

53. Novam aetatem inchoavit Car. Lachmann duplici de causa, tum quod ad criticam N. T. ea principia adhibuit, quae in litteris profanis iamdiu doctorum calculo et experientia probata erant, ut antiquissimos codices et Vulgatam latinam, quae codicis iv saec. locum teneret, sequeretur; tum quod textum ad ea principia reformatum non in apparatu recondidit, ut antea fieri solebat, sed in ipso corpore impressit (Berolini 1831).

Nominandus cum honore apud anglos Sam. Tregelles, cuius editio (1857-1872) suo tempore de sacris studiis egregie meruit. At omnes qui in saec. xix Novo Test. curam impenderunt longe superavit Const. Tischendorf, tum conquirendis, praesertim in Oriente, codicibus, iisdemque evulgandis, tum editionibus cudendis. Editiones ipse suas, ad 24 numero, ad octo genera revocavit, quae quinque diversas exhibent recensiones textus. In primis (Lipsiae 1841, Parisiis 1842) ad textum Lachmannianum maxime accedit. In duabus sequentibus (Lipsiensi secunda 1849, et septima critica

Lips. 1859) ad textum receptum magis ac magis redit; in ultima denique (octava critica maiore, Lips. 1869-1872, cuius *Prolegomena* post Tischendorfii mortem conscripsit eius discipulus Gregory) detecto interim ab ipso Tisch. codice sinaitico, eique potissimum superstructa editione, a recepto maxime recedit.

54. Post 30 fere annorum praeparationem, Londini anno 1881 sq. B. F. WESTCOTT et J. H. HORT coniuncta opera textum N. T. ediderunt, nullo fere apparatu critico, ad leges restitutum, quas late exposuere in 2 vol. (contraxit Hort apud Gregory *Proleg.* p. 199 ss.). Quatuor codicum familias distinguunt: 1. neutralem (B); 2. alexandrinam ad priorem accedentem; 3. occidentalem (D); 4. syram, omnium recentissimam ac minimi pretii. Primam sequuntur, perraro ab ℵ B recedentes.

B. WEISS in textu constituendo (plures edd., 1892 ss.) exegesim potissimum ducem habet, ab optimis codicibus B et sociis non multum deflectit. Ex ed. Tischendorf, Westcott-Hort, Weiss, plurium consensum secutus, textum in scholarum usum selegit Eb. NESTLE (Stuttgart, 1898 et deinceps). Similes editiones manuales emiserunt catholici BRANDSCHEID (Freiburg i. B. 1893), HETZENAUER, (Innsbruck, 1892-1900), Vulgatae latinae multum tribuentes; Bodin (Parisiis², 1918) codicem B plerumque secutus; recentius J.H.VOGELS (Düsseldorf², 1922 sq.) propriis vestigiis insistens, cum delectu lectionum, praesertim e versionibus antiquis, latinis et syris. Similiter, cum paulo ampliore apparatu, A. MERK (Roma, 1932).

55. Denique rem omnem a fundamentis iterum versans, praedecessores omnes magnitudine operis longe superavit HERMANN VON SODEN, *Die Schriften des N. T. in ihrer ältesten erreichbaren Textgestalt hergestellt;* 4 voll. Berlin-Göttingen, 1902-1913; editio minor 1913. Examinatis fere 1900 codicibus, quos nova ratione signavit (n. **41**), omnes revocavit ad tres *recensiones*, quas putat, eiusdem textus inter saec. III et IV factas: H aegytiacam (Hesychii), I palaestinensem (Ierusalem), K lucianeam (κοινή); I et K subdividit in multas familias. Textum his praeiacentem (I-H-K) eruit ex consensu recensionum duarum contra unam, nisi cum duabus faciat locus parallelus (harmonistica); Tatiani lectionem,

utpote suspectam (n. **50**), vix unquam admittit. In apparatu lectiones affert per recensiones et familias. Totum opus, licet copia rerum ditissimum et assidua manu versandum, cum tamen non paucis nec levibus vitiis laboret (1), cum cautela adhibendum erit.

Historia igitur textus impressi e dictis ita compendio exhiberi potest. Textus, qui antiochenae seu byzantinae recensioni (α) ferme respondet, saeculo XVI efformatur ac propagatur, saec. XVII confirmatur et *textus receptus* evadit, saec. XVIII incipit oppugnari per lectiones meliores in apparatu reconditas, in saec. XIX exturbatur ab ipso corpore librorum, relegatur in apparatum, saec. demum XX sepelitur « nullo luctu, nulla spe reditus » (Gregory); in eius locum recipitur hodie apud doctos, in minoribus interdum inter se pugnantes, in summa concordes, textus qui ad antiquissimos codices ℵ B et Vulgatam latinam proxime accedit (forma β).

Cf., praeter opera generalia superius, n. 36, citata, Ed. REUSS, *Bibliotheca N. T. graeci*, Brunsvigae 1872; S. P. TREGELLES, *An Account of the printed Text of the Greek N. T.*, London 1854; M. GOGUEL, *Le texte et les éditions du N. T. grec*, in *Rev. hist. des rel.* 82 (1920), 1-73.

ART. 6. — De auctoritate critica textus N. T.

56. Variantes lectiones, quae ex immensa turba testium N. T. collectae sunt, ad 200 millia plus minus (2) computantur, adeoque plures sunt quam ipsa verba quibus textus N. T. constat (3). Quaeritur, quid valeat textus tanta varietate obsitus.

Ad hanc quaestionem solvendam, perpendantur primum haec:

1. Plerumque circa unum idemque verbum aut locutionem plures existunt diversae lectiones; quo fit ut nihilominus longe maior

---

(1) Praecipua sunt, quod recensionem I non recte constituerit, quod K faciat independentem ab I et H, quod Tatiani textum non sincerum adhibuerit, eiusque influxum exaggeraverit; quod collationes codicum neque accurate institutae, nec semper recte notatae sint. Cf. *Rev. bibl.*, 1913, 481-524; *Rech. sciences relig.* 5 (1914), 459-472; *Theol. Rev.* 13 (1914), 97-129; *Biblica* 4 (1923), 180-189.

(2) A. DURAND, *Le texte du Nouveau Testament* in *Etudes*, 126 [1911, 1], 289; A. POTT, *Der Text des N. T.*[2], Leipzig, 1919, p. 10.

(3) Vocabula N. T. in textu recepto vix pertingunt ad 150 millia; in textu critice emendato sunt pauciora.

pars textus summa omnium testium concordia sine ulla varietate uniformiter tradatur (1).

2. Ipsae variantes lectiones maximam partem consistunt vel in meris scribarum mendis, vel in grammaticalibus aut syntacticis differentiis, vel in vocabulis synonymis, vel in ordine verborum mutato, quae accidentia sensum nullo modo tangunt.

3. His demptis, variationes quae sensum afficiunt vix ducentae remanent, et ex his magni momenti sunt circiter quindecim (2).

4. Nulla veritas dogmatica perit, nulla additur per has variantes, adeo ut sacrum revelationis depositum in quocumque casu sit semper in tuto collocatum.

His positis dico: 1) Illa ipsa multitudo testium, unde sylva lectionum variantium provenit, textui N. T. tantam certitudinem confert, quantam nullus alius liber ab antiquitate nobis traditus ostentare potest.

2) Ope artis criticae his testimoniis apte admotae, loci, in quibus dubia manere potest genuina lectio sacrorum auctorum, ad perpaucos reducuntur.

3) Itaque textus N. T. ad nos pervenit non tantum in substantia integer, sed *etiam in accidentalibus maxima ex parte certus.*

Enimvero: 1° Quo maior est multitudo, varietas et independentia tot testium, eo maiorem auctoritatem affert iis, in quibus concordant (suntque, ut diximus, longe maior pars N. T.); in iis vero, in quibus dissentiunt, eo plura et validiora subsidia praebet, quibus vera ac genuina lectio discerni possit. Itaque in hac re singularis prorsus est Novi T. praerogativa, quia sub hoc respectu nullus cum eo liber antiquitatis comparari potest (3). Omnes enim alii libri tum profani tum etiam ecclesiastici paucis codici-

---

(1) Iudicibus anglis editoribus Westcott et Hort (vol. 2, p. 2) ex octo partibus textus septem ab omnibus admittuntur et extra omne dubium sunt positae.

(2) Praeter pericopas, de quibus lib. 1, n. **62** s. praecipuae sunt: Mc. 1, 1 (± filii Dei); Lc. 22, 19, 20 (ordo actionis in Coena Domini); Ioh. 5, 3. 4 (de angelo in piscinam descendente); Act. 16, 17 (± Iesu); Rom. 5, 14 (± μη); 1 Cor. 15, 51 (de morientibus et resurgentibus); 1 Tim. 3, 16 (θεὸς, ὅς, ὁ).

(3) Cf. A. Durand, l. c. 290; Kenyon. *Handbook*[2]. p. 3-5. Ad Novi T. conditionem accedit, sed longo intervallo, solum Veteris Test. sive textus originalis, sive alexandrina versio.

bus iisque iunioribus, nullis versionibus antiquis (si perpaucos excipias), vix ullis antiquorum citationibus traditi sunt.

2° E principiis criticae putant editores angli (Westcott-Hort, 2, p. 2), locos, ubi dubium manere potest de vera lectione, efficere partem totius textus sexagesimam; ex his eos, ubi varietas tangit substantiam sensus, vix esse partem textus millesimam. Nec dubium, quin progressu critices huiusmodi parva quantitas ulterius reduci possit.

Confirmantur haec ipsa experientia. Nam in ultimo saeculo praeterlapso tot editores critici diversas vias ingressi, diversis saepe principiis innixi, tandem ad constitutionem textus admodum similis pervenerunt (cf. n. **54** ss.). Itaque multo potiore iure confidere nunc possumus, nos ipsa s. scriptorum verba possidere, quam cum textus receptus dominabatur.

PARS II

DE VERSIONIBUS

57. Antiquarum versionum cognitio multum confert tum ad exegesim tum ad criticam textus. Ad exegesim quidem, quia nobis praebent probabilem de recto verborum sensu traditionem. Ad criticam vero eo quod nobis tenent locum antiqui codicis iamdiu deperditi. Accidit enim ut versiones, praesertim in V. T., codicibus nunc exstantibus longe sint aetate maiores. Praeterea possunt plerumque determinari cum quadam certitudine tempus et locus, quibus originem duxerint, quo fit ut ad historiam textus summum afferant momentum. Itaque hic nobis sunt sub aspectu critico diligenter considerandae.

CAPUT I

De versione graeca Veteris Testamenti

58. Omnes versiones antiquitate et pondere in re critica longe superat ea, quae a Septuaginta interpretibus appellari solet. Historia externa est illi bona ex parte cum Novo Testamento communis, immo non raro iisdem codicibus ad nos usque tradita est. Quare, quae diximus supra de forma librorum atque scripturae N. T., huc quoque faciunt. Ob connexionem vero aliarum versionum graecarum cum LXX, de illis hic agemus (art. 5).

Bibliographia. — *In genere* praeter articulos in Lexicis Biblicis: H. B. Swete, *An Introduction to the Old Test. in Greek* (1), Cambridge, 1902 (2 ed. a R. R. Ottley recognita, New York 1914), *Const. Oikonomos, περὶ τῶν ὁ ἑρμηνευτῶν, 4 vol., Athenis, 1844-1849 (neograece); *Frankel, *Vorstudien zu der LXX*, Leipzig, 1841; E. Nestle, *Septuagintastudien* I-V, Ulm 1886 – Stuttgart 1907; *Humphr. Hodii, *De Bibliorum textibus originalibus*, Oxonii, 1705; *R. R. Ottley, *A Hand-book to the Septuagint*, New York s. a. (1920).

Ad criticam: P. de Lagarde, *Septuagintastudien*, Göttingen, 1891-92; A. Rahlfs, *Septuagintastudien*, ib., 1904-1911. Cf. alia n. **70**. A. Ceriani, *Le recensioni dei LXX*, in *Rendiconti R. Istit. Lombardo*, 19-21 (1883-84);

(1) Solo nomine Swete in hoc libro citatur hoc opus.

* O. Procksch, *Studien zur Geschichte der Septuaginta*, Leipzig. 1910, de quo cf. *Biblica* 1 (1920), 544; A. Vaccari, *Codex Melphictensis rescriptus*, Romae 1918, 43 ss.; Nickes, *De Vet. Test. codicum familiis*, Münster 1853; *Moore in *Amer. Journ. sem. Lang.*, 29 (1912), 37-62; *Margolis in *Jew. Quart. Rev.* n. s. 1 (1910-11), 259-273; *Wiener in *Bibl. sacra* 70, p. 498, 669; 71, 80; alia apud Swete, p. 496 sq.; in *Zeits. alt. Wiss.*, 3, 219; 4, 1; 10, 241; 13, 1; 14, 1; 22, 8; 27, 212; 32, 81. 161. 241.

Ad philologiam: *L. F. Schleusner, *Novus thesaurus philologico-criticus sive Lexicon in LXX*, 5 vol., Lipsiae, 1820-21 – Glasgow, 1828 Hatch and Redpath, *A Concordance to the Septuagint*, 2 vol. cum Suppl. Oxford, 1897. Adhuc utiles sunt etiam vetustiores *Concordantiae* concinnatae a C. Kircher, Francofurti 1607, et ab A. Trommio, Amstelodami, 1718. *H. Thackeray, *A Grammar of the Old Test. in Greek*, vol. 1, Cambridge 1909; *R. Helbing, *Grammatik der Septuaginta*, Göttingen, 1907; R. Helbing, *Die Kasussyntax der Verba bei den Sept.* id. 1928; *Korsynski, *Perevod LXX*, Mosca 1897; *A. Deissmann, *Bibelstudien*, Marburg 1895; *Bible Studies*, Edinburgh 1901; *J. Reider, *Prolegomena to a Greek — Hebrew a. Hebrew – Greek Index to Aquila*, Philadelphia 1916.

Art. 1. — De codicibus

59. Codices nunc exstantes amplissime et optime descripti nunc habentur ab Alfr. Rahlfs, *Verzeichniss der griech. Handschriften des Alten Testaments*, Berlin 1914. Sunt ad 1534 numero, necdum omnes cogniti, nedum collati. Designantur simili modo ac codices Novi Testamenti, unciales praecipui litteris latinis maiusculis, ceteri numeris arabicis (1), nisi quod hic constantius singuli codices una eademque nota sibi propria designantur.

Codices unciales, qui utrumque Testamentum complectuntur, eadem littera designantur ac in Novo, excepto codice Sinaitico, qui hic commodius littera initiali S indicatur.

Codices multi collati habentur in editionibus Oxoniensi (1798-1827) et Cantabrigensi 1906-1927), de quibus cf. **70**.

Versiones in rem praesentem considerandae veniunt praesertim copticae, latinae veteres, aethiopica, syriaca hexaplaris, de quibus cf. interim tabulam n. **17**. Plura inferius suo loco.

De *citationibus Patrum* eaedem cautelae adhibendae erunt, quas supra diximus de N. T. Hic accedunt citationes passim obviae tum in ipso Novo Testamento, tum apud Iudaeos hellenistas, in primis Philonem.

(1) Pro minusculis iam ab Holmesio collatis (cf. infra n. **70**) Rahlfs retinuit Holmesii numeros; pro uncialibus vero numeris Holmesii romanis substituit litteras maiusculas alphabeti latini a Paulo de Lagarde introductas (cf. ibid.).

Damus hic elenchum praecipuorum codicum (praeter principes A. B. C. S. quos habes descriptos n. **42**) cum utraque notatione, et Rahlfs et Cantabrigensium (Br. McL.; cf. n. **70**).

Codices LXX selecti

RAHLFS	BR. MC L.	NOMEN	SAEC.	EST NUNC	CONTINET
F	F	Ambrosianus	V	Mediolani	Octat.
G	G	Colberto-Sarravianus	V	Paris. Leid. Petropoli	Octat.
K	K	Lipsiensis	VII	Lipsiae	Oct.
M	M	Coislinianus	VII	Paris.	Gen-Reg.
Q	—	Marchalianus	VII	Vaticana	Proph.
R	—	Veronensis	VI	Verona	Ps.
V (1)	N	Basilianus	VIII	Vaticana	Lev-Ester
	—	Venetus	VIII	Marciana	Iob-Mac.
W	Θ	Freer	V	Washington	Dt. Jos.
Z	Z	Zuqninensis	VI	Vatic., Londini	Iud. Reg.
19	b′	—	XII	Vaticana	Gen-Macc.
22	—	—	XI	Londini	Proph.
36	—	—	XI	Vaticana	Proph.
52	e	—	XIV	Florentia	Gen-Macc.
53	f	—	XV	Parisiis	Octat.
54	g	—	XIV	»	»
56	i	—	XI	»	Gen-Macc.
57	j	—	XI	Vatic.	Octat.
59	l	—	XV	Glasguae	»
75	n	—	XII	Oxford	»
82	o	—	XII	Paris	Gen-Reg.
86	—	Barberinus	XI	Vatic.	Proph.
87	—	—	X	Vatic.	Proph.
88	—	Chisianus	X	Vatic.	Proph. maj.
93	e_2	—	XIII	Londini	Ruth-Macc.
106	p	—	XIV	Ferrara	Biblia
108	*b*	—	XIII	Vaticana	Gen-Tob.
121	y	—	X	Venetiis	Gen-Esdr.
129	r	—	XI	Vaticana	Octat.
198	—	—	XII	Parisiis	Proph.
247	x	—	XII	Vaticana	1-4 Reg.
248	—	—	XIII	»	Prov-Judith
253	—	—	XI	»	Job-Eccli.
314	w	—	XIII	Athenis	Gen.-Tob.
376	c	—	XV	Escorial	Gen-2 Reg.
426	x	—	XI	Londini	Octat.
509	E. a_2	—	IX-X	Ox. Lond. Petr.	Gen-3 Reg.
1219	—	Freer	V	Washington	Ps.

(1) Unus Codex in duas partes discerptus uno siglo donatur.

Art. 2. — De origine versionis

60. Antiquissimi testes de origine huius versionis sunt: 1. *Epistola Pseudo-Aristeae*. 2. Aristobulus Iudaeus philosophus; 3. Nepos Iesu filii Sirach (in prologo Ecclesiastici a se graece versi); et 4. Philo, *de Vita Moysis*. 2, 5-7.

Narrat fictus Aristeas, Ptolemaeo Philadelpho (285-247) rogante, fuisse Hierosolymis Alexandriam missos 72 viros legis et linguarum peritos, qui regiis expensis in insula Pharo conlata opera totum Pentateuchum intra 72 dies graece verterunt. Similia tradunt, vel supponunt, Aristobulus et Philo. Auctor prologi in Eccli. innuit iam sub Ptolemaeo Evergete plerosque saltem V. T. libros fuisse graece redditos.

Cf. *Aristeae ad Philocratem Epistula cum ceteris de origine versionis LXX interpretum testimoniis... edidit* P. Wendland, Lipsiae 1900; Humphredi Hodii, *De Bibliorum textibus originalibus, versionibus graecis et lat. Vulg.*, lib. I et II; H. Thackeray in Swete, Appendix; id. *The letter of Aristeas. Translated with appendix of ancient evidence on the origin of the Septuagint*, London, 1917; R. Tramontano, *La lettera di Aristea a Filocrate*. Introduzione, testo, versione e commento, Napoli 1931. Aliae versiones cum notis: anglica in Charles, *Pseudepigrapha*, p. 33; germanica in Kautzsch, *Pseudepigraphen*, p. 1 (cf. supra p. 147).

Textum Aristobuli habes apud Eusebium Caesariensem, *Praep. Evang.*, 13, 12, initio (in *PG* 21, 1907), et Wendland, p. 124; Philonis item in Wendland, p. 90, et *Opera* ed. Cohn 4 (Berlin 1902), 206-210.

Ex his documentis et examine ipsius versionis intrinseco haec statui possunt:

1. Pentateuchus versus est graece Alexandriae sub Ptolemaeo Philadelpho (285-247 a. C.), probabiliter circa annum 250 a. C.

2. Ceteri libri versi sunt paulatim successive a variis interpretibus.

3. Circa annum 130 a. C. plerique saltem libri, si non omnes, iam graece versi erant. Finem vertendi possumus ponere circa annum 100 a. C.

Ad 1. Epistola Aristeae, licet authentica non sit, tamen vulgata est et habita fide digna saec. II a. Chr., quod fieri non potuit si nullo fundamento niteretur eius narratio. Nec contra substantiam facti (h. e. versum fuisse Pentateuchum sub Philadelpho) ullum militat solidum argumentum. Demetrius Iudaeus, qui sub Ptolemaeo IV (222-205 a. Chr.) floruit, iam videtur usus fuisse hac versione (cf. Clem. Alex., *Strom.* I, 21, n. 141; *PG* 8, 877 B).

Numerus utique interpretum (72, h. e. sex e singulis 12 tribus), unde nomen *Septuaginta* illi adhaesit, fictus est et artificiosus.

Ad 2. Probatur e varia indole versionis in variis libris; de qua fusius paulo infra.

Nuper J. HERRMANN et F. BAUMGÄRTEL (*Beiträge zur Entstehungsgeschichte der Septuaginta*, Berlin 1923) ex eo quod complures libri, prophetarum imprimis, rationibus internis videntur singuli a duobus interpretibus versi graece, confici posse existimarunt, opus vertendi publico fuisse consilio simul pluribus demandatum, singulis singulos libros vel libri partes, et eatenus narrationem Aristeae de 72 missis ab Eleazaro, summo sacerdote, qui conlata opera Pentateuchum verterent, veritati respondere. Argumenta allata rem non videntur evincere.

Ad 3. Ptolemaeus Evergetes, de quo in prologo Ecclesiastici, e communiore et probabiliore sententia est Evergetes II (171-117); quod si esset Evergetes I (247-222), a fortiori valent quae dicimus.

Autumat FR. WUTZ (*Die ursprüngliche Septuaginta*, in *Theol. Blätter*, 2 [1923], 111-116; *Die Psalmen textkritisch untersucht*, München, 1925, cf. supra n. **27** nota 2), LXX vertisse e textu hebraico litteris graecis transcripto. Argumenta vero quae affert, speciosa magis quam solida sunt.

Praecipua sunt:

1. Falsae quaedam versiones in LXX facillime explicantur in hac hypothesi, eo quod, cum graecum alphabetum nequeat sonos hebraicae linguae apte repraesentare, unum vocabulum cum alio simili confusum est; v. gr. Jer. 31, 5 (hebr. 48, 5) מַעֲלֶה (ascensio), LXX επλησθη h. e. μαλῆ tanquam a מָלֵא; Ps. 9, 29 (hebr. 10, 8) pro חֲצֵרִים (septis) vertunt « divitibus » h. e. ασηρειμ ac si esset a עֲשִׁירִים.

2. In LXX versione exstant communia quaedam vocabula hebraica transcripta, non versa (ut 1 Par. 4, 22 αβεδηρειν αθωκιειμ, Vulg. « verba vetera »), interdum simul versa et transcripta (ut 1 Reg. 5, 4 τα εμπροσθια αμαφεθ). Illud prius inde explicatur, quod ea vocabula, cum essent corrupta in transcriptione graeca, iam non intellegebantur; alterum inde quod interpres, minus certus de sua versione, simul vocabuli transcriptionem servavit.

3. Ipsa Aristeae epistola mentionem facit transcriptionis (μεταγραφη, n. 45, 46) ad opus interpretationis (n. 15).

At exempla allata planiorem explicationem habent: Jer. 31, 5 ex errore auditionis (cf. n. 140) aut omissionis in ipso textu hebraico; Ps. 9, 29 interpres legit *ḥarusīm* (cf. Prov. 12, 24 apud FIELD, *Origenis Hexapl.*); 1 Par. 4, 22 confusa sunt bet et dalet ex antiqua scriptura hebraica (n. 12); hinc in sylva nominum propriorum (1 Par. 1-9) ea vocabula sumpta sunt ut nomina propria. In casibus ut 1 Reg. 5, 4 constat aut versionem additam fuisse posterius, aut transcriptionem irrepsisse e margine in textum. Ad Epistolam Aristeae quod attinet, μεταγραφη (uti « translatio ») significat etiam *versionem* (cf. ibi n. 307).

Contra est 1) quod ex historia constat, Hebraeos solitos fuisse potius alienam linguam patriis litteris scribere; 2) quod in ipsis exemplis a Wutz allatis frequentissime errores interveniunt e confusione similium litterarum hebraicarum, perraro autem e confusione propria graecae scripturae, ut inter A Δ Λ etc.

Cf. J. Fischer, *Zur LXX-Vorlage im Pentateuch*, Giessen 1926; *M. Margolis, in *Jewish Quart. Rev.* new ser. 16 [1925-26], 117-125; Fr. Schmidtke, *Die neue Septuaginta-Theorie* in *Theol. u. Gloube* 17 (1925), 628-639; Fr. Stummer, *Neue Bahnen in der altt. Textkritik?* in *Bonner Zeits. f. Theol. u. Sorge* 1926, 101-117. Alia in *Biblica* 1926 p. 14*; 1927 p. 28*; 1928 p. 29*.

Art. 3. — De indole versionis

61. Huius graecae versionis non eadem est indoles in omnibus libris, non par bonitas. Si spectatur *adhaesio ad textum* originarium, servilis est versio in Cantico et Ecclesiaste; litteralis plerumque in Psalmis et in prophetis, excepto Daniele; fidelis in Pentateucho et libris historicis; libera in Iob, Proverbiis, Daniele, partim Esther.

Si spectetur *graecitas sermonis*, optimi sunt (praeter Sap. et 2 Mach. quorum lingua originalis est graeca) Iob et Prov.; mediocres Pentat., Ios., Isaias, 1 Mac.; infra mediocritatem ceteri.

Si spectetur denique *intellegentia textus* eminet Pentateuchus; infimi sunt Isaias et prophetae minores; infimis accedunt Iob, Prov.; mediocres ceteri.

Diversitates a textu masoretico, quae quidem interpreti sint tribuendae (de aliis cf. supra n. **21**), hae praecipue notandae:

In Iob, omissis hic illic paucis versibus, deerat sexta fere pars; cf. Origenis, *Ep. ad Afric.*, 4 (*PG* 11, 56) et Hieron., *Praef. in Iob;* Ciasca, *Sacr. Bibl. fragmenta copto-sahidica* 2, p. xx sqq. Hi tamen vv. in codicibus exstantibus plus minus suppleti sunt.

In Prov. habentur hic illic quaedam amplificationes et additiones ad textum hebraicum. Cf. Mezzacasa, *Il libro dei Proverbi*, Roma 1913; *Müller-Kautzsch, *Proverbs*, Appendix (in *Sacred books of the O. T.*; cf. n. **34**).

Danielis versio tantopere ab originali discrepabat, ut ab Ecclesia practice fuerit reiecta, eiusque in locum versio Theodotionis adscita iam saec. iii vel iv (cf. Hieron., *Praef. in Dan.*); adeo ut illa (LXX) uno codice Chisiano R VII 45 (Rahlfs 88; cf. tab. 4) ad nos tradita fuerit.

Art. 4. — Conditio versionis saec. I p. C.

62. Varia indicia ostendunt versionem alexandrinam saec. I p. C. iam a sua primaeva sinceritate descivisse. Notandum in primis, quod videtur in Asia minore fuisse retractata ad textum hebraicum atque eam formam induisse, quae postmodum nobis sese offert apud Theodotionem et Lucianum (n. **63. 67**). Testes sunt citationes apud Philonem, s. scriptores N. T., Iosephum occurrentes.

De citationibus Philonis cf. Siegfried, in *Zeits. f. wiss. Theol.* 16 (1873), p. 217, 411, 522; Ryle, *Philo and Holy Scripture;* Swete, p. 374-376, quae nunc emendanda hic illic sunt ex editione critica curata a Cohn et Wendland (Berolini 1896-1926, 7 voll.).

Multo maius momentum habent citationes quae habentur in scriptis Novi Testamenti. Cf. Swete, p. 381-405; *Dittmar, *Vetus T. in Novo;* *W. Staerk, *Zeits. f. wiss. Theol.* 35 (1892), p. 464; 36 (1893), p. 70; 38 (1895) p. 218; 40 (1897), p. 265 sq. (conclusiones); L. Venard, *Citations de l'A. T. dans le N. T.* in Diction. de la Bible, *Supplément* II, 23-51.

Duplex classis scriptorum N. T. distingui potest in citationibus ex V. T.: 1. Sequuntur versionem LXX: Lucas, Iohannes in Evang., Ep. Catholicae, Ep. ad Hebr. – 2. Ad textum hebraicum respiciunt et sensum liberius reddunt Matth., Paulus in 13 Epistolis, Iohannes in Apoc.

Ubi habetur in LXX varia lectio, script. N. T. stant saepe cum codicibus plerisque contra B: v. g. Deut. 6, 4, 5 in Mat. 22, 37 synopt.; Ex. 3, 2 in Act. 7, 30; Deut. 17, 6 in 2 Cor. 13, 1; Prov. 3, 12 in Heb. 12, 6; Is. 22, 22 in Ap. 3, 7. Tamen est advertendum, codices non raro fuisse ad textum LXX interpretum conformatos; interdum e contrario.

Ad Dan. alluditur saepe iis verbis quae concordant cum Theodotione contra LXX; v. g. 6, 23 in Heb. 11, 33; 12, 12 in Iac. 1, 12; 7, 13 in Ap. 1, 7. Cf. Bludau, *Die alex. Uebers. d. B. Dan.*, p. 14 sq.

Aliae citationes quae ad Theodotionem accedunt in aliis libris sunt Zach. 12, 10 in Ioh. 19, 37; Ap. 1, 7 (ἐξεκέντησαν); Is. 25, 8 in I Cor. 15, 55 κατεπόθη... εἰσ νῖκοσ. Sed cf. Rahlfs in *Zeits. neut. Wiss.* 20 (1921), 182-190.

De usu LXX in operibus Iosephi Flavii cf. A. Mez, *Die Bibel des Iosephus;* A. Rahlfs, *Septuaginta-Studien*, 3 Heft, p. 80-111; H. Thackeray, *Josephus: the Man and the Historian*, N. G. 1929, Loctaire IV.

Art. 5. — De aliis versionibus graecis saec. II p. C.

63. Cum adverterent Iudaei hellenistae, versionem alexandrinam (LXX) a textu hebraico tum communi (fere masoretico) saepe discedere, novas versiones, quae hunc textum melius representarent, adornandas curarunt, tum ut in synagogis libros sacros ex eis praelegerent, tum quia Christiani in disputationibus de religione LXX interpretum versione maxime nitebantur.

De his versionibus egregie disputavit F. Field in Prolegomenis ad opus *Origenis Hexaplorum quae supersunt.* tom. I, p. XVI-XLVI; quo in opere fragmenta omnia collegit earum versionum, quotquot suo tempore in bibliothecis Europae inveniri poterant (editum est opus anno 1875). Cf. praeterea Swete, cap. II, p. 29-56 (1).

Tres sunt integrae, factae ab Aquila (circa ann. 140), Symmacho (anno 200 circ.) et Theodotione (circa ann. 180), « alio (Aquila) nitente verbum de verbo exprimere, alio (Symm.) sensum potius sequi, tertio non multum a veteribus discrepare »; quibus S. Hieronymi verbis (*PL* 27, 223) egregie depingitur indoles uniuscuiusque versionis.

Nempe Aquila adeo est litteralis, ut versioni interlineari aequivaleat; cf. soloecismos ut Gen. 1, 1 ἐν κεφαλαίῳ ἔκτισεν ὁ θεὸς σὺν τὸν οὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν (συν pro hebr. אֵת); Gen. 5, 5 Adam vixit ἐννακόσια ἔτος καὶ τριάκοντα ἔτος. Symmachus e contrario est aliquantulum liber et graecam elegantiam sectatur; cf. Field, p. XXXI ss. Theodotio mediocris est, et LXX adeo similis, ut fere dici possit, eorum quodammodo retractasse versionem.

Tres sunt partiales (in proph. min. et libris poeticis) et anonymae « auctoritatem sine nomine consecutae » sunt (Hier., *Comm. in Tit.* 3, 9; *PL* 26, 630 fin.); hinc distinctae numero et appellatae *quinta*, *sexta*, *septima*.

De versione graeca e Pentateucho *samaritano* praeter dicta n. **22**. cf. * Sam. Cohn, *Samareitikon und Septuaginta.* (in « Monats. f. Gesch. u. Wiss. d. Judent. » 38 [1894] 1-7 49-67); Glaue u. Rahlfs, *Fragmente einer griech. Übers. des sam. Pentat.* (=Mitteil. d. LXX-Untern. 2). Berlin 1911.

Art. 6. — De curis origenianis

64. *Scopus* Origenis in emendando V. T. graeco (c. 240), ipso narrante *Ep. ad Afr.* 5 (*PG* 11, 60 sq.) et *in Matt.* 15, 14 (*PG* 13, 1293), duplex fuit, uterque practicus: 1. Ponere ob oculos Christianorum, cum Iudaeis disputantium, quid esset in textu hebraico, quid non. 2. Tradere Ecclesiae textum graecum *uniformem*, sublata diversitate lectionum quae tum aderat in codicibus (2).

---

(1) Huc non pertinet versio, quae a codice autographo Venetiis, Marc. gr. 7, asservato, *graeca veneta* dicitur (Swete p. 56); nam eius auctorem Ioh. Mercati probavit esse *Simonem Atʰumanum*, Thebarum Archiepiscopum, anno c. 1385; cfr. *Rev. bibl.* 1916, 510-526; *Studi e Testi* 30, Roma 1916.

(2) De Origene eiusque operibus plura infra, lib. IV, n. 7 s.; cf. in rem praesentem Bardenhewer, *Geschichte d. altkirchl Lit.*² 2, 112-119.

Quid effecerit docemur: 1. Testimoniis Eusebii Caes. (*HE* 6, 16; *PG* 20, 556 sq.) et S. Hieronymi (*Comm. in Tit.* 3, 9; *PL* 26, 630); 2. Fragmentis antiquorum codicum: Mediolanensis (MERCATI, *Un palimpsesto ambrosiano dei Salmi Esapli;* cf. SWETE, p. 62); Cairensis (TAYLOR, *Cairo Geniza Palimpsests*, p. 2-12); Barberiniani 549 (olim V. 45; cf. SWETE, p. 166 sub n. 86; RAHLFS, *Verzeichniss* p. 239) ad Os. 11, 1 (cf. et CORNELY, p. 360).

Nempe in *Hexaplis* per *sex* columnas sibi respondentes scripsit: 1. Textum hebraicum litteris hebraicis; 2. eundem litteris graecis; 3. Aquilam; 4. Symmachum; 5. LXX; 6. Theodotionem.

In *Tetraplis* solas versiones graecas eodem ordine, omisso textu hebraico.

Heptapla vocantur (ad 4 Reg. 16, 2) ipsa Hexapla quatenus, addita 5ª editione, una columna auctiora sunt. *Octaplorum* nomen occurrit in Iob (5, 23; 6, 28,) et in Psalterio, in quo cum, testibus Eusebio et Hieronymo, praeter usitatas adfuerint tres aliae editiones, dicendum unius var. lectiones appositas fuisse columnae alterius (probab. 6^{ae} ad 5^{am}).

Sic explica notam criticam ipsius Origenis, quam illustravit G. MERCATI, *Note di letteratura biblica e cristiana antica* (« Studi e Testi » 5), p. 29; cf. *Zeits. altt. Wiss.* 26 (1906), 168; et quod in palimpsesto ambrosiano (SWETE, p. 62) ultimae columnae (reapse 5ª ed., non Theodot.) apponuntur var. lect. alterius versionis (6^{ae}).

Speciali attentione digna est 5 columna, in qua posuit LXX versionem a se recensitam (1); quam recensionem quibus criteriis instituerit, nobis tradit ipse Origenes in Matt. l. c.

Dissonantiam inter LXX et TM hoc modo sustulit:

Plus (in LXX): verba redundantia signavit *obelo* (÷ vel ⸗);

Minus: deficientia addidit ex aliis columnis (plerumque Theodotione) et notavit *asterisco.* Finem utriusque generis verborum indicavit *metobelo* (: vel / vel ·/·). Cf. tab. 4.

Ordinem graecum in transpositionibus immutavit ad normam hebraici textus, excepto libro Prov. in quo transposita insignivit obelo simul et asterisco, et numeris indicavit ordinem TM.

Dissonantiam inter codices graecos abstulit « tanquam criterio usus ceteris versionibus; quae cum illis consonabant servavit » in textu (l. c.), rejectis aliis lectionibus.

(1) Ad huiusmodi recensionem adhibuit Origenes textum codici B maxime affinem. Cf. *H. CORNILL, in *Nachrichten kön. Gesells. d. Wiss.* Göttingen 1888, 194-196. Ab hac recensione pro Hexaplis instituta perraro differt lectio Tetraplorum; cf. FIELD, *op. cit.* I, p. XII; contra O. PRETZL in *Biblica* 7 (1926), 359 ss. 9 (1928), 402 s.

Duo sunt *errata* in hoc opere: 1. Hoc ultimum criterium, quod fallax est, si de restitutione primitivi textus agatur (n. **71**, 3) aut certe LXX versionem corruptioni exponit; 2. « Quod maioris audaciae est, in editione LXX Theodotionis editionem miscuit » (HIERON., *Praef. in Paral.*), quae altera causa non minoris corruptionis est, non tam culpa Origenis, qui addita asterisco distinxit, quam quia « scriptorum negligentia, virgulis [= obelis] et asteriscis subtractis, distinctio universa confunditur» (HIERON., *Epist.* 106, 22; *PL* 22,844).

Nihilominus negari nequit, immane hoc opus multum contulisse ad criticam sacram et rectam exegesim promovendam.

ART. 7. — De Hexaplis post Origenem

65. FATA POSTERIORA. — Hexapla ab Origene concinnata ob immensam molem numquam integre transcripta sunt; sed vel pars aliqua tantum, praesertim Psalterium, uti videre est in palimpsestis Mediolanensi et Cairensi, vel, uti plurimum contigit, sola V^a columna, quae continebat LXX versionem e recensione Origenis, transcribebatur. Hanc propagationem V^{ae} columnae hexaplaris, cui favebat summa omnium aestimatio de eius critico valore, plurimum auxit duorum doctorum Caesariensium zelus et industria: Pamphili martyris et Eusebii episcopi. Huic praesertim debentur tum 50 exemplaria totius S. Scripturae in usum Ecclesiarum iubente Constantino confecta (cf. supra p. 232 n.), tum scholia sive critica sive probabiliter etiam exegetica ad marginem librorum descripta. Cf. notas codicis Marchaliani (Q) ante Isaiam et Ezechielem, cod. Sinaitici post Esther in SWETE, p. 75 et *O. T. in Greek* 3, p. VIII, nota 4; TISCHENDORF, *Notitia editionis cod. Sinaitici* p. 122 fin.

Hinc factum est ut Hieronymus diceret (*Ep.* 112 ad August. 19 fin.) « vix unus aut alter inveniatur liber qui ista non habeat » (additamenta hexaplaria; *PL.* 23,928).

CODICES ET VERSIONES. — Codicum origenianorum nunc duo sunt genera: 1. Textum exhibent *cum signis* diacriticis soli duo: Colberto - Sarravianus (= G; cf. **59**) in Heptateucho, et Chisianus

R VII 45 (88) in prophetis (1); 2. *sine signis diacriticis* codd. 376.426 in Heptat. (19. 108 in Iudic.); A. 247 in libris Regum; V. 253 in libris sapientialibus; Q partim in prophetis.

Versiones cum *signis* ad nos pervenerunt: 1. Syro-hexapl. in Gen. Ex. Num. Ios. Iudic. (ed. LAGARDE, *Biblioth. syriaca*, p. 1-186); Ruth, 3. 4 Reg. (ib., p. 186-256); in Pss., libb. sapient., Proph. in codice ambrosiano edito a CERIANI (2); 2. Latina Hieronymi in Iob (ed. in eius opp., t. 10, et LAGARDE, *Mitteilungen* 2, p. 189 sqq.).

Sine signis armeniaca, et latina Hieron. in Pss. (Vulg.; cf. **104**).

FRAGMENTA CETERARUM VERSIONUM tradita sunt: 1. in margine codicum graecorum et syrohexaplaris; 2. in commentariis Patrum. Collecta sunt amplissime a FIELD, *Origenis Hexaplorum quae supersunt*. Post Field edita sunt supplementa: TAYLOR, *Cairo Genizah Palimpsests;* BURKITT, *Fragments of books of Kings according to Aquila;* PITRA, *Analecta sacra*, 3, 551-578; KLOSTERMANN, *Analecta*, p. 47-74; MERCATI, *Frammenti esaplari del Cronichon paschale* (*Rev. bibl.* 1907, p. 81-84); MORIN, *Anecd. Mareds.*, 3, 1, p. 105-108; 3, p. 156-160. Alia latent adhuc in catenis, in codicibus, in commentariis Patrum.

ART. 8. — De recensionibus Hesychii, Luciani, aliis.

66. « Alexandria et Aegyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem; Constantinopolis usque Antiochiam Luciani exemplaria probat; mediae inter has provinciae palaestinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt ». Haec optimus rerum cognitor S. HIERONYMUS scribebat anno 396 (*Praef. in Paral.*), quae ad historiam graecae versionis in saec. IV facem praeferunt.

De Origene, Eusebio et Pamphilo modo vidimus. De Hesychio praeter Hieronymum nullus auctor, nullum documentum quidquam nobis tradidit. Coniicitur is esse Hesychius, quem narrat Eusebius (*Hist. Eccl.* 8, 13) martyrio coronatum in persecutione

(1) Huius imaginem phototypicam damus in tab. 4.

(2) *Codex syro-hexaplaris ambrosianus photolithographice editus* curante et adnotante Sac. Obl. ANTONIO M. CERIANI, Mediolani 1874 (= *Monumenta sacra et profana e codicibus praesertim Bibliothecae Ambrosianae*, tom. VII). Cf. n. **85**.

Diocletiani (circa annum 300?). Incompertum est etiam apud doctos, quibus testibus (codicibus in primis) contineatur eius recensio, proinde quibus proprietatibus gaudeat. Cum tamen verisimile sit ab ea pendere, magna saltem ex parte, tum versiones copticas, tum Patres aegyptios, inprimis alexandrinos, saec. IV et V, his criteriis usi affirmare poterimus, eam esse quaerendam, quod ad historicos quidem libros attinet, in ea quam A. RAHLFS (*Studie über den griech. Text des Buches Ruth*, in *Nachrichten Gesellsch. Wissensch.* Göttingen, 1922, p. 104) vocat « recensionem ignotae originis » et saeculo IV assignat (p. 149), exhibitam codicibus M. V. 29. 121 (1); quod vero ad prophetas attinet, in codicibus Q. 86. 198. 233 et cognatis, uti iam A. CERIANI (*Le recensioni dei LXX*, in *Rendiconti dell'Istituto Lombardo*, 1886, p. 212). Confirmantur haec a lectione quam Hieronymus ad Is. 58, 11 (in commentario) affert ex « alexandrinis exemplaribus » (*PL* 24, 570).

Quae si recte dicta sunt, recensio Hesychii ita breviter describi potest: 1. sumpsit Hesychius emendandum eundem ferme textum atque Origenes;

2. illum ad hebraicum textum conformavit, nunc addendo quae deerant e columnis hexaplaribus, nunc ad ipsum textum hebraicum respiciendo, ad quem proinde non raro accedit propius, quam ipsa quinta columna hexaplaris (Origenis);

3. corrigit interdum independenter a textu originali e rationibus stylisticis et exegeticis (RAHLFS, o. c., p. 108 112; HIERON. in Is., l. c.).

67. De LUCIANO († 311) multo plura novimus ac certiora, praesertim post editam a J. Bidez eius vitam in PHILOSTORGIUS, *Kirchengesch.*, p. 184 ss. (2). Hebraicam linguam dicitur didicisse, ex eaque, adiuvante Dorotheo, emendavit totum V. T. (3).

---

(1) Recensionem Hesychianam putat Rahlfs, cum aliis, inveniri in codice Vaticano B. Verius dicendum videtur, B praebere textum, unde Hesychius suam recensionem instituit, uti iam Origenes suam, ideoque praehexaplarem, non recensitum. Cf. *Biblica* 5 (1924), 395.

(2) De Luciano plura in historia exegeseos, libro IV n. **16.**

(3) PHILOST., p. 187; *Synopsis athanasiana*, n. 77, in MIGNE *PG* 28, 436; EUSEBIUS, *Hist. eccl.* 7, 29. 32; 9, 6; HIERON., *Vir. ill.*, 71; *Ep.* 106, 2. Cf. FIELD, *Orig. Hexapl.* 1, p. LXXXIV-XCII.

Quinàm codices Luciani recensionem exhibeant, his argumentis statui potest: 1. usu Patrum antiochenorum, in primis Chrysostomi et Theodoreti, praesertim in commentariis; 2. in codicibus vel scriptoribus interdum expresse indicatur, quae sit in aliquo loco Luciani lectio. Ita in margine versionis hexaplaris ad Reg. libros, in margine cod. 86 ad prophetas (cf. Field, ib., p. lxxxvii sq.), ad Is. 9, 6, in Isaiae interpretatione Chrysostomo tributa (armeniace Venetiis, 1880, p. 114; latine ibid., 1887, p. 134). Sint ergo lucianei codices illi, quibus eae lectiones sunt propriae.

His criteriis concurrentibus, iamdudum statutum est a doctis viris Luciani recensionem exhiberi in Octateucho cod. K. 54. 59. 75; in libris Regum aliisque historicis codd. 19. 82. 93. 108; in prophetis codd. V. Z. 22. 36. 48. 51. 231 (1).

Ex his documentis Luciani recensio istis proprietatibus insignitur (similibus plane ac recensio N. T., de qua n. **45**).

1. Formam textus adhibuit a communi satis diversam, quae tamen saepe cum codice B mire conspirat contra ceteros.

2. Correxit ex textu hebraico, quem saepe aliter intellexit quam masoretae, v. gr. 2 Reg. 22,49 TM מִקָּמַי = LXX ἐκ τῶν ἐπειγομένων μοι; Luc. ἐκ τοῦ τόπου μου = מִמְּקוֹמִי; 4 Reg. 15,10 LXX Κεβλαάμ; Luc. (melius) ἐν Ἰεβλαάμ.

3. Lectiones *conflavit*, seu retinendo veterem et addendo novam, sive copulando quae seorsim inveniebantur in variis codicibus graecis; v. g. Num. 11, 32 cod. B. 509 ἔσφαξαν; alii ἔψυξαν: Luc. ἔσφαξαν καὶ ἔψυξαν; 1 Reg. 14, 33 LXX ἐν γεθθὲμ; Luc. + ἡμάρτετε (hebr. בָּגַדְתֶּם); cf. Field, p. lxxxiv, iv, 2.

4. Linguam *expolivit*, eam revocando ad normam optimae graecitatis, synonyma substituendo, addendo aliquid ad claritatem; cf. Field, p. xc, 4.

5. Interdum videtur coniecturis indulsisse: v. g. Amos 1, 1 Καριαθιαρειμ pro εν Ακκαρειμ; 2 Reg. 24, 6 Καδης pro חדשי; Ierem. 19, 2 τεθνηκοτων pro τεκνων, hebr. בְּנֵי.

6. Supplevit, plerumque e Theodotione, quae graece deerant.

---

(1) Praeter scripta indicata n. **58**, cf. *E. Hautsch, *Der Lukiantext des Octateuch*, Berlin 1910; L. Dieu, in *Muséon* 1912, 223-274; L. Pirot in *Biblica* 2 (1921), 356-370; A. Zanolli in *Giorn. Soc. as. ital.* 18 (1905), 68-101.

68. Ex his tribus recensionibus per varias mixtiones natae sunt aliae familiae textus secundariae, inde a saec. v. Has inter illae in primis mentione sunt dignae, quae ab auctoribus catenarum exegeticarum efformatae sunt (cf. lib. 3, App.) per conflationem fere trium omnium. Huiusmodi textus primum quidem cum ipsis catenis, deinde vero etiam separatim propagatus est multis codicibus; in Octat. 16. 52. 57. 77. 130. 131. 209. 236; in libris historicis 52. 64. 92. 123. 130 (Holmes-Parsons 144). 236. 242. 243. 248; in prophetis 49. 68. 87. 90. 91. 97. 228.

Ex origeniana et hesychiana recensionibus nata est forma, quae apud Rahlfs (*Nachr. Gött. Gesells.*, 1922, p. 44) in libro Ruth continetur codd. 15. 18. 64. 128. 488; e lucianea et hesychiana rursus illa quae exhibetur codd. 74. 76. 106. 125. 134.

Ex his omnibus formis, aliter ac in Novo Testamento, nulla caeteris plane praevaluit, et quamquam iuniores istae recensiones paullo frequentiores in codicibus occurrunt, etiam reliquae tamen fere usque ad tempora artis typographicae inventae exscriptae fuerunt, unde et in libris impressis pleraeque sunt repraesentatae.

Art. 9. — De editionibus

69. Ex editionibus LXX interpretum *quatuor principes* numerantur, unde ceterae pendent usque ad hodiernas criticas, nempe Complutensis, Aldina, Sixtina seu Vaticana, et Grabiana.

Sat feliciter accidit, ut singulae haud ita male repraesentarent unam e 4 praecipuis textus formis supra memoratis. Nam Complutensis quidem (in Polyglottis, 1514-7) Luciani recensionem fere exhibet; Aldina (Venetiis 1518) ad hesychianam accedit; Vaticana Sixti V auctoritate edita (1576) cum codici B potissimum innitatur textum antiquiorem, non recensitum, praebet; in quarta (Oxonii 1707-20) Alexandrino codici superstructa E. Grabe editionem Origenis instaurare contendit. Praestat ceteris Vaticana tum ob textus bonitatem tum quod singulis capitibus subiicit fragmenta aliarum versionum (Aquilae, Symmachi, Theodotionis), aliorum codicum variantes lectiones, scholia Patrum. Hinc eius rextus a plerisque deinceps editoribus fuit repetitus, ita ut vere « textus teceptus » evaserit, si minus nomine, certe re. Cf. E. Nestle, *Vet. Test. graeci codices Vat. et Sin. cum textu recepto collati*, Lipsiae 1880, qui differentias omnes inter editionem et ipsum codicem B accurate recenset.

70. Editiones criticae. Editione Kennicotiana Vet. Test. (n. **34**) excitatus Rob. Holmes, Professor et ipse Oxoniensis, inde ab anno 1788 paravit et partim (1 vol.) edidit: *Vetus Testamentum graecum cum variis lectionibus.* Tercentos circiter codices, qua totales, qua partiales (quos designavit, unciales numeris romanis, cursivos arabicis), conferendos curavit a doctis viris per totam Europam. Collationes ad se missas (non eas quidem omnes debita diligentia aut peritia factas) ipse summa fide, non pari perspicuitate, subiecit textui sixtinae editionis. Primum volumen prodiit Oxonii anno 1798, alia quattuor post mortem Holmesii (1805), curante Iacobo Parsons annis 1810, 1823, 1827; opus omne, etsi in singulis parum tutum, in universum tamen et ad studium graecarum recensionum sufficiens et nondum antiquatum.

Inde ab anno 1873 Academia Cantabrigensis statuit opus simile Holmesiano, minori mole, sed maiore diligentia, edere. Imprimitur textus codicis B (eo deficiente S vel A), subduntur ordine perspicuo dispositae variantes lectiones codicum uncialium omnium, et delectorum triginta circiter e minusculis, qui haud ita felici innovatione litteris latinis minusculis designantur (cf. n. 59). Prodierunt hucusque ll. historici a Genesi ad Paral. (*The Old Test. in Greek...* edited by A. E. Brooke and N. McLean, Cambridge, 1906...). Praecessit, tanquam editio minor ac parabilior, alia curata ab H. B. Swete (ib., 1887-94), in qua textui codicis B subduntur variae leçtiones e codd. uncialibus perpaucis, quotquot phototypice iam fuerant editi. Editio haec, saepius repetita, omnium fere manibus teritur. Eiusdem consilii tanquam propagines sunt: Swete, *Introduction;* Thackeray, *Grammar;* Hatch-Redpath, *Concordance.* Cf. bibliographiam n. **58**.

Vestigiis Pauli Antonii de Lagarde († 1892), qui criticam versionis LXX plurimum scriptis omne genus editis promovit, insistens Consilium (*Septuaginta-Unternehmen*) apud Societatem Scientiarum Gottingensem institutum (1908), duce potissimum Alfr. Rahlfs edere coepit textum ad normas critices emendatum cum variarum lectionum e codicibus in familias redactis compendioso apparatu. Hucusque editi sunt ab ipso Rahlfs, post *Ruth* speciminis gratia (*Das Buch Ruth griechisch als Probe einer kriti-*

schen Handausgabe der Sept. Stuttgart 1922), *Genesis* (ib. 1926) et renovato programmate *Psalmi cum Odis* (Göttingen, 1931).

Cfr. *Mitteilungen des Septuaginta-Unternehmens* editas in *Nachrichten d. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen* et separatim Berolini inde ab anno 1910. Insunt inter alia: A. Rahlfs, *Verzeichnis der griech. Hands. des A. T.* 1914 (cfr. supra n. 59); *Studie über d. griech. Text d. Buches Ruth* 1922; *Paul de Lagardes wissenschaftliches Lebenswerk* 1928.

Art. 10. — De usu critico

71. Ad inveniendam genuinam LXX interpretum lectionem (n. **35**) hinc ars critica in genere, inde ipsius versionis historia speciatim haec tenenda ac sequenda docent.

1. Non ab uno codice, nec ab una familia peti potest ubique genuinus textus, sed textus vel optimi codicis aut familiae emendandus est e collatione ceterarum familiarum.

2. Collatione facta, consultisque, si opus sit, etiam aliis fontibus (fragmentis versionum ceterarum, citationibus PP., versionibus), excludantur quae constat ab aliis versionibus (Aquila, Theodotione) inlata esse in LXX.

3. His exclusis, examinentur, si quae remanent, variantes lectiones, considerata indole singularum familiarum et comparatione facta cum textu hebraico; quid verisimiliter proveniat a posteriore correctione, quid antiquius recensionibus. Ad iudicium ferendum generatim valeat regula: *Lectio conformior cum textu hebraico seu servilior reiicienda est; lectio difformior a textu heb. seu liberior retinenda.* Unica fere exceptio est: *Nisi varietas consistat in aliqua confusione litterarum*, aliove casu palaeographico.

Exempla. Pro regula normali: Prov. 2, 12 μηδεν πιστον pler. codd.; διεστραμμενα cod. V, Syro-hex. = hebr. *tahpukôt.* Prima lectio est genuina, altera correctio ex heb. — Ez. 4, 9 dies « centum nonaginta » codd. plerique; dies « tercentos nonaginta » cod. 49, 68, 87 etc. cum textu heb. Prior lectio melior, altera reicienda.

Pro exceptione: Ps. 30 (31), 16 « in manibus tuis *sortes* meae » codd. graeci omnes et verss.; « in man. tuis *tempora* mea » latina versio antiqua cum textu heb. Hic confusa est vox KAIPOI cum KAHPOI, quae meliorem et magis obvium sensum reddere videbatur. — Ps. 16 (17),

14 « saturati sunt *porcina* (ὑείων) » cod. BS Lat. ant.; « satur. sunt *filiis* (υἱῶν) » cett. codd. cum textu heb. Hic falsa scriptio ex iotacismo, et lex de lectione faciliore posthabenda (n. **142**) dictant genuinam esse alteram lectionem textui heb. conformem.

His principiis, communi fere calculo receptis, eluxit in dies clarius substantialis bonitas codicis Vaticani B, licet accidentalibus amanuensium mendis non parum deturpati, adeo ut eius textus tanquam fundamentum emendationis supponendus sit.

72. Genuina LXX lectione primum statuta, si haec sensum reddat ab hebraico masoretico diversum, *antequam* ex illa *corrigatur* iste, haec tria sunt in antecessum *probanda:*

1. LXX revera in suo hebraico textu *aliter legisse* quam masoretas; 2. *quid* verisimiliter legerint; qua in re, e dictis n. **35**, 6, a consonantibus masoreticis minima, quae dari potest, differentia assumatur; 3. hanc ita restitutam lectionem esse *meliorem*, quam masoreticam, v. gr. aptius cohaerere cum contextu, cum usu auctoris, cum scopo libri, etc.

Illustremus haec aliquo exemplo e Psalmis desumpto.

1. Ps. 68 (67), 16 pro hebr. *Bašan* in LXX est πῖον (*pingue*). Videretur obvium eos legisse *dešen* (cf. n. **12**, et Ps. 22 [21], 13; longius a vero F. Wutz, *Die Psalmen textkr. untersucht*, 172, coniecit *boden*). Tamen similis eiusdem verbi Bašan interpretatio apud Symmachum (hic et Amos 4, 1; Ez. 39, 18) et stilus interpretis Psalmorum (cfr. 8, 6; 48 [49], 3; 47 [46], 8) docent vanam esse illam coniecturam. Aliud exemplum *Biblica* 5 (1924), 55 sq.

2. Ps. 37 (36), 20: hebr. *kiqar kārîm* (ut decor pratorum); LXX ἅμα τῷ δοξασθῆναι αὐτοὺς καὶ ὑψωθῆναι. Ex his verbis frustra Wutz (l. c. 90) extundit vocabulum *mizdarkēlîm* a supposita radice *zarkēl* Hebraeis ignota. Patet LXX legisse *kiqār kerūm*, vix aliis litteris ac masoretas. Ibidem *kālū* LXX vertunt ἐκλιπόντες; legerunt non *kōlîm*, uti frustra contendit Wutz, sed *kālô*, h. e. infinitum absolutum, quod vertere per participium solent. Aliud exemplum *Biblica* 2 (1921), 353-356.

3. Ps. 17 (16), 3 hebr. *ya'ôbōr pî*=excedat os meum; LXX *loquatur* os meum. Nullum dubium quin LXX legerint *yedabber* (d pro 'ain; cf. n. **12**); vix tamen recte, recentiorum fere nullus ad eos attendit. E contrario Ps. 75 (74), 1 certe melius LXX « invocabimus nomen tuum » = *qārô bešimka*, quam TM *qarôb šᵉmeka* = « prope est nomen tuum ». Ps. 4, 3 TM *kᵉbôdî liklimmāh* = « gloria mea in vituperium? », et LXX « gravi corde? Ad quid » = *kibdê lēb lammāh* » intrinseca bonitate fere aequivalent.

CAPUT II

De versionibus aramaicis

Art. 1. — Targum

73. Nomine *Targum*, plur. *targumîm* (quae vox generatim significat interpretationem, versionem in aliam linguam) veniunt versiones Veteris Test. in linguam Iudaeorum vernaculam post exstinctam versus Christi tempora hebraicam. Dialectus est aramaica, ea fere qua utebantur Christus et Apostoli; vocabatur antea (saec. XVI-XIX) *chaldaica*, et versiones ipsae, ab indole plerarumque, *paraphrases* chaldaicae (1). Natae sunt e publica lectione in synagogis, cum post singulos versus in Pentateucho, post tertium quemque in ceteris libris, hebraice lectos addi soleret interpretatio in lingua vulgari. Sic primo viva tantum voce sunt traditae; multo serius scripto commendatae, in huiusmodi transmissione mutationes et menda passae.

Distinguuntur indole, auctoribus, tempore ultimae redactionis, ipsa dialecto aliquatenus, secundum libros.

74. Pentateuchi quattuor exstant aramaicae interpretationes. Nobilissima omnium ea est quae ab Onkelos nomen habet, auctori impositum sive ob similitudinem sive ob confusionem cum graeco interprete Aquila (Ακυλας) de quo supra (n. **63**). Certe sacrum textum presso pede tam literaliter vertit quam Aquila, exceptis paucis locis poeticis (v. g. Gen. 49; Deut. 32) ubi aliquantulum

---

(1) Iuverit hic indicare de his versionibus praecipua *subsidia philologica et bibliographica:* *J. H. Petermann, *Brevis linguae chaldaicae grammatica*, litteratura, chrestomathia cum glossario.[2] Berolini 1872; *G. Dalman, *Grammatik der judisch-palästinischen Aramäisch*[2] Leipzig 1905; *A. Merx, *Chrestomathia targumica*, Berlin, 1888. *Lexica* ediderunt I. Buxtorfius, Basileae 1640 (latine), iterum curis B. Fischer, Lips. 1875; *J. Levy,[3] Leipzig 1881 (germanice); *Morris Jastrow, New York 1886 (anglice); brevius G. Dalman[2] Frankfurt 1922. *E Brederek, *Konkordanz zum Targum Onkelos*, Giessen 1906; *E. Schürer, *Gesch. des judischen Volkes*[4] Leipz. 1901, 1, 147-156; J. B. Chabot, *Les langues et les littératures araméennes*, Paris 1910. Praeterea art. « Targum » in Lexicis biblicis, praes. Vigouroux, Hastings (cf. p. VI sq.), *Jewish Encyclopedia*, *Realenc. f. prot. Theol.*[3] (« Bibelübersetzungen » 3, 1-178), *Internat. Standard Bible Encyclopedia* (Chicago 1915), quod item valeat et de sequentibus versionibus.

paraphrasi indulget, praeter quam quod anthropomorphismos accurate vitat (1). Quando scripto tradita fuerit, sive ultimam formam induerit, non certo constat. Sed quoniam messianice interpretatur, ipsum nomen ponendo Messiae, duos locos Gen. 49, 10 et Num. 24, 17, putatur id factum ante exortas controversias inter Christianos et Iudaeos, h. e. ante saec. II. A Iudaeis tanti fiebat haec versio ut eam muniverint simili ac textum hebraicum masora, edita a Berliner Lipsiae 1877. Prostat ipsa versio in omnibus Bibliis polyglottis et illis, quae rabbinica dicuntur (n. **34**), saepe impressis praesertim Venetiis, Basileae et Vilnae (continent textum hebr. cum targum et selectis rabbinorum commentariis). Ad optimam ed. antiquam (Sabbioneta, 1557) recenter excudit A. Berliner (Berlin, 1884).

Tres praeterea exstiterunt targumicae versiones Pentateuchi quae *Hierosolymitanae* (Ierušalmi) dicuntur. Ex iis una tantum ad nos integra (vel fere integra) pervenit (2); alterius supersunt multa fragmenta, tertiae pauci tantum versus. Prima et secunda inveniuntur impressae parallelis columnis, ubi altera exstat, ad calcem Bibliorum rabbinicorum; omnes editae a M. Ginsburger, *Thargum Ionathan zum Pentateuch* (Berlin, 1903) et *Das Fragmententhargum* (ib. 1899). Hae omnes et seriores sunt (post saec. VI) et paraphrasticae, non raro admodum liberae et fusae.

75. In prophetas (tum priores tum posteriores ex usu loquendi Hebraeorum) aramaica versio tribuitur Ionathan ben Uzziel, Hillelis discipulo. Non tam fidelis est atque Onkelosi, praesertim in locis poeticis et difficilioribus, quos non semper recte intellexit et fusiori stylo exponere solet. Videtur ad saeculum V ascendere, saltem eius forma hodierna. Continetur eisdem polyglottis (exc. Complutensi) et rabbinicis Bibliis quibus Onkelos. Specialis editio curata fuit ab P. de Lagarde ad fidem codicis Reuchliniani (*Prophetae chaldaice*, Lipsiae, 1872).

---

(1) Cfr. A. E. Silverstone, *Aquila and Onkelos*, Manchester 1931, qui stat pro identitato.

(2) Appellatur saepe, non recte, Targum *Ionathan* in Pentateuchum, quia, ut videtur, compendiaria designatio per litteram initialem falso pro « Ierušalmi » lecta est « Ionathan ».

Hagiographorum (*kᵉtūbîm*) interpretationes sunt admodum inter se variae. Iob, Ps., Prov. sat presse hebraico textui inhaerent, nisi quod in Iob et Ps., saltem in multis codicibus et editionibus, versioni fideli unius versus subditur tanquam « targum aliud » eiusdem versus interpretatio fusior; Prov. Pešittam pone sequitur. Targum quinque voluminum (*megillôth*) adeo diffusus ac liber est, ut non tam versio quam commentarius haggadicus (cf. lib. IV, n. **13**) sit dicendus, praes. in Cant. Libri Esther duo exstant targumin: Danielis et Esdrae-Neem. nullus. Editi sunt in Bibliis polyglottis et rabbinicis; praeterea P. DE LAGARDE, *Hagiographa chaldaice*, Lipsiae, 1873.

ART. 2. — De versione syriaca « Pešitta »

76. In linguam syriacam plus semel versae sunt S. Scripturae alias e textibus originalibus immediate, alias e graeca versione, LXX interpretum. De utrisque hic ordine agemus (1).

Omnium maxime celebris et usitata fuit illa, quae inde a saec. X Pešitta vel Pešitto (פְּשִׁיטְתָּא), idest « vulgata, communis » (secundum alios « simplex ») appellari solet.

Versionis *Veteris Test.* ex hebraico textu controvertitur *aetas* et *auctor* vel auctores. Certe eam esse antiquissimam inde apparet, quod et citetur a primis scriptoribus syris (Aphraate, Ephraemo), et aliquas locutiones habeat, quae eo tempore (saec. IV) iam erant antiquatae, obscurae, uti v. g. particula *yat* quae accusativo significando inservit (cf. S. EPHRAEM, *Comm. in Gen.*, 1, 1; Operum syr.lat. tom. 1, p. 6). Nihil obstat, quin iam saec. Christi II facta fuerit. Quoniam vero non communem cognitionem non solum

---

(1) Subsidia philologica et bibliographica: M. GISMONDI, *Linguae syriacae grammatica*,[3] Romae 1910; *TH. NÖLDEKE, *Kurzgefasste syr. Grammatik*[2] 1898; anglice versa, London 1904; *C. BROCKELMANN, *Syrische Grammatik*[4] Berlin 1925; E. NESTLE *Brevis linguae syriacae grammatica*, Lips. 1881; id.[2] (germanice) 1888; *PAYNE SMITH, *Thesaurus linguae syriacae*, 2 vol. Oxonii 1879-1901; I. BRUN, *Dictionarium syriaco-latinum*[2] Berythi 1911; R. DUVAL, *La littérature syriaque*[3] Paris, 1907; A. BAUMSTARK, *Geschichte der syr. Literatur*, Bonn 1922; C. BROCKELMANN, *Lexicon syriacum*[2] 1924 ss.; *O. KLEIN, *Syrisch-griechisches Wörterbuch zu den vier canon. Evangelien*, Giessen 1916. *W JENNINGS, *Lexicon to the Syriac N. T.*, Oxford 1926; L. HAEFELI, *Die Peschitta des A. T.* Münster 1927.

linguae hebraicae, sed etiam traditionis sive interpretationis rabbinorum prodit, multi censent eam vel a Iudaeis vel a Iudaeochristianis fuisse adornatam. At exemplum S. Hieronymi, in quo utrumque animadverti potest, monet, ne nimium simus in iudicando praecipites.

Nec ab uno nec uno *tempore* fuisse peractam probatur simili argumento ac LXX. Primum versi sunt libri hebraici canonis praeter recentissimos Paral., Esdr., Nehem., Esther, qui posterius accessere. Postremi denique syriace redditi sunt libri deuterocanonici, inter quos notatu dignus Ecclesiasticus (Sirac) ex hebraeo fonte profluxit multo propius accedente ad textum nuper inventum quam versio graeca.

Indoles versionis in variis libris non est omnino eadem. Generatim fidelis, non tamen servilis, sensum reddit cum perspicuitate simul et quadam venustate. Id eo facilius fieri potuit, quod syra lingua hebraicae vicina est. Excellit hac in re prae ceteris Pentateuchus; Paralipomena e contrario, modo quodam paraphrastico versa, infimum locum obtinent.

Textus hebraicus e quo versi sunt libri protocanonici raro discedit, in consonantibus, a masoretico; saepius tamen quam ceterae versiones praeter graecam LXX. Sic v. g. Gen. 2, 2 syrus legit « die sexto » cum Graeco et Samaritano pro die septimo (1° loco); sed in aetate Patriarcharum (Gen. 5. 11) plane concordat cum masoretis contra LXX et Samaritanum.

77. Non minimam tamen dubitationem faciunt lectiones multae syro interpreti *communes cum* LXX contra masoretas, non in omnibus quidem libris eadem frequentia occurrentes (nam minime omnium obtinent in Iob, maxime vero in Prophetis et Psalmis), sed ita ubique comparatae ut syrum a graeco manifesto pendere demonstrent. Sic v. g. Ps. 9, 21 Hebr.: « Pone Domine timorem (*morah*) eis » (ita optime Hieronymus ex hebr.): LXX Peš. « Constitue, Domine, legislatorem (νομοθέτην so'em nomûso) eis ». Similiter Ps. 84, 7 (Vulg. 83, 7): hebr: « Benedictione vestiet pluvia (*moreh*) »; LXX « benedictionem dabit legislator (νομοθέτης) »; Pes. « benedictione vestietur legislator ».

Huius facti duae dari possunt explicationes: vel ipse primus interpres dum vertit ex hebraico prae oculis habuit versionem graecam, eaque sese adiuvit in locis ipsi difficilibus; vel posterior aliquis sive recensor sive scriba primitivam syriacam versionem ad graecum exemplar correxit. In utraque hypothesi potest inesse aliquid veri, nec altera alteram plane excludit. Ad rem dirimendam haec valent momenta:

1. Certum est, per omnia saecula posteriora (a v ad XII, quo litterae syriacae exstinctae sunt) constantem apud Syros invaluisse tendentiam ad graecae LXX versioni conformandam syriacam, uti et ad novas versiones syriacas ex illa edendi.

2. Haec tendentia in flagranti quodammodo deprehenditur in codicibus, non raro hic illic correctis e graeco, vel ad marginem eius lectionem afferentibus.

3. Cohaeret haec tendentia cum graecae culturae penetratione apud Syros, quae in dies crevit, ex quo Mesopotamiae provinciae romano imperio fuerunt unitae (inde ab anno 216).

Ex his indiciis fit probabile longe maiorem partem lectionum, quae syra versio communes habet cum LXX contra textum masoreticum deberi non primo interpreti sed posterioribus emendationibus, seu verius corruptionibus. Cf. W. E. BARNES in *Journ. theol. St.* 2 (1901), 186-197; *J. BLOCH in *Amer. Journ. sem. Lang. a. Lit.* 36 (1920), 161-166.

78. Utcumque sit, haec versio, quae Pešitta dicitur, brevi apud omnes christianas gentes, quae syra lingua uterentur, propagata, summam auctoritatem nacta, in usum publicum Ecclesiarum adhibita, diligenter custodita et accurate transcripta est. Scissa postmodum Ecclesia Syrorum in duas oppositas sectas haereticas, duplex paulatim efformata est traditio etiam in transmissione biblicae versionis, altera iacobitica, occidentalis, altera nestoriana, orientalis; purior et fidelior nestoriana, utpote quae esset ab imperio graeco maxime remota; inferior bonitate in universum iacobitica; ambo tamen parum inter se differentes patrimonium avitum, si in summa spectetur, mira concordia atque integritate ad nos usque transmiserunt. Hinc non multae occurrunt variantes lectiones inter syriacos codices, licet interdum sint satis magni momenti. Exemplo sit Ps. 68 (Vulg. 67), 19 ubi nestoriana traditio legit cum hebr. « *accepisti* dona »; iacobitica cum Targum et Paulo ad Ephesios 4, 8 « *dedisti* dona ».

79. Evangelia syriace sub *triplici* forma diffusa et lectitata fuere: 1. Diatessaron Tatiani; 2. Evangeliis separatis (syr. *dam^{e}-pharreše*); 3. versione simplici seu Pešitta.

Certum est TATIANUM († 180 circ.) composuisse *harmoniam evangelicam* διὰ τεσσάρων, seu quatuor Evangelia in unam continuam narrationem compegisse, probabiliter primum graece, deinde syriace. Haec ad nos usque pervenit, at non integra vel non sincera:

1. in versione arabica relative recenti (saec. XI), e duobus vaticanis codicibus (saec. XIII et XIV) edita ab A. Ciasca (*Tatiani Evangeliorum Harmoniae*, Romae 1888);

2. in commentario S. Ephraem armenice verso (edito a PP. Mechitaristis Venetiis 1836, latine ibid. 1876), at non integro.

In ordine rerum arabica versio cum Ephraemi commentario concordat; in ipsis sacri textus verbis minus tuta est; nam magnam partem conformata est ad vulgatam syriacam (Pešitta). Longius discedit tum ordine tum verbis a genuino diatessaron harmonia latina, quam ad illius imitationem condidit Victor Capuanus (circa 540) in codice Fuldensi Vulgatae (1), atque aliae versiones a simili harmonia latina derivatae, ut neerlandicae editae a J. Bergsma *De Levens Jesus in het Middelnederlandsch*, D. Plooij, *The Liège Diatessaron ed. with a textual Apparatus*, Amsterdam 1929.

De tota quaestione cf. T. Zahn, *Tatians Diatessaron* Erlangen, 1881; H. Vogels, *Beiträge zur Geschichte des D. im Abendland*, Münster, 1919; D. Ploij, *A primitive text of the D.* Leyden, 1923; Id. *Die heutige Stand des Diatessaronproblems*, in *Orient. christ.* 25 (1927), 201-222; F. C. Burkitt, *Tatians D. and the Dutch Harmonies*, in *Journ. of th. Stud.*, 25 (1924), 113-130; A. Juelicher, *Der echte Tatianstext*, in *Journ. of Bibl. Lit.* 43 (1924), 132-171; A. Vaccari, *Propaggini del Diatessaron in Occidente*, in *Biblica* 12 (1931), 326-354.

80. Contra hanc, quae prima videtur fuisse forma Evangeliorum syriace versorum, stant Evangelia quae ideo dicta sunt *separata* (seu melius separatorum, *da-m^epharreše*, subint. Evangelistarum), quia singula distincte et integre praebentur. Servata est haec versio duobus codicibus, quorum alter a loco ubi asservatur dicitur *sinaiticus*, alter ab editore *Curetonianus*: iste vetustior (saec. V), nunc Brit. Mus. Add. 14.451, ille palimpsestus.

Editiones principes: W. Cureton, *Remains of a very ancient recension of the four Gospels in Syriac*, London 1858; *The four Gospels in Syriac transcribed from the Sinaitic palimpsest*, Cambridge 1894; phototypica A. Hjelt, *Syrus sinaiticus*, Helsingfors 1930; criticae F. C. Burkitt, *Evangelion da Mepharreshe*, Cambridge 1904 (textus curetonianus cum varr. sinaitici); A. Smith Lewis, *The Old Syriac Gospels or Evang. da Mepharreshe*, London 1910 (textus sinaiticus cum lectionibus curetonianis aliisque).

Quae sit relatio versionis separatorum ad Diatessaron, nondum liquido constat apud doctos. Probabilius videtur Evangelia separata

(1) Cf. infra n. 116.

esse Tatiano seriora ab eoque dependere utrumque codicem, curetonianum magis quam sinaiticum. Ex his vero uter melius primitivam separatorum versionem servaverit, obscurius est (1). Eam diximus iam (n. **45**) pertinere ad formam textus δ.

81. Tatiani Diatessaron adeo fuit apud Syros pervulgatum ut initio saec. v Theodoretus Cyrensis (cf. eius *Haer. fab.* 1, 20; *PG* 83, 372) et Rabbulas Edessenus (412-435) episcopi, multam operam impendere debuerint ad eripiendum e fidelium manibus opus illud haeretici auctoris, et pro illo ad exemplaria Evangeliorum distinctorum diffundenda. Conatus iste Rabbulae, eiusque cura generatim pro lectione s. Scripturarum, videtur esse origo syriacae versionis N. T. quae Pešitta dicitur. Constat enim ex eius vita (2) ipsum e lingua graeca in syriacam vertisse (*pašeq*) Novum Testamentum (Bedj. p. 410; Bickel, p. 178) « accurate, propter diversitatem lectionum »; tum praescripsisse ut in omnibus Ecclesiis suae dioecesis unum saltem exemplar Evangeliorum separatorum (Bedj. p. 457; Bickel, 235 non bene « evangelicarum pericoparum ») praesto esset et legeretur. Ex hoc historico testimonio et e comparatione citationum quae apud scriptores syros saec. iv et v occurrunt, non immerito deducitur versionem Pešitta, prouti in Ecclesia syra propagata est et ad nos pervenit, opus esse Rabbulae. (3) Convenit tempori et loco eius indoles textus, qui ferme purus putus est antiochenus (supra n. **47. 50**).

Inter scripta apostolica deerant in canone Syrorum 2 Pet., 2. 3 Ioh. Iud., Apoc.; in Evang. Iohannis pericope de adultera. Iis caruit Pešitta; in eius codicibus serius additae sunt ex aliis versionibus posterioribus (cf. lib. II, *De canone*, n. 54-57).

82. Haec versio vulgata seu simplex Syrorum, cum in scholis legeretur et explicaretur tum apud monophysitas (Edessae), tum apud nestorianos (Nisibi), ad rectam eius lectionem, intellegentiam, conservationem, munita est, inde ab ineunte saec. viii, apparatu

---

(1) Cf. A. Hjelt, *Die altsyr. Evangelienübersetz. u. Tatians Diatessaron*, Leipz. 1903; H. Vogels, *Die altsyr. Evangelien in ihrem Verhältniss zu Tatians Diatessaron*, Freib. i. B. 1911; *Rev. Bibl.* 1912, 284-294.

(2) Edita syriace e Bedjan in *Acta Martyrum et Sanctorum* 4, 396-450; germanice versa a Bickel, *Ausgew. Schriften d. syr. Kirchenväter*, Kempten 1874.

(3) P. Peeters in *Recherches de science rel.* 18 (1928), 185 s. hoc opus tribuit potius Ibae edesseno. Sed cf. I. M. Lagrange in *Revue bibl.*, 1931, pp. 121-129.

quodam grammaticali et critico, qui non immerito, ad modum hebraicae masorae (supra n. 31), appellatus est a modernis *Masora syriaca*. Ea duplex est: alia orientalis (nestorianorum) quae vocales designat punctis, accuratior; alia occidentalis (iacobitarum), quae figuris utitur vocalium graecarum. Inter huius scholas celeberrimum fuit monasterium pagi Karkaphta propre Sergiopolin (Rešaina) ad flumen Chabor, unde praecipuam auctoritatem et nomen adepta est traditio (masora) karkaphensis, doctoribus potissimum Tubana et Saba saec. VIII (1).

83. *Codices* Pešittae praecipui sunt: totius S. Scripturae: Cambridge 1, 1, 2 (saec. XII); Veteris Test. Ambros. B 21 inf. (VI saec.); Novi Test. Vatic. syr. 12 (anni 548); Florent. Laurent. 1, 56 (anni 586, dictus a scriba codex Rabbulae, cum figuris); Lond. Brit. Mus. Add. 14.470 (saec. V-VI).

Editiones totales habentur omnino quinque: 1 et 2 in Polygl. Parisiensibus et Londinensibus (Vet. Test. e cod. Paris. syr. 6, sec. XVII; Nov. Test. ex edit. Widmannstadii et aliis); 3. Sam. Lee, Londini 1823-26 ex praecedentibus cum paucis emendationibus ex ms.; 4. Missionis protestanticae, Urmia 1841; haec et praecedens carent deuterocanonicis Vet. Test.; 5. PP. Dominicanorum, Mausili (Mossul), 1887-1891, 3 voll.; optima omnium.

Partiales N. T.: Viennae in Austria 1555, curante I. A. Widmanstadio, editio princeps; Lugduni Batav. (Leida) 1708 cur. J. Leusden et C. Schaaf; Londini et Neo-Eboraci multae apud Societatem biblicam.

Vetus Test. edidit photolithographice e codice Ambrosiano A. CERIANI, *Translatio Syra Pescitto V. T.*, Mediolani 1876-83.

Criticae: W. E. BARNES, *The peshitta Psalter according to the West Syrian text*, Cambr. 1904; G. M. GWILLIAM, *Tetraevangelium sanctum iuxta simplicem Syrorum versionem*, Oxonii, 1901.

ART. 3. — De versionibus syriacis secundariis

84. PHILOXENUS (syr. Xenaia) episcopus Mabugensis, monophysita, circa annum 508 totam sacram Scripturam vertendam curavit a Polycarpo chorepiscopo e textu graeco, ut videtur, maxime vulgato, h. e. antiocheno, ad litteram. Ex eius versione, quae *Phi-*

(1) Cf. I. P. MARTIN, *Tradition Karkaphienne, ou la Massore chez les Syriens*, in *Journ. asiat.*, sér. 6, 14 (1869), 245-379; ID. *Histoire de la ponctuation ou de la Massore chez les Syriens*, ibid. sér. 7, 5(1875), 84-208; DUVAL, *Lit. Syr.*[3], 55-61; L. I. DELAPORTE, *L'évangeliaire Heracléenne et la tradition karkaphienne*, in *Rev. bibl.* 1912, 391-402.

Ioxeniana dici solet, non supersunt nisi V. T. perpauca fragmenta, edita partim a CERIANI in *Monum. sacra et prof.* 5, fasc. 1; et paulo plura Novi Test., quod epistolas deuterocanonicas et Apoc. complectebatur: has edidit JOHN GWYNN, (*Remnants of the later Syriac versions*, Londini, 1909; et *The Apocalypse of St. John in a Syriac version hitherto unknown*, Dublin, 1897 (1).

85. Uno saeculo post, annis 615-617, Paulus episcopus Tellae, iussu Athanasii patriarchae antiocheni in monasterio Ennaton prope Alexandriam Aegypti, vertit totum Vetus Testamentum e graeco LXX interpretum secundum recensionem *hexaplarem* Origenis, cuius et textum presso secutus est pede, serviliter magis quam litteraliter, et omnia signa diacritica diligentissime transcripsit, et copiam variantium lectionum ex alliis columnis (versionibus) ad marginem adscripsit. Ea summi momenti est ad textum Origenianum restituendum; ad nos tamen non integra pervenit; altera pars totius Vet. Test. continetur in cod. Ambrosiano C. 313, edito a CERIANI in *Monumenta sacra et prof.*, vol. 7. Prima pars eiusdem vel similis exemplaris fuit olim Andreae Masii (cf. eius *Iosue imperatoris historia* et *Peculium Syrorum;* LAGARDE, *Bibliothecae syriacae*, p. 19-32[1]); post eius mortem (1573) deperditus est. Exstant praeterea partes Octateuchi et Regum in variis codd. londinensibus et parisinis, e quibus collectas edidit LAGARDE, *Bibliothecae syriacae quae ad philologiam sacram pertinent.*, Gottingae 1892.

Eodem tempore et loco Thomas Heracleensis (a Harqel) philoxenianam Novi Test. versionem recensuit ad plures codices graecos, quorum varietates vel signis diacriticis indicavit in textu vel ad marginem adnotavit. Haec versio, quae *Heracleensis* audit, edita est a J. WHITE, Oxonii 1798-1803, et BENSLY, Cambridge 1889 (Hebr. 11, 28-fin). Optimi codices sunt Vatic. syr. 266. 268 saec. VII.

86. Postremo memoranda venit a praecedentibus omnibus multiplici ratione plane distincta versio, quae primum saeculo

(1) Cf. J. LEBON, *La version philoxénienne de la Bible* in *Rev. d'hist. ecclés.* 12 (1911), 413-436.

proxime elapso innotuit et *Palaestinensis* vel Hierosolymitana vocatur. Facta est (saec. VII?) in usum Melchitarum, utitur dialecto aramaica occidentali; videtur totam S. Scripturam complexa fuisse, sed eae solum pericopae ad nos pervenerunt quae leguntur in liturgia; in Vet. Test. sequitur plerumque textum hexaplarem, in Novo mixtum. Codices praecipui sunt Vat. syr. 19 editus a MINISCALCHI ERIZZO, *Evangeliarium hierosolymitanum*, Veronae 1861-64, et iterum a LAGARDE, *Biblioth. syr.*, p. 257-404; lectionaria duo in monasterio sinaitico, et aliud emptum in Aegypto ab Agnete S. LEWIS, quae edidit *A Palestinian Syriac Lectionary*, Londini 1897, et *The Palaestinian Syriac Lectionary of the Gospels*, ib. 1899 (1).

CAPUT III

De ceteris versionibus orientalibus

ART. 1. — De versionibus copticis

87. In Aegypto, uti christiana religio mature propagata est et monachismus natus et maxime dilatatus, ita cito oborta necessitas in linguam popularem vertendi divinas litteras, in iis praesertim regionibus ubi minor vel nullus erat usus graeci sermonis inter vulgus, h. e. in provinciis meridionalibus, v. g. in regione thebana. Certe ex vita S. Antonii (251-356) illinc oriundi non immerito concluditur iam saeculo III saltem Evangelia, scripta apostolica et Psalterium fuisse in linguam vernaculam versa (2).

---

(1) Subsidia philologica et bibliographica: *F. SCHULTHESS *Grammatik des christlich-palästinischen Aramäisch*, Tübingen 1924; ID., *Lexicon syro-palaestinum*, Berolini 1903; *SWALLY, *Idioticon des christlich-paläst. Aramäisch*, Giessen 1893; *Anecdota Oxoniensia*, semitic series, part. 5. 9, Oxford 1893, 1896; *G. MARGOLIOUTH, *The palestinian syriac version of the Holy Scripture*, London 1897; J. LAGRANGE, *L'origine de la version syro-palestinienne des Evangiles*, in *Rev. bibl.* 34 (1925), 481-504; *A. LEWIS, *Horae semiticae* n. 8. 9, Cambridge 1909. 1912; *H. DUENSING, *Christlich-palästinisch-aramäische Texte u. Fragmente*, Göttingen 1906.

(2) Subsidia philologica et bibliographica: *L. STERN, *Koptische Grammatik*, Leipzig 1880; A. MALLON S. I., *Grammaire copte*,[2] Beyrouth 1907; *G. STEINDORFF, *Koptische Grammatik*[2] Berlin, 1904; I. GUIDI, *Elementa linguae copticae*, Neapoli 1924; A. PEYRON, *Lexicon linguae copticae*, Taurini 1835; anastatice cum auctario, Berolini 1896; *W. SPIEGELBERG, *Koptisches Handwörterbuch*, Heidelberg, 1921; A. BAUMSTARK, *Die Koptische Literatur*, Leipzig 1911; *J. LEITPOLDT, *Geschichte der kopt. Literatur.*[2] Leipzig 1909; W. E. CRUM, *A Coptico Dictionary*, Oxford 1929.

Quatuor distinguuntur versiones copticae pro totidem eius linguae dialectis, quarum duo sunt extremae (maxime inter se dissitae loco et indole), *sahidica* sive australis (antea dicta thebana) et *bohairica* sive borealis (olim memphitica appellata); aliae mediae, in media Aegypto usitatae, quanquam ad sahidicam potius vergentes, *fayumica* et *achmimica*. Hae versiones omnes e graeca lingua tum in Novo tum in Vet. Test. expressae sunt, omnes magni momenti ad historiam et ad criticam LXX interpretum et Novi Test. graeci. Nulla tamen ad nos integra pervenit, et fragmenta plerumque tam dissitis in libris edita sunt, ut hic necesse sit praecipua tantum indicare et plenioris notitiae cupidum remittere ad particularia opera bibliographica, praes. Hyvernat, *Etude sur les versions coptes de la Bible*, in *Rev. bibl.*. 1896, 427. 540; 1897, 48; Vaschalde, *Ce qui a été publié des versions coptes de la Bible*, ibid. 1919, 220. 513; 1920, 91. 241; 1922. 235.

Editiones. — *Sahidicae* versionis: Ciasca-Balestri, *S. Bibliorum fragmenta copto-sahidica musei Borgiani*, Romae 1885-1904; *H. Thompson, *A coptic palimpsest*, Oxford 1911; *W. Budge, *The earliest known coptic psalter*, London 1898; Id. *Coptic biblical Texts* ib. 1912; Lagarde, *Aegyptiaca*, Gottingae 1883; *Horner, *The coptic version of the New Testament in the southern dialect*, Oxford 1911-1924; G. Sobhy, *The book of Proverbs of Salomon in the Dialect of Upper Egypt*, Cairo 1929.

Bohairicae: P. de Lagarde, *Der Pentateuch koptisch*, Leipzig 1867; Schwartze, *Psalterium in dialectum copticae linguae memphiticam translatum*, Lipsiae 1853; Tattam, *Prophetae maiores in dialecto linguae aegyptiacae memphitica*, Oxonii 1852; Id., *Duodecim Proph. min. libr. in lingua aegyptiaca*, ib. 1836; (Bsciai), *Liber Baruc prophetae*, Romae 1870; I. Bardelli, *Daniel copto-memphitice*, Pisis 1849; Horner, *The coptic version of the New Test. in the northern dialect*, Oxford 1898-1905; *Psalterii versio memphitica e rec. Pauli de Lagarde*, Lovanii 1925; E. Porcher, *Le livre de Job*, in *Patr. Orient.*, 18 (1924), 2.

Fayumicae: Chassinat, *Fragments de manuscrits coptes en dialecte fayoumique* in *Bulletin de l'Institut français d'arch. orient.* 2 [1902], p. 171-206; Zoega, *Catalogus codicum copticorum qui in Museo Borgiano Velitris asservantur*, Romae 1810, 149.

Achmimicae: Lacau, *Textes coptes en dialectes akhmimique et sahidique réédités* (in *Bull. de l'Inst. fr. d'arch. or.* 8, [1911], p. 43-109); Wessely, *Duodecim prophetarum minorum versionis achmimicae codex Rainerianus*, Lipsiae 1915 (cum parallelis bohairicis et sahidicis, versione latina).

Versiones copticae sequuntur generatim, praesertim in Veteri Test., textum codicis Vaticani (B); sed fuerunt identidem correctae tum ex alius generis codicibus graecis, tum ex ipso textu hebraico, saltem mediate. Sahidica versio Iobi textum exhibet ab additamentis hexaplaribus maxime purum (cf. CIASCA, t. 2, p. XVIII-XXXVI; XLVI sq.); in Novo Test. non paucas lectiones habent de genere codicis D et sociorum (cf. supra **n. 45**).

ART. 2. — De versione aethiopica

88. Memoriae proditum est in ecclesiastica historia, regni Axumitae incolas, quos Aethiopas vel Habessinos usuvenit appellari, saeculo quarto fuisse ad Christi fidem conversos (1). Quando in eorum linguam, quam ipsi *ge'ez* appellant, versi primum fuerint sacri libri, non constat; forte iam saeculo quinto, praecipui saltem et qui frequentissime legerentur. Utut id se habeat, versio aethiopica ad nos pervenit tradita codicibus recentibus (antiquissimus unus vel alter est saec. 13), postquam primaeva interpretatio vario modo ad codices graecos, ad copticos, ad arabicos, ad ipsum, ut videtur, textum hebraicum, rectractata fuerat, adeo ut rari sint omnino codices qui sat puram exhibeant antiquam versionem; huiusmodi sunt: in octateucho Londinensis Societatis Biblicae; Parisinus 3; in libris Regum Vaticanus Borgianus aeth. 3; Parisinus Abbadianus 57; in Prophetis Parisinus Abbadianus 55; Berolinensis Pet. II Nachtr. 42; in Novo Testamento Parisini 32. 45.

Facta est generatim haec versio (forma antiquissima) e codice graeco simillimo, in Veteri Test. praesertim, Vaticano B, et textum reddit fideliter, quanquam non raro satis imperite. Unica editio integra, passim retractata, prodiit nuper cura Missionis catholicae, Asmara 1920-1926 (2).

---

(1) Cf. RUFINI, *Hist. eccl.* 1, 9 in *PL* 21, 475 s.; I. GUIDI, *Abyssinie* in *Dictionn. d'hist. et de géogr. eccl.* 1, 210 s.; ID., *La Chiesa abissina*, Roma 1922.

(2) Subsidia philologica et bibliographica: *A. DILLMANN, *Grammatik der äthiop. Sprache*[2] Leipzig 1899; ID. *Lexicon linguae aethiopicae*, Lips. 1865; *I. PRAETORIUS, *Grammatica aethiopica*, Lips. 1886; M. CHAINE, *Grammaire éthiopienne*, Beyrouth 1907; VIGOUROUX, *Dict.* 2, 2014-2033; C. CONTI ROSSINI, *Sulla versione e revisione delle S. Scritture in etiopico* in *Zeits. f. Assyriologie* 10 (1895), 236-241;

Prodierant prius: A. Dillmann, *Octateuchus* (Lipsiae 1853), libri Regum (ibi 1861), deuterocanonici Vet. Test. (ib. 1894); O. Boyd *Octateuchus* (Leyden 1909); J. Bachmann, *Isaias* (Berlin 1893); *Lam. Abd. Mal.* (Halle 1892-93); E. Pereira, *Iob, Esther, Esdra-Neem.* (in *Patrol. orient.* tom. 2. 9. 13); *Psalmi* et *Cant.* in Polyglottis Londin. et separatim typis Congregationis a Propaganda Fide, et apud Societatem Biblicam; *Novum Test.* ibidem. O. Löfgren critice edidit *Dan.* (Paris 1927), *Proph. min.* (Uppsala 1930); S. Mercer *Eccle.* (London 1931).

Art. 3. — De versionibus arabicis

89. Inter versiones arabicas, utpote iunioris originis, illae solae considerandae veniunt, quae vel a Judaeis ex hebraico textu adornatae fuerunt, vel a LXX versione immediate profluxerunt; illae exegetice potius aestimandae, istae critice (1). Speciale momentum habet Tatiani Diatessaron arabica translatio, de qua n. **79**.

Inter Iudaeos interpretes eminet Saadias Gaon, qui vertit Pentateuchum, Iob, Psalmos, Prov., Isaiam; pleraque edita a J. et H. Derenbourg in Saadias al Fayyoumi, *Oeuvres complètes* (Paris 1893-99); Pentateuchus habetur etiam in Polyglottis Parisiensi et Londinensi. Inter versiones e LXX notatu digna est versio prophetarum et (inferiore loco) librorum sapientialium, quae in dictis Polyglottis continentur; cf. *Biblica* 2 (1921), 401-423; *Journ. of bibl. Lit.* 44 (1925), 327-352.

In Novo Test. antiquitate commendantur codices Vaticani 13, Borg. arab. 95 (Evangelia), et quae edidit Gibson in *Studia sinaitica* 2, 7 (Actus et Epistolae).

L. Hackspill, *Die äthiop. Evangelienübers.* ibi 11 (1896), 117-196; I. Guidi, *Le traduzioni degli Evangeli in arabo e in etiopico* (Lincei, Memorie IV, 4 [1888], 5-37); J. M. Harden, *An Introduction to the Ethiopic christian literature*, London 1926.

(1) Subsidia philologica et bibliographica: A. Durand et L. Cheikho *Elementa grammaticae arabicae cum chrestomathia, lexico, variisque notis*, Beryti 1896; *A. Socin, *Arabische Grammatik*[9] Berlin 1925; *G. W. Freytag, *Lexicon arabico-latinum*, Halis 1830-37, 4 vol.; id. ibid. 1837, 1 vol. « ex opere maiore excerptum »; Vigouroux, *Dict.* 1, 835-856; *P. Kahle, *Die arabischen Bibelübersetzungen. Texte mit Glossar.* Leipz. 1904; J. B. B. Belot, *Vocabulaire arabe-français à l'usage des étudiants,*[11] Beyrouth 1923; G. Jacob, *Arabische Bibelchrestomathie*, Berlin 1888; G. Graf, *Die Christlich-arabische Literatur bis zur fränkischen Zeit*, Freiburg i. B. 1905; Id. *Der Sprachgebrauch der ältesten christlich-arab. Literatur*, Leipz. 1905.

ART. 4. — De versione armeniaca

90. Primam sacrorum librorum versionem Armenorum natio traditur accepisse e syriaca lingua, cum esset sub finem saec. IV subiecta Persis et syriacae culturae influxui magis pateret. Sed paulo post ad hellenismum magis attracta, circa tempora Concilii Ephesini (431) totam sacram Scripturam, codicibus, ut fertur, Constantinopoli accitis, e graeca lingua convertit, auctoribus praesertim Isaaco Magno patriarcha (390-440) et Mesrope. Cum lingua armeniaca sit ex illis quas indoeuropaeas vocant, graecus textus potuit in illam transfundi cum summa simul fidelitate, vi atque elegantia (1). In Veteri Test. haec versio sequitur ubique fere textum hexaplarem seu recensionem Origenis; in Novo affinis est maxime codici Koridethensi (Θ), h. e. textui Caesariensi (n. **48**).

Optima editio totius Scripturae curata a Ioh. Zohrab Venetiis, typis Mechitaristarum 1805; textus haustus est ex octo codicibus non admodum vetustis sed bonis, variantes lectiones additae ad calcem. Idem textus sine variantibus ibidem 1860 (pro Ecclesiastico, quem Zohrab dederat in Appendice, editur hic primum alia versio antiquior). Solius Novi Testamenti: Venetiis 1877, Vindobonae 1864; F. MACLER, *L'évangile arménien*, Paris 1920 (editio phototypica cod. Etchmiadzin 229).

ART. 5. — De versione georgiana

91. Cum armeniaca cohaeret versio georgiana (lingua Iberorum in Caucaso). Nam primi libri in eam linguam versi (saec. V-VI) ab armeniaca versione utcumque dependent. Serius (saec. X), ope praesertim monachorum iberorum in monte Athos, e lingua graeca

(1) Subsidia philologica et bibliographica. I. H. PETERMANN, *Brevis linguae armenicae grammatica, litteratura, chrestomathia cum glossario.*[2] Lips. 1872; A. MEILLET, *Esquisse d'une Grammaire comparée de l'Arménien classique*, Paris 1903; I. MISKGIAN, *Manuale Lexicon armeno-latinum*, Romae 1887; CIAKCIAK, *Dizionario armeno-italiano*, 2 vol. Venezia 1837; VIGOUROUX, *Dict.* 1, 1010-1015; S. SOMAL, *Quadro della storia letteraria d'Armenia*, Venezia, 1829; V. ERMONI, *Etude critique sur la version arménienne de la Bible* (Congrès scient. cath. Fribourg 1896, Sect. 2. p. 317); F. MACLER, *Le texte arménien de l'Evangile*, Paris 1919; cf. *Biblica* 4 (1923), 220-229; 356-374; *Rech. de science rel.* 11 (1920), 20-54. «Concordantia V. et N. Testamenti» armeniace edita est Ierusalem 1895.

ceteri omnes libri versi, priores retractati sunt. Quam recensionem sequatur ea versio in V. T. nondum inquisitum est; in Novo accedit ad textum Caesariensem (1).

Unica editio integra hucusque prodiit Moscuae 1743 e fontibus manuscriptis, sed ad slavonicam versionem retractatis Reimpressa V. T. Tiflis, 1884; N. T. ibid. 1879. — Editiones criticae: Mat. et Mc. in *Quattuor Evangeliorum versio Georgia vetus...* ed. W. Benesevic, fasc. 1; 2 Petropoli 1909, 1911; Mc. in *Patrol. Orient.* 20, ed. R. P. Blake.

Art. 6. — De versione gothica

92. Constat ex historia ecclesiastica Ulfilam (seu Wulphilam) Gothorum episcopum († circa 383) in linguam suae gentis transtulisse omnes sacros libros praeter Regum (Philostorgius, *Hist. eccl.*, 2, 5 in Migne *PG* 65, 469). Hinc iure ipsi tribuuntur versionis gothicae fragmenta quae exstant in codice argenteo Upsaliensi saec. vi, et in palimpsestis olim Bobbiensibus, nunc Ambrosianis, Vaticanis, Taurinensibus, Guelpherbitanis (Wolfenbüttel, *Codex Carolinus*, gothico-latinus).

Edita primum ab O. Castiglione (Mediolani 1819-1839) et A. Uppström (Upsala 1854), habentur nunc in Migne *PL* 18, 407-872. Optima editio cum omnimodo apparatu: W. Streitberg, *Die gotische Bibel*[2], Heidelberg, 1919 (2). Aliud breve fragmentum inventum postea in Aegypto editum est a P. Glaue et K. Helm, *Das gotisch-lateinische Bibelfragment der Universitätsbibl.* Giessen 1910 (in *Zeits. neut. Wiss.* et separatim).

Ulphilae versio in Veteri Test. consonat cum codicibus Lucianeis, in Novo cum textu recepto, h. e. ubique cum recensione an-

---

(1) Cf. A. Palmieri, *Le versiohi georgiane della Bibbia*, in *Bessarione* ser. 2, 5 (1903), 259.322; 6 (1904), 72.189; H. Goussen, *Die georgische Bibelübersetzung* in *Oriens christ.* 6 (1906), 300-308; R. P. Blake, *Ancient Georgian version of the O. T.*, in *Harvard theol. Rev.*, 19 (1926), 271-297; id., *The date of the Georgian Version*, ib. 21 (1928), 358-375; Fr. Zorell, *Ursprung und Eigenart der georg. Bibelübersetzung* in *Handes Amsorya*, 1927, 669-680.

(2) Cf. eiusdem Streitberg, *Gotisches Elementarbuch*[4] ibid. 1910, ubi affatim habentur, quae ad subsidia philologica et bibliographica pertinent. Adde: W. S. Friedrichsen, *The Gothic version of the Gospels*, Oxford, 1926; A. Wilmart, *Les évangiles gothiques*, in *Rev. bibl.*, 1927, 46-61.

tiochena; cf. LAGARDE, *Librorum V. T. canonicorum*, pars prior, p. XIV; STREITBERG, o. c., p. XXXI-XLVI; H. LIETZMANN, *Die Vorlage der got. Bibel*, in *Zeits. f. deut. Altert.* 56 (1919), 249-378.

ART. 7. — De versione slavonica

93. Satis constat ex historia ecclesiastica, Slavorum apostolos Cyrillum et Methodium fratres (saec. IX) sacros libros in linguam (1) populorum ab ipsis christiana fide imbutorum transtulisse: non tamen omnes libros, sed (ut verisimile videtur) eas partes potissimum, quae in s. liturgia publice legebantur. Haec antiqua versio duplici traditionis tramite ad nos usque pervenit: codicibus charactere cyrillico (russico) et codicibus glagolitico exaratis. Codices inter se differunt, ipsa versio variam fortunam passa esse videtur. Vergente saec. XV Gennadius, metropolita Novogradensis (Nowgorod), cum vellet totam s. Scripturam in slavonica versione simul habere, plures libros V. T. (Par. Esd. Tob. Iudith, Sap. Macc. Ieremiae maiorem partem), nullo codice invento, curavit vertendos e Vulgata. Huic Gennadii collectioni slavonicae versionis editiones priores sunt superstructae. Recentius coepti sunt antiqui codices edi. Cui graecae recensioni innitantur, nondum ad liquidum deductum est; textum praebent mixtum, cum multis lectionibus caesariensibus (2).

Editio princeps totius s. Scripturae prodiit Ostrog 1581. Eadem, retractata in V. T. ad graecam editionem E. Grabe (n. 69), Petropoli 1751 publica auctoritate emissa et praescripta est; hanc editionem (Elisabethanam vocant) sequuntur omnes recentiores apud Slavos orthodoxos ubique diffusae.

---

(1) Multis nominibus donata est: palaeoslavica, palaeoslovenica, slavica ecclesiastica, vetus slavica, vetus bulgarica, slavonica, quod praeferimus.

(2) Cf. A. SNOJ in *Biblica* 3 (1922), 180-187 et *Bogoslovni Vestnik* 2 (1922) 105-115; J. VAJS, *Evangelium sv. Marka a jeho poměr k řecke předloze* Pragae, 1927 p. 12-28. 126 s.. Plura de historia huius versionis in *Christanskoje čtenije* 92. 93 (1912-13) passim (E. EVSEIEV); *Archiv für slavische Philologie* 35 (1914), 12 (J. VAJS); V. JAGIČ, *Zur Entstehunggeschichte der kirchenslavischen Sprache*, Wien 1900.

Ad linguam: A. LESKIEN, *Grammatik der altbulgarischen (altkirchenslavischen) Sprache*, Heidelberg 1909; id. *Handbuch altbulg. Sprache* ib. 1922: Fr. MIKLOSICH, *Lexicon palaeoslovenico-graeco-latinum* Vindobonae, 1862; ST. KULBAKIN, *Le vieux slave*, Paris, 1929.

De antiquis codicibus edendis optime sut meriti praesertim V. Jagič, (*Quattuor Evangeliorum codex glagoliticus*, Berolini 1879; *Quattuor Evang. ...codex Marianus* ibi 1883; *Psalterium Bononiense*, ib. 1907 etc.) et J. Vajs (*Analecta s. Scripturae ex antiquioribus codd. glagoliticis*, Veglae 1905-1913; *Psalterium palaeoslovenicum*, Pragae, 1916; *Kritické Studie*, ib. 1926... etc.).

CAPUT IV

De versionibus latinis antiquis (1)

Art. 1. — De earum origine atque indole

« Qui Scripturas ex hebraea lingua in graecam verterunt, numerari possunt; latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari ». Haec Augustinus, *De doctr. christ.* 2, 16; *PL* 34, 430, quibus in verbis tres tanguntur quaestiones ad antiquissimas versiones latinas spectantes: de tempore, de numero, de valore (2).

94. De tempore. — Verba Augustini « primis fidei temporibus » nec aetatem absolute determinant, nec nimium premenda sunt. Ex actis Martyrum Scillitanorum (180) qui, cum essent ex infima plebe et graece nescirent, ferebant tamen apud se « libros et Epistolas Pauli » (3), item ex Tertulliani citationibus, certo concludere possumus *sub finem saec. II* plures saltem libros divinae

(1) In versionibus latinis, tam antiquis quam vulgata, nemo nobis succensebit si, in gratiam cleri latini et totius nostrae culturae, solito fusiores fuerimus.

(2) Ad *bibliographiam* de versionibus latinis antiquis, praeter ea quae tradunt *Lexica* biblica, in primis Vigouroux et Hastings, haec sufficiat adnotasse: M. Schanz, *Geschichte der röm. Literatur*[2] München 1905, § 772. 773; *P. Corssen, *Bericht über die latein. Bibelübers.* in *Jahresbericht class. Altertumswiss.* 101 (1899), 1-83; U. Moricca, *Storia della letteratura latina cristiana* 1 (Torino 1925) 32-48. W. Drum, *The old Latin Text* in *Eccles. Rev.* 59 (1918, 2), 89-99; E. Diehl *Zur Textgeschichte des lat. Paulus*, in *Zeits. neut. Wiss.* 20 (1921), 97-132; H. I. Vogels, *Untersuchungen z. Geschichte der lat. Apocalypse-Uebersetzung*. Düsseldorf 1920; Fr. Stummer, *Einführung in die lateinische Bibel*, Paderbon 1928, p. 4-76; K. Schäfer, *Untersuch. zur Gesch. der lat. Uebers. des Hebr.*, Freib. i. B. 1929; A. Allgeier, *Die Altlat. Psalterien* ib. 1928.

(3) Ed. *J. A. Robinson in *Texts a. Studies* 1, 2 (Cambr. 1891) p. 114 sq.; G. Rauschen, *Florilegium patristicum* 3 (Bonn 1905) p. 105; *R. Knopf, *Ausgew. Märtyrerakten*[2] (Tübingen 1913) p. 32.

Scripturae in Africa fuisse latine versos. In eadem regione quinquaginta circiter post annis Cyprianus tanta constantia plurimos locos ex omni fere Scriptura adducit, ut versionem integram in usum publicum iamdiu abiisse necessario sit dicendum (1).

Minus certe conicere possumus, deficientibus documentis, quid factum sit extra Africam, in qua primum peractam fuisse latinam versionem communis et probabilis sententia est, cum illic et frequentia fidelium et ignorantia graeci sermonis maturius illam reddiderit necessariam. Romae certe, in qua tamen urbe magnus erat Christianorum numerus de plebe, diu perseveravit usus graecae linguae in liturgia, et ipsi scriptores usque ad primam partem saec. III in libris evulgandis graeca lingua usi sunt. Medio eodem saeculo certa documenta de hac re habemus in scriptis Novatiani aliorumque de romano clero auctorum. In quibus si trutinae subiciantur citationes sane plurimae e libris sacris, duo videntur tuto posse confici: 1. eas esse desumptas e versione iam facta atque usu fixa; 2. hanc versionem ab illa, qua utitur Cyprianus, magnopere differre, adeo ut penitus alia dicenda sit (cf. D'ALÈS, *Vetus Romana*, in *Biblica* 4 [1923], 59-90). Itaque duo saltem statui possunt latinae versiones *saec. III* exortae, alia Romae, alia in Africa.

95. De numero. — Quod innumeri fuerint latini interpretes, id et ex Augustini sententia et in re ipsa, non tam hypothetice et a priori, quam de facto ex ipsarum versionum examine, ita explicari potest, quod singuli libri a singulis interpretibus latine redditi fuerint, non quod multae extiterint integrae totius Scripturae versiones. Sic, v. g., quatuor Evangelia, quae adhuc legimus in Vulgata, probantur a tribus saltem distinctis interpretibus fuisse in latinum sermonem conversa. Utique accidit, ut ex adverso idem liber a pluribus latinitate donatus fuerit. Sic in libro Levitici codices Lugdunensis, Monacensis, Wirceburgensis tres diversas exhibent versiones, quibus addenda illa qua utitur S. Augustinus (*Locutiones et Quaestiones in Heptateuchum PL* 34, 485-824). At vicissim in quibusdam libris, v. c. Sapientia et Ecclesiastico, non sunt certa vestigia nisi unius versionis. Ex multis ergo versionibus partialibus

(1) Cf. Hans von SODEN, *Das lat. N. T. in Africa zur Zeit Cyprians* (in Texte und Unters. 36), Leipzig, 1910.

conflata est una vel paucae versiones totales, illae ipsae non adaequate inter se distinctae. Ex his deinde versionibus primitivis per correctionem e variis codicibus graecis, per corruptiones in transmissione manuscripta ordinarias, per mutuum influxum, satis explicantur omnes lectionum varietates quotquot occurrunt apud scriptores posteriores et in codicibus manuscriptis, quorum tanta erat saeculo IV vergente discrepantia, ut quereretur Hieronymus « tot esse exemplaria quot codices » (*Ad Damas. Praef. in Ev., in Ios. Praef.*).

96. De valore. — Antiquarum versionum latinarum valor triplex statui potest: linguisticus, criticus, exegeticus. Sub respectu *linguistico* magnum habent momentum ad cognitionem sermonis vulgaris, ad evolutionem latinae linguae, ad eiusdem transitionem in linguas neolatinas. Cf. CAVEDONI, *Saggio della latinità biblica dell'antica Volgata itala* (Modena, 1869); RÖNSCH, *Itala und Vulgata* (Marburg 1869) et *Collectanea philologa* (Bremen 1891). Nam antiqui illi interpretes, elegantiae incuriosi, divinum verbum ad captum populi qua maxime poterant simplicitate et claritate reddere studebant, ita ut etiam hac via praedicatio Evangelii esset non in verbis sed in spiritu, triumphus Christi non lenocinio sermonis ageretur sed virtute rerum (1 Cor. 2, 4; 4, 20).

Valor in usu *critico* pendet a duabus proprietalibus: bonitate textus unde vertunt, fidelitate in eo vertendo. Fidelitas antiquarum versionum latinarum plerumque tanta est, ut vix desiderari possit maior, adeo ut ad servilitatem potius vergat. Verbum enim de verbo exprimunt, non raro vocabula ipsa graeca retinentes, unde plura in communem linguam christianorum abierunt, ut baptismus, anathema, holocaustum, mysterium, scandalum, etc. Quantum ad textum, e quo immediate dimanant, constat omnes ad unam latinas versiones ante Hieronymum e graeca lingua derivari. Si autem agatur de primitiva forma harum versionum, cum tempore antevertat recensiones a graecis PP. saec. III vergente factas (cf. supra n. **64-67**), facile intellegitur, quanto possit esse adiumento ad sinceram LXX interpretum versionem restituendam. Pluribus certe in libris antiqua latina ab elementis hexaplaribus purior est quam ipse codex optimus Vaticanus; cf. BURKITT, *Rules of Tycho-*

nius p. CXVII (Texts and Studies 3). In N. T. pendent ab ea forma textus, quae ab ipsis potissimum appellata est occidentalis, de cuius auctoritate adhuc disputant eruditi (cf. supra n. **45**), unde ad historiam magis quam ad emendationem textus conferunt.

Valor denique *exegeticus* non est tantus. Neque enim plane immerito veteres illi interpretes latini ab Augustino (l. c. et *Ep.* 82, 35; *Quaest. in Exod.* 177, 9) et a Hieronymo (*Praef. in lib. Salom. PL* 29, 403; *Comm. in Ierem.* 21, 2. *PL* 24, 872; *Comm. ad Gal.* 4, 5. *PL* 26, 372, etc.) imperitiae arguuntur; nam saepe nec ad varios graeci vocabuli sensus nec ad contextum attendunt, quadam mechanica translatione contenti. Unde auctor quidam Augustino et Hieronymo coaevus, quanquam utrique infensus (1), queritur quod « in prioribus illis editionibus elocutiones vitiatae frequenter sensum vel doctrinae vel narrationis dirumpant, ut divinatione magis quam conditione [cognitione?] opus esse videatur », laudat e contrario S. Hieronymi translationem eo quod « elocutionis integritate illa interceptorum sensuum damna frequenter evitat » (MIGNE *PL* 21, 961). Quo magis laudandum est Dei providentis consilium, qui Doctorem maximum excitaverit, ut eius munere catholicam Ecclesiam optima sacrorum librorum interpretatione donaret. Id melius sane intellegetur, postquam breviter, quae fuerit conditio antiquarum versionum latinarum in saeculo IV, adumbraverimus. Interim, quid ad nos pervenerit ex antiquis illis versionibus, videtur hoc loco recensendum.

97. Antiquarum versionum latinarum *codices* praecipui sunt (2):

IN VETERI TEST. Octateuchi; *Lugdunensis* saec. VI-VII, edidit R. ROBERT, *Pentateuchi versio lat. antiquissima*, Paris 1881; *Heptateuchi..., versio lat. ant.* Lyon 1900. *Wirceburgensis* saec. VI, ed. E. RANKE, *Par palimpsestorum wirceburg.* Vindobonae 1871. *Monacensis* saec. V-VI, ed. L. ZIEGLER, *Bruchstücke einer vorhieron. Uebersetzung des Pentateuch* München 1883. In codice *Ottoboniano* Vulgatae (infra n. **116**) saec. VII sunt quaedam partes Genesis et Exod. secundum antiquam versionem; edidit C. VERCELLONE, in *Variae lectiones*, tom. I, p. 183-307. Cf. A. V. BILLEN, *The Old Latin Texts of the Heptateuch* Cambridge 1927.

Regum: *Quedlinburgensis* saec. VII, ed V. SCHULTZE, *Die Quedlinb. Itala-Miniaturen*, München 1898; *Vindobonensis* (nunc iterum Neapolitanus) saec. V, ed. J. BELSHEIM, *Palimpsestus Vindobonensis*, Christianiae 1885.

(1) Cf. G. MORIN, *Un ouvrage restitué à Julien d'Eclanum* in *Rev. bén.* 1913, 1-24.
(2) Cf. VIGOUROUX, *Dict.* 4, 102-111. 694; HASTINGS, *Dict.* 3, 49-52.

Libr. sapientialium: *Vindobonensis*, ed. A. Vogel, *Beiträge zur Herstellung der altlat. Bibelübers.* Wien, 1868; *Veronensis*, ed. Clark, *Some Itala fragments in Verona* 1909. Multa praeterea psalteria a variis edita, ut Veronense a Bianchini *Vindiciae canon. Scripturarum* Romae 1740; Sangermanense a Sabatier (cf. infra); Mediolanense a Magistretti, *Manuale ambrosianum*, 1, Mediolani 1905.

Prophetarum: *Constantiensis* (olim Weingartensis) saec. vi, ed. A. Dold, *Konstanzer altlatein. Propheten- und Evangelien — Bruchstücke* Beuron, 1923; *Wirceburgensis* saec. vi, ed. Ranke (cf. supra). *Legionensis*, ed. Hoberg, *Die alteste latein. Uebers. des B. Baruch*, Freiburg 1902.

In Vulgata ex antiqua latina hodieque habentur: Sap., Eccli., 1. 2 Macc., Baruch.

In novo testamento codices antiquae latinae designari solent litteris latinis minusculis. Notatu dignissimi sunt *Evangeliorum:*

a = Vercellensis saec. iv; ed. Card. A. Gasquet, Romae 1924.

b = Veronensis saec. iv-v; ed. (cum a) Bianchini, *Evangeliarium quadruplex*, Romae 1748 ; inde in *PL* 12.

d = Cantabrigensis (pars latina cod. graeci D; cfr. supra n. 42).

e = Palatinus saec. v; ed. Tischendorf, Lips. 1847 (1).

f = Brixianus saec. vi; ed. Bianchini (l. c.) et Wordsworth-White in editione de qua n. **101** fine.

h = Claromontanus, Vat. lat. 7223, saec. v (tantum in Mat., cf. tab. 5); ed. I. Belsheim, Christiania 1892.

k = Bobiensis saec. iv (nunc Taurini), ed. Acad. Taurin. 1913.

Pauli:

r = Frisingensis ed. de Bruyne, *Les fragments de Freising*, Rome 1921.

d = Claromontanus (pars latina cod. graeci D Pauli; cf. n. **42**).

Actuum et cath.:

gigas = Holmiensis saec. xiii, ed. Belsheim, Christiania 1879.

h = Floriacensis saec. vii; ed. Berger, Paris 1889.

Generalis collectio: P. Sabatier, *Bibliorum sacrorum latinae versiones antiquae*, tomi 3, Reims-Paris 1751. Paratur editio renovata, post J. Denk, *Der neue Sabatier*, Leipzig 1914, cum specimine (Ruth et Iudae), a Benedictinis Beuronensibus. Collectiones recentes: *Old Latin Biblical Texts*, Oxford (1883...), *Collectanea Biblica Latina*, Romae (1912...).

Art. 2. — De earum propagatione ac permixtione.

98. Per decursum saeculi iv, sicuti in Oriente per tres illas recensiones, Origenis (sive Eusebii et Pamphili), Hesychii et Luciani « totus orbis inter se trifaria varietate compugnabat » ut ait testis oculatus Hieronymus (*Praef. in Paral.*), sic in Occidente inter Latinos eaedem illae graeci textus recensiones augendae

(1) Cf. H. Vogels, *Evangelium Palatinum, Studien zur ältesten Geschichte der lat. Evangelienübers.* Münster 1926. Nunc est Tridenti in Museo civico.

varietatis inter latinos codices causa fuerunt. Non enim est dubium, quin et graeci codices variae originis et indolis inter Latinos diffusi fuerint, et ad eos *retractati* latini codices.

Itaque additamenta *Origenis hexaplaria* adeo erant in latinis libris propagata, ut Hieronymus ad Augustinum scribere potuerit, utique non sine quadam exaggeratione: « Vix unus aut alter invenietur liber qui ista non habeat » (Ep. 112, 19; *PL* 22, 928); et ipse Augustinus de asteriscis et obelis origenianis: « Multi codices (ait) has notas habentes usquequaque diffusi sunt, et latini » (*De Civ. Dei* 18, 43). Idem in Gen. 28, 5 ubi legit « in Mesopotamiam Syriae » adnotat: « quamvis hoc Septuaginta non habere perhibeantur " Syriae ", sed cum asterisco scriptum est » (*Locut. in Gen.* 103). Etiam apud Ambrosium *De interpellatione Iob* multa leguntur in latina versione Iobi, quae in fontibus graecis sub asterisco ponuntur.

Quantum ad *Hesychianam* recensionem sufficiat haec duo facta animadvertisse: 1. Augustinus in quaestionibus et locutionibus in Heptateuchum (1) constanter adhibet versionem omnino conformem illi recensioni, quam probabiliter Hesychio deberi diximus; 2. in libro Ruth antiqua versio, quae nobis servata est in codice Complutensi, a nulla forma graeci textus tantopere pendet, ut probavit A. Rahlfs (*Nachr. Göttng. Ges.* 1922, 132 ss.), quam ab hac eadem ipsa de qua dicimus.

Denique antiquorum latinorum cum *Luciano* tanta connexio est, ut passim dicatur versio latina antiqua sequi lucianeam recensionem; quod ita verum esse concedemus, si cum restrictione et distinctione usurpetur; plura certe fragmenta antiquae versionis adhuc exstantia cum Luciano in primis faciunt; cf. Vercellone, *Variae lectiones*, 2, p. 436; L. Dieu, *Retouches lucianiques sur quelques textes de la vieille version latine* in *Rev. bibl.* 1919, p. 372-403.

Quod autem incessanter et passim emendarentur latini codices ad graecos, habemus de se ipso testificantem Augustinum: « Nos non interpretati sumus, sed codicum latinorum nonnullas mendositates ex graecis exemplaribus emendavimus... etiam nunc, quae forte tunc nos praeterierunt... conlatis codicibus emendamus » (*Ep.* 261 fine; *PL* 33, 1017); de Rufino affirmantem habemus (nec Rufinus abnuit) Hieronymum (*contra Ruf.* 3, 25; *PL* 23, 476); de Ambrosio recte colligimus ex eius explanationibus in psalmos.

99. Ad hanc e textibus varietatis causam accedebat alia, nempe *emendatio* a linguisticis imperfectionibus et cultioris *lati-*

(1) *PL* 34, 466-824; *Corpus scr. eccl. lat.* 28. Cf. W. Rüting, *Untersuchungen über Augustin's Quaest. u. Locut. in Heptat.* Paderborn 1916 (cum cautela; cf. *Bibl. Zeits.* 15, 53); Mc Intosh, *A study of Augustine's versions of Genesis* Chicago 1912; C. H. Milne, *A reconstruction of the Old Latin Text... used by S. Aug.*, Cambr. 1926.

nitatis studium, quam cordi fuisse doctioribus et praepositis Ecclesiae ex Augustino constat (*De doctr. christ.* 2, 20; *PL* 34, 45), licet ipse profiteretur se malle cum barbarismo a populo intellegi, quam in gratiam litteratorum de intellegentia periclitari (ibi 3,7; item *in Ps. 36* Sermo 3, 6; *PL* 36, 386). Accedebant praeterea ordinariae causae, *negligentia ac lapsus*, interdum praesumptio amanuensium, *influxus* unius libri vel loci in alium similem (*parallelum*), « unde accidit (ait Hieronymus) ut apud nos mixta sint omnia, et in Marco plura Lucae atque Matthaei; rursus in Matthaeo plura Iohannis et Marci et in ceteris reliquorum quae aliis propria sunt inveniantur » (1); *influxus* denique *unius codicis in alium*, unius in aliam recensionem, adeo ut ex his variis fontibus multa mixtura diversorum elementorum facta fuerit.

In tanta tamen varietate pauci quidam typi in se satis uni et inter se distincti discerni possunt. Communiter agnoscuntur duo magnae *familiae*, altera *africana*, altera *europaea*, quae iterum a nonnemine subdistingui solet in italicam et gallicam. Africani agnoscuntur in N. T. codices *e k*, europaei plerique alii, praes. *a b*. (2) Verum multo adhuc studio et diligenti inquisitione opus est, ut res ad liquidum deduci queat. Hic discutienda breviter venit celeberrima quaestio de *itala* versione ex verbis AUGUSTINI *de doctr. christiana* 2, 22 (*PL* 34, 46) exorta.

100. In eo loco s. Doctor docet utiliter consuli varias eiusdem loci interpretationes, quia ex hac collatione codicum rectius discitur vel sensus totius loci vel vis alicuius vocabuli antea parum noti. Monet deinde, primam curam eorum, qui divinas Scripturas nosse desiderant, esse emendationem codicum, « ut emendatis non emendati cedant, ex uno dumtaxat interpretationis genere venientes ». Denique prosequitur: « In ipsis autem interpretationibus *itala ceteris praeferatur*, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae ».

De hac celeberrima sententia Augustini iuverit haec animadvertisse:

1. Hic est unicus locus in tota antiquitate, ubi de itala versione fiat sermo, etsi non raro alibi et ipse Augustinus et alii Patres latini (Hilarius,

(1) In *Praefatione ad Damasum*, quae praemittitur Evangeliis in editionibus.

(2) Afri agnoscuntur codices e similitudine cum versione, quam citat S. Cypranus. Quae vocabula, quas locutiones adament afri interpretes (in hoc enim consistit *africitas*, ut aiunt; non quod Afris sint exclusive propria), videas apud SANDAY in *Old Latin Bibl. Texts* II, p. C-CXXV; H. von SODEN, *Das lat. N. T. in Africa* p. 325-352; P. CAPELLE, *Le texte du Psautier latin en Afrique* passim (cf. Index).

Ambrosius, Hieronymus) de varietate codicum et interpretationum loquantur.

2. Hic Augustini locus ita communiter intellectus est, quasi agat de solis versionibus latinis; proinde itala versio inter latinas tempore Augustini usitatas quaesita est. Plerique putant ita appellari versionem, quae in usu esset per Italiam. Recenter alii e contrario contenderunt, Augustini italam non aliam esse quam Hieronymi versionem, quam nunc appellamus Vulgatam (1).

3. At vero contra priores facit, quod Augustinus et alibi (praes. in Ep. 72,6: 82,35) et in ipso *de doctrina christiana* 2, 16, ut vidimus, antiquas latinas omnes imperitiae arguit ac tanquam ineptas reicit. Contra alteros est, quod s. Doctor versionem s. Hieronymi ex hebraico neque faciendam probabat, neque factam ullo pacto LXX interpretibus praeferri patiebatur (Ep. 72, 4; 82, 35; *de Civitate Dei* 18, 43).

4. His aliisque de causis plures in dies admittunt, hoc in loco Augustinum non exclusive loqui de versionibus latinis, sed generale principium enuntiare, quod omnes, etiam graecas, interpretationes complectatur; cf. *Rev. bibl.*, 1897, p. 476; 1921, p. 466; *Bull. de littér. ecclés.*, 1915-16, p. 413; *Recherches de science relig.*, 1921, p. 219; *Civ. catt.* 1915, IV, p. 33; *Biblica*, 3 (1922), p. 93. Nec paucis suspecta est ipsa vox *itala* et corrupta esse videtur vel ex *illa* vel ex *usitata* vel ex *Aquila*; H. Quentin putat hic aliquid excidisse, sic ex parte supplendum: *ita...* unde fit, ut a Iudaeis Aqui]*la ceteris praeferatur* etc. (2).

CAPUT V.

De versione latina vulgata

101. Multos Ecclesiae graecae interpretes, latinae unum ac postremum omnium dedit Deus, sed eum qui unus sit instar multorum, S. Hieronymum. Natus Stridone in Dalmatia, Romae excultus humanis litteris, per Orientem divinis, hebraice doctus, in sacrorum interpretum lectione tam versatus quam qui maxime, ingenio pollens admodum versatili, accessit ad interpretis munus egregie praeparatus a Deo.

---

(1) Burkitt, *Old latin and Itala*, p. 55-65; D. De Bruyne, *L'Itala de S. Augustin*, in *Rev. bénéd.* 30 (1913), p. 296; *Rev. d'hist. eccl.* 1927 p. 779.

(2) *Rev. bibl.* 1927, 216-225. Ceterum cf. F. Cavallera, *Saint Augustin et le texte biblique* in *Bull. de littér. eccl.* 7 (1915-16), 365. 410; W. Drum, *The Itala of St. Augustine* in *Eccles. Rev.* 59 (1918, 2), 309-317; *Rev. bibl.* 1921, 464 sq.; *Civ. Catt.* 1916, 1, p. 77-84; 1927, IV p. 108-117.

De S. Hieronymo, eius vita et operibus, cf. D. Vallarsi in editione *Operum S. Hieron.*, Veronae 1734-42 et Venetiis 1766-71; Migne, *PL*, 22-30, praes. in *Vita ex eius potissimum operibus concinnata*, ibi, vol. 11, *PL* 22; *R. Grützmacher, *Hieronymus*, 3 vol., Leipzig 1901-1908; F. Cavallera, *Saint Jérôme – Sa vie et son œuvre*, Louvain 1922. Multa etiam suppeditabunt O. Bardenhewer, *Geschichte der altkirchl. Lit.* 4, Freib. i. B. 1902, 605-654; M. Schanz, *Geschichte der röm. Lit*². 4, 1, München 1914, p. 429-499; L. Schade, *Die Inspirationslehre des h. Hieron.*, Freib. i. B. 1910; A. Vaccari, *S. Girolamo*, Roma 1920; A. Ficarra, *La posizione di S. Girolamo nella storia della coltura*, Palermo-Agrigento 1930; U. Moricca, *Storia della letteratura latina cristiana* II, Torino 1928, pp. 1213-1399.

De Vulgata. — *In universum*: L. van Ess, *Pragmatisch — kritische Geschichte der Vulgata*, Tübingen 1824; F. Kaulen, *Geschichte der Vulgata*, Mainz 1868; *S. Berger, *Histoire de la Vulgate pendant les premiers siècles du moyen-âge*, Paris 1893; H. Quentin, *La Vulgate à travers les siècles et sa révision actuelle*, Roma 1926; F. Stummer, *Einführung*, p. 77-221. I. M. Vosté, *De latina Bibliorum versione quae dicitur «Vulgata»*, Romae 1927.

Ad criticam. — C. Vercellone, *Variae lectiones vulgatae latinae Bibliorum editionis*, 2 vol., Roma 1860-64; *E. Dobschütz, *Studien zur Textkritik der Vulgata*, Leipzig 1894; H. Quentin, *Mémoire sur l'établissement du texte de la Vulgate*, 1.e partie, Octateuque, Rome 1922.

Ad philologiam. — F. Kaulen, *Handbuch zur Vulgata*² Freib. i. B. 1904; *H. Ronsch, *Itala und Vulgata*, Marburg 1875; H. Goelzer, *La latinité de Saint Jérôme*, Paris 1884; F. Dalpane, *Nuovo Lessico della Bibbia Volgata*, Firenze 1911; I. Weitenauer, *Lexicon biblicum, in quo explicantur Vulgatae vocabula et phrases*, Augustae 1758; F. P. Dutripon, *Vulgatae editionis Bibliorum sacrorum concordantiae*⁸, Parisiis 1880; cura G. Tonini, Prati 1861; PP. Peultier, Etienne, Gantois, *Concordantiarum universae Script. S. thesaurus*, Paris 1897; M. Bechis, *Repertorium biblicum seu totius S. Scripturae concordantiae*, Taurini 1887-88; W. E. Plater and H. I. White, *A Grammar of the Vulgate*, Oxford 1926.

Editiones utiliores. — S. Hieronymi *Operum* tomi 9. 10, ed. a Vallarsi et Migne cum amplis *Prolegomenis; Biblia sacra Vulgatae editionis*, Romae 1861 (cura C. Vercellone); *Biblia sacra Vulgatae editionis* ex ipsis exemplaribus vaticanis inter se... collatis critice ed. P. M. Hetzenauer O. C., Innsbruck 1906; *Bibliorum sacrorum iuxta Vulgatam clementinam nova editio* (cur. Al. Gramatica), Typ. Vaticana 1929; *Biblia sacra latina Veteris Testamenti* ed. *Th. Heise, *C. de Tischendorf, Lipsiae 1873; *Novum Test. D. N. I. C. latine secundum editionem S. Hieronymi...* rec. *I. Wordsworth, *H. I. White, Oxford 1889...; editio minor, ibi 1911.

Art. 1. — De Vulgatae origine

102. Non uno, sed multiplici curarum genere versatus est S. Hieronymus in versione s. Scripturarum latina. Quid, quo tempore, qua ratione praestiterit, manifestant passim aut praefationes singulis fere libris ab ipso Hieronymo praemissae aut alia S. Do-

ctoris opera. Ex his fontibus multa deducemus ad Vulgatae originem atque indolem (quod magni sane momenti est) illustrandam Hic iuverit brevis ob oculos proposita

Tabula chronologica

ANNO	OPUS	FONTES
Romae		
383 sq.	Emendatio quatuor Evangeliorum	*Praef. ad Damasum*
	» reliqui N. Testamenti	*Vir. ill.* ult.
	» *psalterii prima* (romana)	*Praef. in psalt. gall.*
Betlehemi		
386 sqq.	Emendatio Vet. Test. e graeco hexapl. (*psalterii secunda*, gallicana)	*Comm. in Tit.* 3,9.
390 circ.	**Versio ex hebraeo** Sam. Reg.	*Prologus galeatus*
?	Tobias	*Praef.* coll. *praef. Dan.*
391	*Psalterium* (hebraicum)	*Vir. ill.* paenult.
392	Prophetae	*Vir. ill.* paenult.; *Ep.* 49,4
393	Iob	*Ep.* 49,4
395	Esdr. Neem.	*Praef.* coll. *Ep.* 57
396	Paralip.	*Praef.* coll. *Ep.* 57
397 ex.	Prov. Eccle. Cant.	*Praef.* coll. *Praef. Comm. Ion. Amos, Matt.*; *Ep.* 71,5
398-404	Pentateuchus	*Ep.* 71,5; *Praef. Ios.*
405 sq	Ios. Iudic. Ruth, Ester	*Praef Ios.*
?	Iudith.	*Praef.* coll. *praef. Dan.*

De singulis generibus: emendatione N. T., emendatione V., versione V. T. nova, aliquid enucleatius.

103. Emendatio Evangeliorum. — *Ratio* ac *modus* Novi Test. emendandi perspicue declarantur ab ipso Hieronymo in praefatione ad Damasum. *Ratio* erat tum discordia codicum latinorum inter se, tum vitia singulorum, orta praecipue e pruritu unius Evangelii cum altero conformandi. Haec vitia *ita sustulit* Hieronymus ut 1. codices graecos deligeret *veteres*, h. e., non qui a novellis recensionibus saec. IV essent vel prognati vel corrupti, sed qui textum exhiberent antiquiorem recensionibus; 2. ut ad hos *corrigeret* codices latinos quoties ab illis discederent *in sensu;* 3. ut, salvo sensu, *dictionem* antiquorum codicum *retineret*. Haec Hieronymus. Reipsa editores Angli (cf. Bibliogr., n. **101** fine) putant Hieronymum adhibuisse codices familiae B (n. **46**), similes praesertim codici ℵ, cum nonnullis lectionibus antiquis nunc iam graece non extantibus (*op. cit.* I, Epilogus p. 662-665).

Distinguuntur extrinsecus Hieronymiana Evangelia praefatione ad Damasum; canonibus Eusebianis (n. **56** nota) tum tabula initio praemissa, tum numeris margini adscriptis; ordine Evangeliorum graeco (Matt., Marc., Luc., Joh.) contra morem Latinorum antiquiorem (Matt., Joh., Luc., Marc.)

104. Num emendaverit reliquum N. T. — Quaestio est acriter in utramque partem etiamnum disceptata. Fatendum est, nullum hucusque argumentum in alterutram partem allatum esse, quod rem evincat; cf. *Biblica* 1 (1920), 533-541; 2 (1921), 387 s. Attamen tum auctoritas (sc. plurimorum opinio) tum ratio inclinat in sententiam *affirmantem*. Nullum fere in hac re pondus habet Hieronymi *Ep.* 27, quae saepe huc affertur (1); at grave momentum est in *Ep.* 71, 5 et *Vir. ill.* ult.. ubi affirmat Hieron. se « Novum Testamentum graecae fidei reddidisse »; gravius forte est quod libri omnes N. T., prout in Vulgata leguntur, et manum simili ratione emendantem produnt, et iisdem constanter codicibus traduntur cum Evangeliis procul dubio hieronymianis (cf. WORDSWORTH-WHITE 2, p. 152; 3, p. X sqq.; VON SODEN 1, p. 1798-1802; 2000-2011).

(1) In hac Ep. quibusdam, qui emendationem Evangeliorum improbaverant, obicit S. Doctor aliquot locos Epistolarum S. Pauli, qui male in codicibus latinis legebantur. Cur autem id faciat, videas in *Rev. Bibl.* 1918, 255; *Bulletin de littér. ecclés.* 1918, 318; *Biblica* 1 (1920), 539.

105. Emendatio V. T. e graeco hexaplari. 1. *Quos libros emendaverit S. Hier.* — *a*) Recensuit omnes libros protocanonicos; *b*) edidit solummodo Ps., Iob, libros Salomonicos (Prov., Eccl., Cant.), Paral.

Ad *a*) cf. *Comm. in Tit.* 3, 9 (*PL* 26,595). Quod deuterocanonicos omiserit, declarat ipse Hier. in *Praef. lib. Salom.* (*PL* 29, 403). Ad *b*): non exstant praefationes nisi in libros supra dictos (receptae in edd. Vulgatae, praeter *Praef. in lib. Salom.*), nec aliarum meminit ipse Hieronymus sive in praefationibus versionis ex hebr., sive in *C. Ruf.* 2, 25-32 (*PL* 23, 448-454). Quantum ad fatum ceterorum librorum cf. *Ep.* 134 fin. *PL* 22,1162.

2. *Quid inde nunc exstet.* — In Vulg. transiit solum Psalterium, quo communiter utitur Ecclesia Romana. In codd. exstat praeterea Iob; editus a Martianay et Vallarsi inter Opp. S. Hier. (*PL* 29, 61-114), a *de Lagarde (*Mitteil.* 2, 189 ss.), et a *Caspari (*Das Buch Hiob in Hieronymus's Uebersetz.*, Christiania 1892). Ceterorum librorum non remanent nisi praefationes (cf. supra 1, *b*) et pauca fragmenta ex Prov., Eccle., Cant. in cod. Sangallensi (BERGER, *Notice sur quelques textes*, p. 23-27; cf. *Civ. Catt.* 1915, 4 p. 291; *Rev. bén.* 1926, p. 109 s.). Praeterea suis *Commentariis in Prophetas* (*PL* 24. 25) s. Doctor latinam versionem graeci textus hexaplaris inseruit.

3. *Indoles emendationis* — I. Distinxit Hier. latinam versionem asteriscis et obelis, « vel antepositis lineis superflua quaeque designans, vel stellis... praenotatis ea quae minus habebantur, interserens » (*Praef. in lib. Sal.*). Haec signa servata sunt in Iob a duobus codd. (Turon. et Bodl.); in Psalmis omnino deperdita; nam quae inveniuntur in quibusdam codd. (1) restituta sunt in mediq aevo, ratione plane diversa a Hieronymiana (Cf. n. **119**; RAHLFS, *Septuaginta-Studien*, 2, p. 130-133).

II. « Illa, quae imperiti translatores male... de graeco sermone verterant..., curiosissima veritate correxit » (*Praef. in lib. Salom.* Cf. *Praef. Par.*).

III. In emendando aut noviter vertendo non semper secutus est LXX interpp., sed interdum alias columnas (i. e. versiones) aut etiam ipsum hebraicum (cf. RAHLFS, op. cit., p. 121; CASPARI, *Das Buch Hiob*, p. 44-48).

IV. Quamquam, « ubi sensus idem erat, immutare noluit quod ab antiquis legebatur » (Ep. 106, n. 12. 30. etc.), tamen respexit etiam ad « latini sermonis elegantiam » (ib. n. 54. 57. etc.). Quod quidem et emendationi Novi Test. applicandum erit.

(1) Unde in editionibus operum S. Hieron., Vallarsi et Migne, tomo 10 (*PL* 29).

V. Ordinem graecae versionis, etiam ubi Origenes illum retinuerat, reformavit ad hebraicum. (Cf. *Civ. Catt.* 1913, IV, p. 204 sq.; *Rev. bén.* 1914, p. 231).

Nota. — 1. Psalterii prima (romana) emendatio intercidisse videtur; nam psalterium, quo utitur nunc sola Basilica S. Petri in Vaticano, dicendum est potius antiquum psalterium romanum inemendatum. Cf. hinc A. Martinetti, *Dissertatio de psalterio romano*, Romae 1745; inde D. de Bruyne, *Le problème du psautier romain*, in *Rev. bénéd.*, 42 (1930), 101-126.

2. Versio *Eccle.* quam explicat Hieronymus in *Comm.* (*PL* 23, 1009s.) est ex *antiqua latina* emendata *ad hebraicum*. Singularem habet scopum et indolem.

3. Additamenta Danielis et Ester emendavit e graeco (illa Theodotionis, ista LXX) cum novam versionem fecit ex hebraico.

106. De versione Veteris T. ex Hebraico. S. Hieronymi in vertendo principia:

1um. Prius *intellegere* textum: « Hoc unum scio, non potuisse me interpretari nisi quod ante intellexeram » (*Praef. in Iob* 1a; cf. *Praef. in Par.* 2a; *Praef. in Iudith*).

2um. Reddere *non verba, sed sensum* (*Ep.* 57 coll. *Ep.* 112, n. 20; *Ep.* 106 n. 30; *Praef. in Iob* 1a; *Praef. in Iudith*); eum tamen *fideliter* exprimere (*Prol. gal.* sub fin; *Praef. ad Ps. hebr*; Esther 10, 3).

3um. Latini sermonis *elegantiam* non neglegere (*Ep.* 106 passim); cf. tamen *Comm. Eph.* 3, 5-7 (*PL* 26,481).

107. Hinc elucent huius versionis dotes.

1a *Perspicuitas.* In universum nemo antiquorum genuinum sensum aut rectius est assecutus aut felicius expressit (cf. Cornely 1, 448, nota 10); non tamen illum semper attigit (ib. 445 s.) et non raro textum plus aequo sollicitat, praesertim in locis messianicis (1). Claritatis gratia Hieronymus α) *addit* saepe aliqua verba; v. gr. Gen 31, 47 (uterque iuxta proprietatem linguae suae); Iud. 12, 6 (eadem littera spicam exprimere non valens) — β) nomina propria *etymologice* interpretatur v. c. Gen. 41, 45 (Salvator mundi pro Safnatpaneah), Prov. 30, 1 (« Verba congregantis filii Vomentis » pro « Verba Agur filii Iake ») — γ) *vulgares* locutiones adhibet (cf. *PL*

(1) Cf. ipsum Hieronymum de se confitentem *Comm. in Is.* 11,10 *PL* 24, 149; cf. ib. 443; 25,1336.

25, 378 in Ez. 40, 5 et 470 in Ez. 47, 1-5), aut etiam *mythologicas* v. c. Iob 21, 33 (Cocytus pro torrente), Is. 34,14 (onocentauri pro canibus aureis), Ier. 50, 39 (fauni ficarii pro canibus aureis). Cf. *PL* 25, 1042.

2ª *Libertas quaedam* non fidelitati, sed litteralitati opposita.

3ª *Elegantia* quae praecipue cernitur in eo quod α) hebraicam propositionum parataxim Hier. vertit in latinam *periodum* affabre constructam, v. gr. Gen. 28, 10 s.; cf. Vaccari, *S. Girolamo*, p. 115 sg. — β) semiticam verbositatem *contrahit* ad atticum stylum, v. gr. Gen. 39, 19 s.; cf. Cornely, p. 445 — γ) eadem verba hebraica aliis atque aliis latinis reddit ad orationis *varietatem* (cf. *Rech. sc. rel.* 1911, 434-440). Hoc tamen ultimum interdum officit claritati et proprietates sacri textus offuscat et confundit.

Nota. — Hae dotes non eadem in omnibus libris proportione temperatae conspiciuntur. Nam:

1. Non eadem cura S. Hieronymus vertit singulos libros (cf. *Praef. in Par.* 2am *et in Job* cum *Praef. in lib. Salom., in Tob., in Iudith*).

2. Ad ordinem chronologicum attendendum est: quo magis in opere processit, eo majorem sibi libertatem sumpsit in vertendo (cf. v. g. pro Judic. Condamin, in *Rech. sc. rel.* 1912, 110 ss.).

3. Generatim admodum festinanter opus exsequebatur S. Doctor (cf. praeterea in Is. 19,15 *PL* 24,185; in Ez. 42, ult. *PL* 25,414). Huius tamen festinationis detrimenta plurimum sunt imminuta per egregiam illam praeparationem qua Hier. opus aggressus est (1).

Bibliographia. — Praeter tractatus generales, consulantur: *W. Nowack, *Bedeutung d. Hieron. für d. altt. Textkritik* 1875; G. Hoberg, *De S. Hieronymi ratione interpretandi* 1886; A. Condamin, *Les caractères de la traduction de la Bible par saint Jérôme*, in *Rech. de sc. rel.*, 1911, 425 sq.; 1912, 105 ss.; 1914, p. 1 sq.; Id., *Un procédé littéraire de St Jérôme dans sa traduction de la Bible* in *Miscellanea Geronimiana*, Roma 1920, p. 89 ss.

108. Textus ex quo Hier. vertit:

1. *Vocalibus* omnino carebat, cum earum signa nondum essent inventa (cf. n. **29**; *PL* 22, 680; ib. 24, 745; 25, 1312. 1314).

2. Quantum ad *consonantes*, textui masoretico maxime accedebat; cf. *Qq. in Gen.* 23, 16 (*PL* 23, 973); *Ps.* 71, 3; 2 *Reg.* 20, 12

(1) Cf. v. gr. Prov. 24, 21 sq. citatum ex hebr. in *Ep.* 52, 14 scripta anno 394, ante versionem Prov.; vid. etiam *Ep.* 127, 7 (*PL* 22,1091): Romae docuit Marcellam « quidquid (ab eo) longo fuit studio congregatum et meditatione diuturna quasi in naturam versum ».

(hebr.); *Os.* 5. 6; *Ep.* 29, 6 *PL* 22, 440. Non erat tamen omnino conformis; cf. CAPPEL, *Critica sacra*, lib. V, cc. 8-11; NOWACK, o. c., p. 55 ss.

3. Quantum ad *externam* conformationem, erat scriptus litteris admodum parvis (Praef. VII lib. in Ez., *PL* 25, 199); unde facilior confusio litterarum in legendo.

109. His subsidiis vertit Hier.: 1. *Rabbinorum* magisterio. Praeter *Praef.* in Iob 1°, in Tob., in Paral. 2°, meminit Hier. saepe Hebraei a quo didicerat. Cf. v. gr. *PL* 24, 157. 273; 25, 289. 1019. 1379; 26, 361.

Huc facit quod interdum Vulg. mire concordat cum Targum v. c. Deut. 23, 12 fin; 1 Reg. 7, 47 (hebr.); Esther 1, 5; 7, 7; 2 Sam. 23, 8 sq.; Iud. 3, 22 fin; Is. 44, 20; 66, 24, etc.

2. *Aquila*, praesertim in significatione singularum vocum (cf. FIELD, *Orig. Hex.* 1, XXI, XXIV); Theodotione rarius usus est.

3. *Symmacho* etiam saepius, praes. in sensu totius periodi et in generali ratione vertendi (cf. HIERON. *Comm.*, in Is. 13, 10; 58, 3; 63, 3; Ier. 11, 9; 32, 30; Ez. 16, 12 sq.; Nah. 1, 8).

4. Denique *retinuit* Hieronymus interdum interpretationem LXX (in versione latina antiqua vel a se revisa), sive quod indulgeret consuetudini, sive quod ob festinationem potissimum (cf. cit. *Comm.* in Ez. 42 ult.) nil ipsi occurreret melius. Cf. v. g. Prov. 18, 1-3. 5. 6. Antiquam versionem latinam servavit, quantum sensus patiebatur, praesertim in *Psalterio*.

Adverte: I. In diiudicanda vel explicanda versione S. Hier. habeantur prae oculis illi loci quos ipse correxit in *Commentariis* v. c. Is. 19, 15 (*PL* 24, 184); 19, 17 (ib.); 38, 11 sq. (ib. 393); Ier. 32, 27 (ib. 896); Ez. 42, 20 (*PL* 25, 414); Os. 11, 8 (ib. 919); Agg. 2, 20 (ib. 1413).

II. Haec quae diximus valent proprie de versione qualis a Hieronymo fuit edita, non qualis nunc prostat in Vulg. Haec antequam adhibeatur ad crisin, purganda est a corruptionibus, quae posterius irrepserunt, de quibus infra.

110. De forma externa. — Hieronymus *a*) solebat « vel sua vel notariorum manu » (Ep. 130 init.) scribere; plerumque *per notarios* dictando (cf. *Praef. in Tob., in lib. Salom.*). Quis fuerit ordinarie processus

libri ad unguem adducendi, vide apud ipsum HIERON., *Comm. in Mt.* Praef. *PL* 26,20; cf. VACCARI *S. Girolamo* p. 146 nota 2.

b) Distinxit per *cola et commata* (cf. n. **39**): *Prophetas, Paralip., Ios.* (cf. *Praeff.*), probabiliter etiam alios libros. Item distinxit per *intervalla* nomina propria et locos confusioni obnoxios (cf. *Praef. in Esdr.* et *Nehem.*).

Non constat hanc genuinam divisionem per cola et commata esse eam ipsam, quae cernitur in optimis codicibus, v. gr. Amiatino. Cf. CASSIODORI, *Inst. div. litt.* Praef. (*PL* 70, 1109.); QUENTIN, *Mémoire*, p. 495-505.

c) Adamavit in suis scriptis « pauperes schedulas et non tam pulcros codices » aut grandibus litteris exaratos, quam « emendatos » (*Praef. in Iob*).

111. De secundis editionibus. — Certum est Hieronymum rogatu amicorum post primam editionem curasse, ut alia multa exemplaria suae versionis conficerentur (*Ep.* 71, n. 5; 75, n. 4 etc.). Nil mirum si quid ipse hac occasione in sua versione innovasset. Non semper potuit diligenter invigilare ut emendate transcriberentur (*Ep.* 71, 5; *Praef. comm. in Is.* lib. 13; *in Ez.* lib. 7, etc.).

Hinc: 1° Explicandae sunt fortasse varietates lectionum quae animadvertuntur sive in optimis codicibus Vulgatae (cf. v. gr. ed. WORDSWORTH-WHITE *ad Luc.* 11, 28), sive inter hanc et commentarios ipsius Hieronymi, v. gr. in Isa. 19, 17; 38, 11-12; Amos 7, 1, etc.

2° Corruptiones irrepserunt in apographa vivo Hieronymo; constat certe de psalterio ex *Ep.* 106, n. 20. 41. 46. 48. 52. 65.

ART. 2. — Vulgata a saec. V ad IX

112. Propagatio. — *Novum Testamentum* a Hieronymo emendatum communi plauso exceptum est; et etiam in publicum Ecclesiarum usum inductum (cf. AUGUST. *c. Felicem* 1, 3; *PL* 42, 520).

Vetus Testamentum ex hebraico e contrario habuit ab initio multos et acerrimos adversarios (cf. *Praeff.* in Pent., Esdr., Iob, Is., Ier. et ipsum *Prologum galeatum*), eo quod videretur « reprehensio antiquorum » (h. e. LXX). Ipse Augustinus improbabat consilium vertendi ex hebraico (HIERON. *Ep.* 104, n. 3-6; 116, n. 35), licet postea ipsam versionem saepe citaverit cum laude (*De doctr. chr.* 4, 15; *de Civ. Dei* 18, 43; *Quaest.* in Deut. 20; in Ios. 7. 19; in Iud. 25, 47. etc.).

113. A doctis tamen viris magni fiebat haec *nova versio* et in dies magis adhibebatur. Hoc probant:

1. *Commentarii*, quibus iam in ipso saec. V haec versio illustra-

batur: Apponii in Canticum (1); Philippi in Iob; (Iuliani Aeclanensis?) in Prophetas minores (sub nomine Rufini in *PL* 21) (2) et iterum in Iob (sub nomine Philippi in *Spicil. Casin.* 3, 1); Salonii in Parab. Salomonis (*PL* 53,967); Iusti Urgelitani in Cant. (*PL* 67, 963); saec. vi exeunte Gregorii Magni in Iob (cf. Prol. sub finem) Ez. Evang. (*PL* 75. 76).

2. *Citationes* Patrum, in quibus tamen adhibendis cautelae illae sunt necessariae, quas diximus n. **43**, tum ne concludatur ab uno libro ad alium. In universum tamen haec statui possunt:

1. Medio saeculo vii versio S. Hieronymi ad omnes Ecclesias latinas pervenerat (cf. Isidor. Hispal., *De off. eccl.*, 1, 12, 8; *PL* 83, 748).

2. Sub finem saeculi viii erat communissima et iam re, etsi nondum nomine, *vulgata.*

3. Pro Psalterio sub finem saec. vii adoptata est recensio altera (hexaplaris) in omnibus Ecclesiis (exc. Rom. Mediol. Venet.) ac primum in Gallia; unde dictum Psalterium *Gallicanum.*

114. Concurrentia cum antiqua latina. — Antiquae versiones diu cum hieronymiana decertarunt. Ut apud scriptores, ita etiam in manuscriptis inveniuntur libri aliqui ex antiqua latina usque ad sec. xii. Non raro in eodem codice unus liber est ex nova, alius ex antiqua; v. gr. cf. tab. 5. 6.

Huius rei causa praecipua erat, quod perraro in uno codice habebatur tota S. Scriptura, ante Cassiodorium (saec. vi) fortasse nunquam. Hinc codices utriusque versionis permiscebantur. Qui in unum volumen versionem Hieronymi colligere voluit, « per varios codices oberrare » (3) debuit.

115. Interpolatio et corruptio. — Ex illo saeculari certamine, quod gessit adversus hieronymianam versionem, antiqua latina tandem victa discessit, sed non uno vulnere inflicto aemulae suae. Nam longe praecipua causa, unde Vulgatae hieronymia-

(1) Ed. H. Bottino et I. Martini, Romae, 1843.

(2) Cf. Supra p. 276 nota et *Biblica* 4 (1923), 345-354.

(3) Sic antiquus Vulgatae propagator (forte Peregrinus de quo n. **116**, 3) in subscriptione sui codicis. Cf. *Rev. bibl.* 1913, p. 6; *Civ. Catt.* 1915, iv, p. 539; *Rev. bén.* 31 (1914-19) p. 394.

nae puritas obfuscata est, exstitere *interpolationes ex antiqua versione*. Hae infecerunt potissimum libros Samuelis et Proverbia in V. T. (cf. Vercellone, *Var. lect.* 2, xii sq.) et Evangelia in N. (iisdem fere de causis, quas memorat S. Hieronymus in *Praef. ad Damasum*). Alia causa fuerunt *glossae* explicativae; tertia denique (ut minima praeteream) propensio librariorum in lectiones *faciliores*.

Horum omnium exempla habes in 2 Reg. 1, 17-27 (1) apud Vercellone o. c.

Verum huiusmodi corruptiones variae fuerunt in variis regionibus, et iterum alibi alia remedia adhibita sunt a doctis viris ad medendum huic malo, unde variae codicum familiae ac recensiones.

116. Curae doctorum. — Iam saec. vi hieronymianam versionem curarunt emendandam ac propagandam egregii viri.

1. Victor Capuanus episcopus ab anno 541, harmoniam evangelicam confecit (ad modum Diatessaron Tatiani) usus recensione hieronymiana; probabiliter et reliquum N. T. revisit. Eius opus servatur in *codice Fuldensi* (F) ab ipso Victore correcto annis 546, 547. Hic est antiquissimus codex totius N. T.; allatus Fuldam a S. Bonifacio, etiam nunc ibi asservatur. De eo vid. Wordsworth-White, *Praef.* p. xii; *Epilogus* p. 711. Evangelia habes in Migne, *PL* 68, 251-358; totum editum ab E. Ranke, Marburgi 1868 (n. **96**).

2. M. Aurelius Cassiodorius († 575), monasterii Vivariensis fundator, quatuor praestitit circa nostram versionem, ut ipse narrat:

1. Totum Vetus et N. Test. hieronymianum *collegit in unum* volumen « minutiore manu... conscribendum » (*Inst. div. litt.* 12 *PL* 70, 1124).

2. Totum diligenter *contulit* ad *vetusta* exemplaria (ib., 1109B).

3. Item *titulos* (h. e. argumenta capitulorum) antiquos, si qui praesto erant, retinuit (ib., 1112 C.); ubi non erant, novos condidit (1114 A).

(1) In editione Clementina v. 18: « Considera – vulnerati » est ex antiqua latina; v. 26: « Sicut mater – diligebam » est glossa explicativa; v. 18: pro « docerent filios Iuda arcum » multi codices legunt « docerent filios Iudaeorum » quae lectio facilior est, nata e similitudine litterarum.

4. Distinctionem scriptionis *per cola et commata*, quam in omnibus libris invenit, retinuit (cf. n. **110**).

Ad hoc ferme tempus et ad Italiam refertur textus celebris *codicis Amiatini* (A), omnium qui totam Vulgatam continent, praestantissimi, qui exaratus fuit prope Giruum (Jarrow) in Anglia circa annum 700, sed ex archetypo Roma allato. Prius erat in abbatia montis Amiatae, nunc asservatur Florentiae in Bibl. medicea (cf. I. B. DE ROSSI, *La Bibbia offerta da Ceolfrido*, Roma 1887, et *De origine Bibl. vatic.*, c. IX, in STEVENSON, *Codd. pallat.*, p. LXXII sqq.; H. J. WHITE, *The codex Amiatinus and its birthplace* in *Studia biblica et ecclesiastica* Oxford, 1890, vol. 2, p. 273-308; QUENTIN, *Mémoire*, p. 438-452).

Cum Cassiodorio certe connexionem habet, quae tamen cuiusmodi sit, non certo constat; D. Quentin putat a Cassiodorio derivari solas introductorias paginas et ordinem librorum (op. cit., p. 444-449); alii ipsum textum; cf. J. CHAPMAN, *The Cod. Amiatinus and Cassiod.* in *Rev. bén.* 1926, 139-150; 1927, 12-32.

3. PEREGRINUS quidam, incertae sedis in Hispania Episcopus, editionem curavit his notis insignem (1): 1. *ordine* librorum, qui traditur prologo galeato (Lex, Prophetae, Hagiographa; cf.p. 3); 2. deuterocanonicis (quos *ecclesiasticos* appellat) *extra canonem* hebraicum reiectis; 3. *praemisso* ante unumquemque librum prologo S. Hieronymi, etiam *prologo* in recensionem hexaplarem, si quis exstabat; 4. in libro Prov. *additis* vel in textu vel in margine versiculis *ex antiqua latina*, praes. hexaplari (n. **105**); 5. *summariis* seu capitulis ante plerosque libros praemissis; 6. in epistolas S. Pauli *canonibus Priscilliani* expurgatis, admonitione praemissa (cf. PRISCILLIANI scripta in *Corp. Script. Eccl. Lat.*, 18, 109-147; WORDSWORTH- WHITE *Nov. Test. lat.*, 2, p. 17-32.

Testis editionis Peregrini putatur *codex Cavensis* (ab abbatia Cava dei Tirreni prope Salernum, ubi asservatur) saec. VIII (2).

Similem editionem, iudicio D. de Bruyne, curavit in Hispania saec. VII Isidorus Hispalensis, cuius optimus testis existimatur *Toletanus codex* (nunc Matriti in Bibl. Nationali), saec. X.

---

(1) Cf. DE BRUYNE in *Rev. Bén.* 31 (1914-1919), p. 393-401.

(2) Cf. DE BRUYNE l. c.; GAETANI D'ARAGONA, *Codex Diplomaticus Cavensis*, I, App.

Alii codices magni momenti ad hanc aetatem pertinentes sunt: Pentateuchus *Turonensis* seu Gatianus (a St Gatien in Tours), nunc Paris, Nat. lat. 2334; Octateuchus *Ottobonianus* (in Bibl. Vaticana n. 66), de quibus multa apud QUENTIN, op. cit., p. 412-438; Prophetarum palimpsesti *Sangallenses* 193. 567, editi ab A. DOLD, *Prophetentexte in Vulgata-Uebersetzung*. Beuron 1917; Novi Testamenti *Armachanus* (Dublin, Trinity College) saec. VIII. Evangeliorum *Mediolanensis* (Bibl. Ambros. C. 39 inf.) saec. VI. *Forojuliensis* (Cividale nel Friuli) saec. VI-VII, *Oxoniensis* (Bodley 857) saec. VII, *Cantabrigensis* (*Corporis Christi* College 286) saec. VII; *Lindisfarnensis* (Brit. Mus. Cotton Nero D. IV), saec. VII-VIII, de quibus cf. WORDSWORTH-WHITE 1, XI-XIV. 705-713; ex *claromontano* nunc Vaticanus lat. 7223 saec. V (in Marco, Luca, Ioh.); cf. tab. 6.

ART. 3. — Vulgata a saec. IX ad XIII

117. Recensio Alcuiniana. — Inter curas, quibus Carolus Magnus nisus est litteras iam pene mortuas excitare ac restituere, non minimum locum obtinent illae, quas sacrorum librorum textui emendando ac propagando impendit (cf. MIGNE, *PL* 97, 177; 95, 1159). Ad hoc usus est praecipue opera ALCUINI, patria Eboracensis in Anglia, magistri litterarum primo in ipsa regia (schola palatina, anno 782), deinde in monasterio S. Martini Turonibus, quod regebat abbas (796). In hac schola turonensi potissimum totam S. Scripturam, exemplaribus petitis Eboraco (MIGNE, *PL* 100, 208), emendavit iussu Caroli (ibi 923), cui exemplar emendatum obtulit die Nativitatis Christi anni 801 (ibi 375; cf. 369).

Alcuini recensio his notis distinguitur: 1. textus est northumbricus (ad *amiatinum* maxime accedens), purus a plerisque interpolationibus cuiuscumque generis; 2. est *castigatior* in orthographia et grammatica; 3. praemittitur toti corpori Bibliorum S. Hieronymi *Epistola ad Paulinum* (53; inc. « Frater Ambrosius »), singulis libris una praefatio Hieronymi ipsius, et certa series *capitulorum* (summariorum); 4. ordo librorum desumitur ex eadem ad Paulinum Epistola (Iob ante Reges, Prophetae ante Psalmos librosque didacticos).

Praecipui alcuiniani codices sunt: *Karolinus* (Mus. Brit. Add. 10546); *Paulinus* (ad S. Pauli extra muros prope Romam), *Rorigonis* (Par. Nat. 3), *Turicensis* (Zürich Bibl. Cant. C. 1) et *Vallicellianus* (Bibl. Vallicell. Romae, B 6). Optimus a plerisque pu-

tatur Vallicellianus, ab aliis Turicensis; D. Quentin principem putat Rorigonis.

Alcuiniana recensio longe lateque propagata est (ipse Alcuinus multa exemplaria principibus et Ecclesiis dono dicavit; cf. MIGNE, *PL* 101, 727 sqq.). Sed paulo post Alcuini mortem iam a sua puritate desciscere coepit, praesertim admittendo varias hic illic interpolationes ex antiqua latina.

118. Recensio theodulphiana. — Eodem impulsu Caroli Magni excitatus est ad S. Scripturas emendandas Theodulphus, episcopus aurelianensis, origine visigothus († 821). Eius recensio perpaucis codicibus continetur: Parisinis 9380 (olim Mesmiano) et 11937 (olim Gep = Sangermanense parvo), Aniciensi (Le Puy, Cathedrale) et Mus. Brit. Add. 24142 (Hubertiano). Distinguitur his notis: 1. Ordine librorum hispanico (cf. supra **116**, 3 et *PL* 105, 299-307); 2. Textu non ubique homogeneo; 3. Additamentis, alicubi ex antiqua versione latina derivatis, sed et aliunde (glossis).

Haec recensio, parum propagata, paulatim Alcuinianae cessit, sed ita tamen ut eam non paucis e suis interpolationibus inficeret.

119. Non indignae mentione, quia non sine influxu in codices quosdam Vulgatae, sunt quaedam minores recensiones saec. IX.

Florus, Ecclesiae Lugdunensis diaconus, psalterium gallicanum hexaplare, quod, omissis signis diacriticis (cf. supra n. **103**, 3), perturbatam erat ac mendis scatebat, comparavit cum psalterio Hieronymi ex hebraico; differentias, etiam levissimas, inter utrumque notavit obelis et asteriscis, ratione plane alia, ut patet, a hieronymiana (p. 166. 202); cf. eius *Epistolam ad Hyldradum* apud MAI, *Script. vet. nova coll.* III, 2, p. 252. Simile propositum prosecutus est auctor prologi in Psalterium a cod. Vat. lat. 5729 Isidoro tributi et a Maio (l. c., p. 256) editi. Ex huiusmodi elucubrationibus procul dubio proveniunt illi asterisci et obeli, a ratione vere hieronymiana plane abhorrentes, quibus psalterium gallicanum distinguitur in multis codicibus et in editionibus S. Hieronymi, ut in *PL* 29.

In margine codicis Paris. 11937 (Gep de quo paulo ante) leguntur ad libros historicos (Gen. — 4 Reg.), Iob, Psalmos, multae notae criticae et exegeticae ex hebraico; editae sunt a Martianay, inde per Vallarsi in MIGNE, *PL* 28. Quaedam ex his irrepserunt in textum posteriorum codicum, ut Vaticani 5729 modo memorati, qui appellari solet Biblia Farfensis. Eorum auctor videtur Iudaeus quidam Rhabano Mauro notus (MIGNE, vol. cit., 108-112).

120. Saec. XI et XII quae fuerit conditio textus et quomodo iam tum praeluderetur correctoriis sequentis aetatis, apparet ex

paucis quidem sed laude dignis tentaminibus, quae ad nostram notitiam pervenerunt.

1. S. PETRUS DAMIANI († 1072) suis monachis fontis Avellanae tradidit exemplar V. et N. Testamenti a se « cursim et per hoc non exacte » emendatum, ut ipse fatetur (*PL* 145, 334; VERCELLONE, *Var. lect.* 1, LXXXVII).

2. LANFRANCUS PAPIENSIS ex Abbate Beccensi Archiepiscopus Cantuariensis († 1089), ut auctor eius vitae narrat, « quia Scripturae scriptorum vitio erant nimium corruptae, omnes tam Veteris quam Novi Test. libros... studuit corrigere » (*PL* 150, 55).

3. STEPHANUS HARDING († 1134), Abbas Cistercensis II, primo codicem interpolatum (recensionis theodulphianae, ut videtur) tanquam pleniorem et ideo veriorem transcripsit; tum in dubium veniens ob diversitatem exemplarium, accivit Judaeos ut sciret quid esset in textu hebraico, quid non; denique illa omnia, quae aberant tum a textu hebraico tum ab aliis codicibus latinis, abrasit, et exemplar ita emendatum suis monachis commendavit, ut servarent (*PL* 28, 67 sq.; 166, 1373. Cf. P. MARTIN, *Saint Étienne Harding* in *Rev. des sciences ecclés.* 27 (1886), 511;28 (1887), 5. 97. 213.

4. NICOLAUS MANIACORIA, diaconus S. Laurentii in Damaso sub Lucio II († 1145), discordantes codices latinos cum hebraico textu ipse (hebraicae linguae gnarus) comparavit, eorumque lectiones praetulit, qui cum textu concordarent; exemplar sic emendatum transcripsit, in margine indicavit, ad cautionem, « loca ad corrumpendum proclivia », et volumini praemisit tractatum brevem (cui titulum fecit *Suffraganeum Bibliothecae*) « de modis quibus maxime soleant exemplaria depravari ». Hic editus est ex parte a DENIFLE, *Archiv f. mittelalt. Liter. u. Kircheng.* 4, p. 270-276, plenius a MARTIN, *Introduction à la critique générale de l'A. T.*, Paris 1886-87 (lithogr.) p. CVIII; cf. S. BERGER, *Quam notitiam linguae hebraicae habuerint christiani*, p. 9-15.

Ex his testimoniis deducimus in rem nostram: 1. Circumferebantur ubique fere diversi codices, alii aliis abundantiores (interpolationibus); 2. ita tamen ut, in Gallia saltem, plures essent codices minus interpolati, h. e. praevaleret, puta, alcuiniana recensio theodulphianae. 3. Communis erat tendentia ad textus pleniores, cui

tendentiae succubuit ad tempus ipse Stephanus Harding. 4. Quam rectis principiis correctionem Vulgatae instituendam censerent iam tum Stephanus in Gallia, Nicolaus Romae.

Art. 4. — Vulgata a saec. XIII ad med. XV.

121. Biblia Parisiensis — Initio saeculi XIII, undique ad Universitatem Parisiensem confluentibus theologiae studiosis, ex ipsa scholarum necessitate efformatus est specialis quidam Vulgatae textus, qui et pro omnibus discipulis uniformis et ad citandum inveniendumque esset commodus. Hinc enata, quae dicitur *Biblia Parisiensis*.

Extrinsecus agnoscitur Biblia Parisiensis his notis: 1. Ordine librorum moderno, fere; 2. hodierna divisione capitum, a Stephano Langton anno 1214 primum inducta; 3. paucis praefationibus hieronymianis, nullis omnino summariis (initio librorum vel capitum); 4. interpretatione nominum hebraicorum ad finem plerumque adiecta (e S. Hieronymi *de nom. hebr.*; cf. infra IV, **10** p. 325).

Textus ipse sacer in hac quodammodo recensione fuit quam maxime interpolatus et variis de causis corruptus. Inde statim doctorum eius temporis querelae, et curae emendatrices per *correctoria*.

Cf. P. Martin, *La Vulgate latine au XIIIe siécle*, in *Muséon* 7 (1888), 88. 169. 278. 381; Id., *Le texte parisien de la Vulgate latine*, ibid 8 (1889), 44; 9 (1890), 55. 301; H. Denifle, *Die Handschriften der Bibel-Correctorien des* 13. *Jahrhunderts* in *Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte des Mittelalt.* 4 (1888), 263-311. 471-600, praes. p. 277-292.

122. Correctoria, quibus per saeculum XIII corruptioni per exemplar parisiense inductae remedium afferre conati sunt docti homines, si *extrinsecam* spectes *formam* duplicis sunt generis. Alia sunt codices sacri textus, in quorum margine indicantur lectiones repudiandae, corrigendae, retinendae etc. Alia has solas notationes, sed fusius discussas atque auctoritatibus munitas, continent.

Sin *intrinsecam compositionem* spectes, examinatis triginta codicibus variis, in 13 ordines ea distribuit H. Denifle (op. cit.).

Denique si *auctores* spectes, praecipua sunt concinnata a Fratribus Praedicatoribus et Minoribus.

A Fratribus Praedicatoribus plures factae sunt Bibliorum correctiones. Prima, Senonensis dicta, anni 1236, postea improbata fuit ab ipsis, et illi subrogata Parisiensis anni 1256 (*B* apud Denifle), quae exstat in cod. Paris. Bibl. Nat. lat. 16719-16722. Notior est ea, quam concinnavit Hugo a S. Caro, forte circa a. 1248 (*A* apud Denifle), innixus praesertim « libris Hebraeorum, glosis B. Hieronymi et aliorum, exemplaribus antiquissimis » (Denifle, l. c., p. 293). At nimium cedit textui hebraico et falso putat « in multis libris nos non uti translatione S. Hieronymi » (l. c., p. 295).

Inter FF. Minores praecipui correctoriorum auctores exstiterunt: Guilelmus Brito, cui tribuitur correctorium quod *sorbonicum* dicitur (Paris, Bibl. Nat. 15554; *C* apud Denifle) et a dominicanis non multum discedit; Guilelmus de Mara (cod. Vatic. lat. 3466; *D* apud Denifle) qui contra Hugonem recte profitetur, ante omnia audiendos esse antiquos codices, non esse mutandam latinam litteram ob solam auctoritatem hebraici textus, Hieronymum saepe suam ipsius versionem citando mutasse et non tam verba quam sensum esse attendendum (Denifle, l. c., p. 296); Gerardus de Hoyo (cod. Vat. 4240; *E* apud Denifle) qui principiis utitur similibus ac de Mara, praefationem fusiorem et doctiorem praemittit.

Emendationis apud Minores magnus promotor et propagator fuit Rogerus Baco, vir sui temporis in omni scientia doctissimus.

Cf. praeter Denifle iam citatum, Vercellone, *Dei correttorii biblici della Biblioteca Vaticana* (in *Dissertazioni accademiche*, Roma 1864, p. 35-56); S. Berger, *Quam notitiam linguae hebraicae habuerint christiani* etc. Nancy 1893, p. 26-36; Witzel, *De Fr. Rogero Bacon eiusque sententia de rebus biblicis*, Quaracchi 1910.

123. Correctoria magno sunt adiumento ad emendationem Vulgatae; attamen reipsa parum contulerunt ad corruptionem tollendam, sive ob imperitiam vel neglegentiam amanuensium, sive ob minus commodam dispositionem aut molem ipsorum correctoriorum; immo ex parte confusio est potius aucta. Inde est quod docti viri per saecula XIV et XV non minus quererentur de corruptione textus, quam eorum praedecessores.

Sic Nicolaus de Lyra, nobilissimus eorum temporum exegeta († 1340), in *Postilla*, Prologo secundo; Canonici regulares Windeshemienses, qui ineunte saec. XV novum correctorium pro sua Congregatione instituerunt; Petrus de Alliaco († 1420), qui dum contra Rogerum Baconem *Apologeticum hieronymianae versionis* scribit, cum adversario tamen agnoscit codicum corruptionem et emendandi necessitatem.

Cf. M. L. Salembier, *Une page inédite de l'histoire de la Vulgate* in *Rev. des sciences ecclés.* 60 (1889, 1), 23. 97. 257. 369. 519; 61 (1890, 1) 500; 62 (1890, 2), 97; K. Grube, *Die liter. Tätigkeit der Windesheimer Congreg.* in *Der Katholik* 1881, 1, p. 47 s.

Art. 5. — Vulgata ab inventa arte typographica

124. Cum inventione artis typographicae arcte coniungitur historia Vulgatae, tum quod haec fuit primus omnium liber typis excusus, tum quod per illam artem tantopere propagata fuit, ut nullus praeterea sit in orbe liber tot editionibus (ante 1500 iam 100 circiter) multiplicatus. At exemplarium impressorum copiae minime par fuit bonitas textus. Nam parisiensis recensio, ante ubique disseminata, propagines suas non modo in editiones primas, sed ad nostra usque tempora protendit.

Hanc ergo aetatem in tres periodos apte dividemus: ante Concilium Tridentinum, a Tridentino ad Clementinam editionem, post editionem Clementinam.

125. De editionibus impressis ante Concilium Tridentinum. — Haec periodus iterum in tres quasi gradus dividitur.

In 1° gradu, ab initio inventae artis typographicae ad ann. 1510, editur S. Scriptura plerumque e codicibus obviis ac plane recentibus, labore critico parvo vel nullo.

Primum prodiit Vulgata latina (sine nota anni et loci) *Moguntiae* anno circiter 1452, curante ipso typorum inventore Gutenberg, e codice aliquo germanico; in f°, columnis II, lineis 42.

Exhibet exemplar Parisiense tam in textu quam tota exteriori facie. Ab hac vero editione pendent ceterae fere omnes, quae in hac aetate prodierunt (cf. Quentin, p. 89-94). Differentiam ac simul progressum aliquam constituunt appendices vel apparatus, qui textum comitantur ac stipant, eo densiores quo seriores sunt editiones; ut concordantiae locorum parallelorum, argumenta, versus memoriales, fontes iuris canonici, interpretationes nominum etc.

Ab editione principe independentes, ad codices immediate redeunt:

1. Vicentiae 1476, curante Leonardo Basileensi, quae exhibet textum *italicum*, Parisiensi antiquiorem (Quentin p. 93).

2. « Biblia cum glosis ordinariis et interlinearibus » Venetiis, 1495 apud Paganinum de Paganinis, curante Bernardino Gadolo, qui testatur in praefatione (f. a II recto) se adhibuisse omnes editiones et quinque manuscriptos codices, nec quidquam edidisse quod non alicuius codicis auctoritate firmaretur.

2. gradus distinguitur eo quod coeptae sunt notari in margine variae lectiones, et quidem desumptae e diversis fontibus: editionibus, codicibus, correctoriis, commentariis (seu citationibus) Patrum, antiqua latina.

V. g. ad Psalm. 17, 4 vias *duras*, in mg. *latronis* (ex HIERON. *Interpr. hebr.*); 5 *perfice*, in mg. *ad perficiendos* (ex AUGUST. *Comm.*); Gen. 1, 26 *terrae*, in mg. *creaturae* (ex edit. cf. VERCELLONE in h. l.). Interdum correctio admissa est in textum, v. gr. Isa 19,17 *pavorem*, in mg. *festivitatem* (cf. HIERON. *Comm.* in h. l.). Auctor huius innovationis est ALBERTUS CASTELLANUS, cuius editio (Venetiis ap. Iunctas, 1511) saepissime deinde repetita est, usque ad annum 1528 saltem (QUENTIN, p. 98).

In 3° gradu prodierunt primae editiones, quae criticae dici possunt, eo quod ex *codicibus vetustis* adornatae sunt. Huiusmodi sunt Complutensis (in Polyglottis), Hittorpiana, Stephanianae.

Textus Polyglottorum *Complutensium* (cf. n. **52**) sat purus est ab interpolationibus longioribus, v. gr. in Samuele et Proverbiis. In summa tamen eum ab exemplari Parisiensi manare certum est (WORDSWORTH-WHITE, 1, p. 721 sq.; QUENTIN, *Mémoire*, p. 99 seq.).

Hittorpiana (ita vocata a bibliopola cuius opibus prodiit Coloniae 1530) curata est in Veteri Test. a Gobelino Laridio, Chartusiano, ea mente ut « singula quaeque, praesertim ambiguae lectionis, ad fidem vetustissimorum aliquot codicum diligenti examine expenderentur », mutatis iis tantum « in quibus vetusta latina graecis simul atque hebraeis exemplaribus consonarent contra vulgatam lectionem » (e prol.). Cf. KAULEN, *Gesch.* p. 360-4; QUENTIN, *Mémoire*, p. 121-127, qui eam multis laudibus ornat; *Biblica* **6** (1925), 211-217.

Stephanianae (editae *Parisiis*, apud *Robertum Stephanum*) tres sunt praecipuae, nempe ann. 1528, 1532, 1540. Adhibuit Stephanus, typographus litteratus, codices multos, praesertim e bibliothecis S. Germani et S. Dionysii prope Parisios; sed eo differunt inter se illae editiones, quod in priore (1528) et altera accuratiore (1532) lectiones codicum in *textum* inductae sunt; tertia vero (1540) textum exhibet moguntinum (impressum, cf. supra), et varias lectiones codicum et editionum habet in margine.

In ed. Psalterii et libr. Salomonis 1528 coepta sunt adhiberi signa diacritica (obeli et asterisci), ad modum origenianorum, quae deinde et ab aliis editoribus per illud saeculum frequentata fuere.

Mentione etiam digna est editio anni 1555, eo quod in illa primum tota S. Scriptura in versiculos, adscriptis ad marginem numeris, distincta est; qui mos deinde apud omnes invaluit, et adhuc obtinet; cf. p. 5.

In hoc 3° gradu gravius agi coeptum est erga Vulgatam. Cum nempe restitutio Vulgatae in pristinam puritatem non videretur sufficere ad verbi Dei intellegentiam, *corrigi* primum coepta est ac

refingi ad textus originales, tum plane *abiecta*, ut novae omnino latinae versiones instituerentur.

Hinc triplex genus operum distinguimus:

I. Retinetur generatim versio Vulgata, sed ubi videtur sensum textus non attingere vel male exprimere, nova versione interpolatur. Duo viri potissimum hac in re adlaborarunt, alter protestans (Osiander), alter catholicus (Isidorus Clarius). Osiander tenori Vulgatae *addidit* in textu, sed diverso charactere, novas suas interpretationes (Norimb. 1522; editio repetita a Rudelio, catholico, Coloniae 1527). Clarius suas interpretationes *substituit* verbis Vulgatae (Venetiis 1542; iterum 1557). Has novas versiones adnotavit in margine suae editionis Iohannes Benedictus, catholicus (Parisiis 1541 et saepius), cuius textus ceterum bonus est.

II. Novae omnino versiones factae sunt occasione *commentariorum* in multos S. Scripturae libros a catholicis Fabro Stapulensi (Parisiis, 1512) et Thoma de Vio Caietano (variae editiones: 1530-1545) et a protestante Conrado Pellicano (Tiguri 1532-40), quibus adde versionem Novi T. latinam quam textui graeco a se edito apposuit Erasmus (Basileae 1516 et saepissime); et Veteris T. cum textu hebraico editam a Sebast. Munstero (Basil. 1534).

III. Integrae versiones per se stantes editae sunt a Sancte Pagnino, O. P. (Lugduni, 1528) et a protestantibus Michaele Serveto (Lugduni, 1542); Leone Iudae aliisque (Tiguri, 1543; haec versio dicta *Tigurina*, repetita a Rob. Stephano, 1545 et saepius, divulgata fuit apud catholicos sub nomine Vatabli); Sebastiano Castellione (Basileae 1551) stylo classico; Tremellio et Iunio (Frankf. 1579).

126. Haec, quae delibavimus, facta ansam dederunt Concilii Tridentini decreto, quod inscribi solet: *De editione et usu sacrorum librorum*. Ex duplici enim capite proveniebat in locis Scripturae sacrae ad probanda fidei dogmata afferendis inefficacia. Nam Vulgata versio vel reiciebatur tanquam non vera, non recte redddens genuinum textum, vel tanquam corrupta despiciebatur. Itaque sacrosancta Synodus in Sessione 4ª ad mala quae irrepserant omnino tollenda, post assertam divinarum Scripturarum auctoritatem in canone, de quo dictum est supra (p. 2s. 117s. 138-40) decreto lato statuit, tum ut Vulgata versio tanquam authentica ab omnibus suscipiatur, et nemo illam reicere audeat, tum ut eadem versio quam emendatissime imprimatur.

Primam decreti partem, quae ad Vulgatae authentiam pertinet, latius exponemus infra c. 6; hic nobis agendum de altera parte, quae ad eiusdem emendationem et impressionem spectat.

Sperabatur quidem a Patribus Tridentinis, hanc emendationem ad unguem perduci posse stante Concilio, ita ut emendata impressio ab ipsa

Synodo approbaretur. Verum multo lentius res processit, quam opinione praesumebatur, et solum post 46 annos a lato decreto ad finem adducta est. Quae ad lentam hanc elaborationem pertinent, quo brevitati simul et perspicuitati prospiciatur, chronologice exponemus.

127. A Concilio Tridentino (1546) ad editiones clementinas (1592-1598).

Cf. Ungarelli, *Praelectiones de N. T. et historia Vulgatae Bibliorum editionis*, p. 111-224. — Vercellone, *Dissertazioni accademiche*, p. 57-96. — Id., *Variae lectiones* I, p. xvii-lxxvi. — Höpfl, *Beiträge zur Geschichte der Sixto — Klement. Vulgata*, Freib. i. B. 1913. — Amann, *Die Vulgata Sixtina von 1590*, ib. 1912. — Quentin, *Mémoire sur l'établissement du texte*, p. 128-208. — F. Prat, *La Bible de Sixte-Quint*, in *Etudes*, 50.51 (1890). — Le Bachelet, *Bellarmin et la Bible Sixto Clémentine* Paris, 1911.

1546 – In decreto 2º Sess 4ae statuunt Tridentini PP. ut « Vulgata editio quam emendatissime imprimatur » et rem commendant perficiendem Summo Pontifici. Card. Cervini (Marcellus II) et Guil. Sirletus Romae emendationi textus adlaborant.

1547 – Joh. Hentenius edit Lovanii S. Biblia (*ex editione Stephanica anni* 1540) cum paucis emendationibus et multis lectionibus marginalibus e 20 codicibus. Repetita et aucta 1573. 1580. 1583.

1561 – Constituitur a Pio IV *prima* Congregatio Cardinalium ad Vulgatae editionem; consuluntur codices Avellanensis (Vat. lat. 4216), Paulinus (cf. n. **117**), Cervinianus (nunc Ottobonianus 66; cf. supra n. **116**).

1569 – *Secunda* Congregatio (sub Pio V). Conferuntur codices quot-quot praesto sunt (praeter romanos, 12 florentini et 34 Casinenses); deinde consuluntur textus originales; de lectione admittenda decernitur in sessione generali ad plura suffragia. Ob discordiam opinionum opus lente procedit.

1586 – *Tertia* commissio (sixtina). Conferuntur codd. Amiatinus (1), Vallicellianus, Legionensis, Toletanus (n. **116** s.). Opus urgetur. Exemplar lovaniense anni 1583 confertur cum textibus originalibus, codicibus latinis, emendationibus Sirleti; in margine adnotatur lectio praeferenda (*codex carafianus*). His subsidiis,

(1) Cf. A. Mercati *Per la storia del codice Amiatino* in *Biblica* 3 (1922), 324-328.

accedente optimo iudicio virorum rei criticae peritorum, paratur textus plane optimus (1).

1588 – Sixtus V condit Vaticanam typographiam; opus Commissionis ad se revocat, adiuvantibus Fr. Toleto et Angelo Rocca totam Scripturam ipse perlegit, plerasque emendationes Commissionis reprobat, ad lectiones lovanienses redit, capita in versus nova divisione distinguit; Bullam « Aeternus ille » (1 Martii 1590) ipse componit ac perpolit.

1590 – Ineunte Maio perficitur impressio; exemplaria plura mittuntur Principibus christianis, alia divenduntur (2).

At ipse Sixtus, opere suo non contentus, illud sub incudem revocat, multa corrigit calamo, rasura, plagulis agglutinatis. Inter haec vita fungitur (27 Aug. 1590). Sixti V editio triplici de causa potissimum displicuit: quod textus contra consilium Commissionis esset constitutus; quod illis correctionibus insertis foedum aspectum praeberet; quod numerationem versuum inusitatam induceret. Commissio satagit, ut ea editio interdicatur. Bellarmino intercedente, mitius agitur; venditio exemplarium suspenditur et emendatior editio paratur, tanquam ad mentem et propositum ipsius Sixti publicanda.

1591 – *Quarta* commissio ad revisionem Sixtinae editionis. Mature statuitur a Gregorio XIV, ut « ablata restituantur, adiecta removeantur, immutata considerentur vel corrigantur, punctationes perpendantur, mutationes ne fiant nisi cogat necessitas » (Vercellone, p. LI).

Dum loca dubia discutiuntur et ad impressionem morae trahuntur, decedit Gregorius XIV, eiusque successor Innocentius IX.

1592 – Clemens VIII negotium parandae editionis demandat Fr. Toleto, qui in margine sixtinae ed. refert emendationes Com-

(1) Cf. Höpfl, p. 138 nota 3; Quentin, p. 177-180.

(2) Praemissa est bulla *Aeternus ille* (legitur integra in editione Hetzenauer, Oeniponte 1906, p. 149*-155* et apud Cornely, *Introd.* 1² p. 486-495), quae nec vim obtinuit, defuncto maturius Pontifice, nec proprie fuit promulgata. Cf. *Etudes* 133 (1912), 63-82; *Civ. Catt.* 249 (1912,3), 161-180; *Zeits. f. kath. Theol.* 36 (1912), 1-47; 209-251; 38 (1914), 183-266; 47 (1923), 154-160; 601-611; 48 (1924), 133-151; Le Bachelet, o. c. 79-88, contra Baumgarten in *Bibl. Zeits.* 5 (1907), 189-191; 337-351; *Theol. u. Glaube* 13 (1921) 166-175; id., *Die Vulgata sixtina von* 1590 *und ihre Einführungsbulle*, Münster, 1911; Amann o. c. 114-121 et in *Bibl. Zeits.* 13 (1915), 193-199.

missionis cum suis adnotationibus, in quibus multum tribuit usui Ecclesiae et PP. Ea re perfecta exeunte Augusto, lectiones tandem probatas Ang. Rocca transfert in aliud exemplar sixtinum, typographo tradendum. Ante finem anni perfecta erat impressio definitivae editionis, in tota exteriori facie vix a sixtina diversae, in ipso textu ad summam quod attinet, non multum. Exemplaria sixtinae iam divendita redimuntur et cum reliquis destruuntur (1594).

Definitivus hic textus, cum per decennium vetaretur alibi imprimi quam in typographia Vaticana, ibidem recusus est iterum anno 1593 et tertio 1998 in forma minori cum tribus correctoriis ad singulas has editiones clementinas. Diversitates inter has collegit Hetzenauer O. M. C. in accuratisima editione *Biblia sacra Vulgatae editionis ex ipsis exemplaribus Vaticanis inter se et cum indice errorum corrigendorum collatis*, Oeniponte 1906, p. 73-102. Diversitates inter sixtinam et clementinas cf. ibid. 108-148; H. Bukentop, *Lux de luce*, Coloniae 1710.

Notanda: 1. Nomen Clementis VIII in fronte editionis addidit primo, post elapsum decennium privilegii vaticani, impressor Rovillius Ludguni anno 1604 privata auctoritate, nec id in morem abiit nisi multo serius. 2. De voluntate in *Praefatione ad lectorem* Sixto V tributa « totum opus sub incudem revocandi », quae affirmatio a nonnullis mendacii seu « piae fraudis » accusatur, cf. Le Bachelet, o. c., p. 74-101; Quentin, o. c., p. 199-201; Tacchi-Venturi, *Il B. Roberto Bellarmino: Esame delle nuove accuse contro la Sua Santità*, Roma 1923, p. 151-162. — 3. Quod praecipitur in fine eiusdem praefationis « ut lectiones variae ad marginem ipsius textus minime adnotentur », intellegendum est de margine in stricto sensu, h. e. *de latere, non de calce* paginae. Id et facile inferri poterat ab usu linguistico et typographico illius temporis, et nunc auctoritative declaratum habemus a Pontificia Commissione Biblica, Summo Pontifice Benedicto XV approbante in responso diei 17 Nov. 1921; cf. *Acta Apostolicae Sedis* 14 (1922), 27; *Biblica* 3 (1922), 129.

128. Post editionem clementinam. — Textum a Clemente VIII editum non carere mendis et ipsi in antecessum admiserunt editores (in Praefatione ad lectorem) et docti viri statim senserunt. Itaque Lucas Brugensis († 1619) post editum libellum: *Romanae correctionis, in Latinis Bibliis editionis vulgatae, iussu Sixti V Pont. Max. recognitis, loca insigniora* (Antverpiae, 1603), quo commendatur bonitas clementini textus, deinde, approbantibus pluribus S. R. E. Cardinalibus, Episcopis, Theologis, alium emisit, cuius titulus: *Libellus alter, continens alias lectionum varietates in eisdem Bibliis latinis ex vetustis manuscriptis exem-*

plaribus collectas, quibus posset perfectior reddi feliciter coepta correctio, si accedat Summi Pontificis auctoritas (ibid. 1618) iam satis indicat eius indolem et scopum.

Per duo saecula nullus fuit, qui, Brugensis vestigiis insistens, emendationi vulgatae editionis adlaboraret. Sed ab anno circiter 1830 exquisita diligentia in id opus incubuerunt Al. Ungarelli eiusque discipulus et continuator C. Vercellone, sodales barnabitae; nam collecta ac digesta ingenti copia variarum lectionum, optimam praebuere materiam unde correctio fieri possit. Multorum laborum fructus edidit Vercellone in opere *Variae lectiones vulgatae latinae Bibliorum editionis* Romae 1860-1864. Verum hoc opus, morte auctorum interceptum, non progreditur ultra Regum libros.

Th. Heyse et C. Tischendorf textui clementino Veteris Testamenti lectiones subdiderunt codicis Amiatini (Lipsiae 1873; cf. n. **101**). Novum Test. ex Amiatino codice iam ediderat idem Tischendorf (Lips. 1854). Sed multo felicius in N. T. adlaborarunt Ioh. Wordsworth et Iul. White, textu ad normam critices restituto, amplissimo apparatu addito (inde ab anno 1889; cf. n. **101**).

129. Tandem Pontificia Commissio de Re Biblica, a Leone XIII anno 1902 instituta, litteris ad Primatem Ordinis S. Benedict, datis die 30 Aprilis 1907 (1) Summo Pontifice Pio X approbante (2), monachis benedictinis munus detulit emendatissimam editionem, qualem tempora et studiorum progressus requirunt, praeparandi. In id opus instituta est intra Ordinem S. Benedicti specialis *Commissio de revisione Vulgatae*, Rev.mo Abbate, dein Card. A. Gasquet praeside, quae codices undique conferret, variantes lectiones colligeret, viam ad textus constitutionem sterneret.

Primos effectus expositos habes in libello *De revisionis Vulgatae ratione et statu praesenti* variis linguis edito Romae 1909; item *De revidenda Vulgata*, relatio secunda ibid. 1911. Cf. et A. Gasquet, *Revising the Vul-*

---

(1) Editae sunt in *Acta S. Sedis* 40 (1907) 446; *Acta Pontificia* 4 (1907), 286; *Civiltà Cattolica*, 1907, 2 p. 739.

(2) Cf. *Acta Pii X Pont. Max.* 4, 117; *Acta S. Sedis*, vol. cit., p. 721; *Acta Pontificia* 5 (1908), 3.

gate in *Dublin Review* 143 (1908, 2), 264-273; J. M. LAGRANGE, *La revision de la Vulgate*, in *Rev. Bibl.* 1908, 102-113. Interim dum Vulgatae editionem parat, eadem Commissio, variis occurrentibus ex latere manipulis, edit *Collectanea biblica latina* (inde ab anno 1913; hucusque 7 volumina).

Primi longi operis fructus prodierunt typis Vaticanis anno 1926 *Genesis*, 1929 *Exodus* et *Leviticus* ab H. QUENTIN critice restituti et triplici apparatu critico instructi. Principia ad constitutionem textus exposuit idem QUENTIN in *Mémoire* citato (n. **101**). Eorum summa haec est:

1. Omnes Vulgatae codices in Octateucho pertinent ad tres familias quarum duces sunt respective codices Amiatinus, Turonensis, Ottobonianus (cf. n. **116**); hi ab uno archetypo derivantur, qui ab originali iam remotus et identidem erat corruptus (p. 489). — 2. Ex his tribus manuscriptis ad plura suffragia, nempe sequendo lectionem duorum contra unum, restitui debet Vulgata, nullo respectu ad hebraicum textum. — 3. Ubi alteruter codex, Turonensis vel Ottobonianus, deficit (hi enim sunt mutili), et reliqui duo dissentiunt, fere nullum est praesidium in ceteris codicibus ad litem dirimendam, et solum remanet perfugium ad rationes internas. — Singula haec principia a pluribus impugnata sunt.

De his cf. *Biblica* 4 (1923), 401-7; 7 (1926), 447-455; *Ciudad de Dios* 136 (1924, 1) 291. 340; *Harvard theol. Rev.* 17 (1924), 197-264; *Journ. theol. St.* 24 (1922-3), 406-14; *Rev. bén.* 35 (1923) (72-76); 36 (1924), 137-164; 37 (1925), 1-46; 365-403; *Rev. bibl.* 33 (1924), 115-134; *Estudios eclesiásticos* 1927, 79-95; 186-207; *Zeits. für kath. Theol.* 51 (1927), 267-273; *Théol. Revue* 26 (1927), 177-184.

CAPUT VI.

De textuum et versionum auctoritate dogmatica

130. Postquam historiam textuum et versionum enarravimus, nunc, ea potissimum duce ac magistra, quaedam deducemus consectaria magni momenti de textuum et praecipuarum versionum auctoritate. Incipiemus, claritatis causa, ab authentia Vulgatae latinae decreto Tridentino asserta, de cuius occasione cf. n. **126**.

ART. 1. — De authentia latinae Vulgatae

Multi de hac gravi quaestione egregie scripserunt, tum veteres ut R. BELLARMINUS (in *Auctario bellarminiano* a LE BACHELET edito Parisiis 1913, p. 439 ss.) et IOH. MARIANA (in Migne *Cursus Script. s.* 1, 737-876), tum recentiores ut C. VERCELLONE, *Dissertazioni accademiche*, Diss. 4; G. BONACCORSI, *Questioni bibliche* p. 5-74; A. MAICHLE, *Das Dekret de editione et usu s. librorum;* Freib. i. B. 1914; H. HÖPFL, *Beiträge*, p. 1-43 (cf. supra n. **128**); H. KOCH, *Der authentische Character der Vulgata*, in *Tubing.*

Quartals. 96-98 (1914-1916); L. Lebel, *L'authenticité de la Vulgate*, in *La nouvelle France* apr. 1917; A. Picconi, *Attorno a due questioni dell'autenticità della Volgata*, in *Scuola catt.* 53 (1925, 2), 81-99. Nos hic argumenta ducemus ex ipsis Concilii documentis nuper editis (cf. p. VI), quae citamus per solos numeros tomi, paginae, lineae.

131. Praenotanda. — 1. Cum duo sibi praestituisset Concilium Tridentinum, ut dogmata declararet et ut mores reformaret, post longas disceptationes decretum est ut simul utrumque fieret, ita ut in singulis materiis statim post dogmata ageretur de disciplina. Id obtinuit etiam in quarta sessione, in qua de fundamentis fidei, in primis de S. Scriptura, actum est; ideoque duo decreta, aliud de doctrina, aliud de ecclesiastica disciplina, edita sunt. In primo decreto, quod incipit *Sacrosancta*, indicatur qui libri suscipiendi sint tanquam sacri et canonici; in altero, quod incipit *Insuper*, statuitur ut vulgata editio habeatur pro authentica. De priore decreto actum est supra (lib. II n. **36.63**); hic de secundo, quod ut e dictis patet et in Concilii Actis clarissime indicatur (5, 22, 3 ss.) est *formaliter disciplinare*, licet, ut videbimus, *fundamento dogmatico* innitatur.

2. Non una est vis vocis *authenticus*. Ad nostram rem distinguenda venit authentia *critica* ab authentia, ut ita dicam, *iuridica*. In iure *authenticum* dicitur documentum, quod validum est ac fidem facit in probationibus. In re critica authenticum est scriptum, quod vel eius est auctoris, cui tribuitur, si agatur de ipso textu, vel est cum originali conforme, si de aliqua versione sit sermo.

Textus decreti Tridentini. — « *Insuper eadem sacrosancta synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur et quod nemo illam reicere quovis praetextu audeat vel praesumat* (5, 91, 35-92, 3).

De hoc gravi decreto quaeremus: 1. quodnam sit proprie obiectum circa quod versatur; 2. quid de hoc obiecto statuat; 3. quanta sit eius extensio.

132. Obiectum decreti. — 1. *Non sunt* obiectum decreti *textus* originales, graecus et hebraicus, nec antiquae *versiones orientales;* h. e. haec non attinguntur a decreto, multo minus reiciuntur. Nam *a*) deputati a Concilio ad colligendos abusus expresse notant « non detrahendo tamen auctoritati purae et verae interpretationis septuaginta interpretum... neque reiciendo alias editiones » (5, 29, 11). Et cum Card. Giennensis (Pacheco) postularet ut expresse reiceretur versio LXX (ibi 59, 6 ss.), Patres abnuerunt. *b*) Imo, cum aliqui peterent ut approbaretur etiam editio graeca et hebraica (v. c. Card. Polus, legatus; 5, 65, 33), Concilium contentum fuit eas silentio praeterire (l. 37). *c*) Ceterum legati pontificii in Epist. ad Card. Farnesium data die 8ª Iunii 1546 (10, 519, 25) expresse tradunt non esse mentem Concilii prohibere, ne ad textus originales recurratur ad locum aliquem illustrandum.

2. *Nec sunt* obiectum decreti *versiones* in linguam *vernaculam.* Nam cum Card. Giennensis peteret « an translatio bibliorum in linguam maternam sit concedenda », Card. Tridentinus (Madrutius) vehementer asseruit concedandam et fovendam, nec Concilium obstitit aut quidquam decrevit (5, 30, 28-31, 16).

3. Sed obiectum decreti proprie *sunt versiones latinae.* Patet per exclusionem et e conceptis verbis decreti « si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, quaenam pro authentica habenda sit » (1).

133. Propria vis decreti. — 1. Circa versiones latinas ceteras, praeter Vulgatam, vis decreti est *negativa.* Nam cum propositum esset « an editiones haereticorum sint expressae reiciendae? *Placuit, non fieri earum mentionem* » (5, 65, 38 sq.). Atque de latinis potissimum valent ea verba, quibus legati pontificii mentem Concilii declarant Card. Farnesio (Epist. 26 April. 1546; 10, 470, 37-471, 3); « per approbationem Vulgatae non damnari alias... sed unamquamque relinqui in sua priore conditione ». Nempe illis unice denegatur, quod Vulgatae confertur.

(1) Vix opus est monere *editionem* apud Patres Tridentinos idem significare atque *versionem publicatam*, uti iam apud Patres Ecclesiae, praesertim S. Hieronymum.

2. Quantum ad Vulgatam vis decreti *positiva* est: *confert* nempe illi versioni quandam praelationem, quoddam *privilegium*.

Haec vero praelatio Vulgatae consistit in hoc, ut conferatur illi *authentia iuridica*, i. e. ut haberi iubeatur ab omnibus tanquam fide digna ac sufficienti vi probandi praedita in lectionibus et disputationibus, et consequenter vetetur « ne quis illam reicere audeat ». Hoc deduci iam potest ex praedictis, et patet ex fine Concilii, auferendi scilicet causas dubietatis et dissensionis in disputationibus. Ad hoc enim requiritur et sufficit ut unum statuatur documentum, cuius auctoritatem nemo possit respuere.

Quia tamen hanc auctoritatem non potuisset Concilium conferre Vulgatae, si haec ab originalibus discordaret et erroribus plena esset, indirecte, et tanquam necessarium *praesuppositum*, vindicatur Vulgatae in ipso decreto etiam conformitas cum originali sive *authentia critica*, et immunitas ab errore. Quantum pateant hae dotes, restat inquirendum.

134. Extensio decreti. — *a*) *Conformitas* cum textu, quam decretum Concilii Trid. supponit in Vulgata, non extenditur ad omnia, sed tantum *ad substantiam*. Probatur

1° quia ad hoc ut versio aliqua iure vocetur authentica (authentia critica), sufficit ut sit in substantia textui conformis, non requiritur ut undequaque illi adamussim respondeat;

2° eo, quod ab ipsis PP. Concilii admittebatur, Vulgatam non ubique respondere exacte textui. Nam cum theologi romani obiecissent formulae decreti: « mirum videri, quod reici non permitteretur illa editio (Vulgata) in iis locis ubi hebraeus textus simul et graecus ab ea discederet, aut non apte esset latine versus » (10, 507, 23), responderunt legati, nil obstare quominus illi loci e textu originali illustrentur aut nova versione declarentur; qua ratione omnes fore contentos, citra eorundem locorum reiectionem (10, 519, 24-28). Item in alia epistola (10, 470, 31).

b) *Immunitas ab errore* quam Concilium vindicat Vulgatae, restringitur ad ea quae pertinent *ad fidem et ad mores*. Patet

1° ex fine Concilii, qui erat finem imponere dubiis et contentionibus in lectionibus et disputationibus publicis. Hae vero versabantur tum maxime circa fidem ac mores, non circa historiam etc.

2º ex ratione quam adducebant PP. Concilii ad dictam authentiam Vulgatae soli asserendam, nempe quod aliae versiones « ad haereses fovendas essent aptae, dum haec vetus et vulgata editio ab omni haereseos suspicione semper fuit immunis » (10, 519, 20; cf. 470, 30);

3º ex fundamento theologico huius approbationis, quod in ipso decreto continetur, quod nempe « longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est »: aliis verbis ex infallibilitate Ecclesiae, quae errorem probare non potest. Iamvero infallibilitas Ecclesiae restringitur ad res fidei ac morum. Ergo et immunitas Vulgatae.

c) *Authentia iuridica*, seu vis probandi, cuius assertio proprium decreti obiectum constituit, quantum ad *usum* restringitur ab ipso decreto expresse ad publicas lectiones et disputationes; in usu privato non coarctatur libertas catholici exegetae vel theologi.

Quantum ad *extensionem* non videtur latius patere quam immunitas ab errore, qualem descripsimus modo; tum quia eaedem pro utraque militant rationes, tum quia Concilium non intendit certe nos obligare ad errorem aliquem, etsi in rebus mere historicis, admittendum, aut docendum.

Art. 2. — De textus hebraici masoretici auctoritate

135. Vidimus nuper, textui hebraico in Concilio Tridentino relictam fuisse intrinsecam suam auctoritatem ac dignitatem, nec quidquam fuisse detractum nec quidquam additum. Nostrum est itaque hic inquirere, quae auctoritas illi competat ex se. Sit ergo:

1. *Autographis* textus originalis proprie competit *plena authentia* atque divina auctoritas. Nam 1. authentica primo per se vocantur scripta originalia in oppositione sive ad versiones sive ad exemplaria transcripta, unde, v. g., Ulpianus in Digesto (10, 2, 4): « heredem exemplum (1) debere dare, tabulas vero authenticas ipsum retinere ». Tum vero 2. cum autographa immediate procedant e concursu Dei supernaturaliter moventis et hominis vitaliter subservientis, in illis tota vis est libri inspirati, nempe *divina*.

(1) « Exemplum definitur... proprie quod ex alio describitur; *copia* » (Forcellini).

2. *Exemplaribus* hebraicis Vet. Test., quatenus cum autographis sunt conformia, *secunda* ab illis *authentia* et auctoritas inest. Nam secundo authentici dicuntur textus originales in oppositione ad versiones, uti v. gr. apud S. Hieronymum *PL* 22, 577. 840. 851; 24, 622; 26, 595; et in *Praef. ad Pentat.* Patet autem exemplaria debere esse de se autographis omnino conformia; quod si constet, plenissima illis fides habenda est, qualis debetur ipsi verbo divino.

3. Textus hebraicus ad nos *integer in substantia* pervenit; ideoque hodierna exemplaria *authentia substantiali* gaudent, et sincerus revelationis fons dici possunt.

Codices hebraicos non fuisse corruptos graviter, ideoque textum originalem ad nos transmisisse substantialiter integrum, facile concluditur ex iis quae enarravimus (supra n. **18-32**). Nam inde ab aetate Christi tanta cura ac fide transcripta sunt exemplaria, ut in tanta codicum multitudine tanta conformitas sit factum singulare ac plane mirandum. Non ergo post Christum corruptus est textus. Sed neque ante Christum; ut enim iam arguebant Origenes et S. Hieronymus, inter multa vitia quae in Iudaeis suorum temporum notarunt Christus et Apostoli, nunquam illis obiiciunt corruptionem Scripturarum, cum tamen res sit quae ad ipsa fidei fundamenta pertineat; imo provocant ad testimonia Scripturarum qualia legebantur suo tempore, ut probent Christi missionem (1). Cui argumento nos addere possumus, quod si substantialis corruptio S. Litteras tunc invasisset, tam gravis defectus etiam Vulgatam inficeret, quae textui masoretico tam est conformis quam vix ulla ex antiquis versionibus; quod esset contra Vulgatae authentiam a Tridentino decretam.

136. Ad ea quae obiici possent, en pauca ad rem sufficientia:

1. Differentiae et corruptelae, quas in prima aetate enatas esse e comparatione locorum parallelorum inter se et hebraici textus cum graeca versione probavimus, *a*) tanti non sunt, ut substantiam ipsam librorum attingant; *b*) ex communibus causis in transmissione librorum ordinarie accidentibus ortum habent;

(1) Luc. 4, 21; 24, 27. 32; Ioh. 5, 39; Act. 18, 28.

et lectionem originalem, genuinam, plerumque rectius servavit textus masoreticus, quam graeca versio.

2. Innumera quidem loci tamquam a Iudaeis corrupti ab aliquibus allati sunt ut Ps 96 (95), 10 «regnavit Deus» sine «a ligno»; Is 7, 14 «adolescentula» (νεᾶνις) pro «virgine» (παρθένος); Ps 22 (21), 17 «sicut leo» (כארי) pro «foderunt» (כארו). Nam illud «a ligno» in Ps 95 inveniuntur tantum in paucis omnino psalteriis latinis et apud Iustinum (*Dial.* 73: *PG* 6, 645), unde non esse genuinum facile convincimur. In Ps 22 non desunt codices qui legant כארי, ut ipsa masora [1] notat ad Num. 24, 9. Ceterum tam frequens et obvia est per omnes libros hebraicos confusio inter waw et yod, ut et hic peccatum facile nasci ex oscitantia librarii. Dici quidem in universum probabiliter potest, e variis lectionibus casu ortis Iudaeos illam consulto praetulisse, quae minus faveret christianae interpretationi, quod tamen longe distat a malitiosa textus corruptione.

Denique ad Is 7, 14 dicendum illic agi de versione Aquilae, adeoque non de textu, sed de eius interpretatione; in qua concedi facile potest, similiter ac modo dicebamus de variis lectionibus, Iudaeos eam esse interpretationem secutos, quae minus faveret christianis. Quod tamen de Aquila iudaeo interprete, nec prorsus valet in loco allato, nec in universum affirmari posse S. Hieronymus auctor est, qui haec ad Marcellam scribit: «Iampridem cum voluminibus Hebraeorum [= textu hebraico] editionem Aquilae confero, ne quid forsitan propter odium Christi synagoga mutaverit; et ut amicae menti fatear, quae ad nostram fidem pertinuerat roborandam, plura reperio» (*Ep.* 32; *PL* 22, 446).

Art. 3 — De auctoritate graeci textus Novi Testamenti

137. Quoniam ipsa Apostolorum autographa iamdudum perierunt, codicibus graecis N. T. illa authentia competere potest, quae exemplarium est propria, ut paulo ante dicebamus. Praeterea vidimus supra (n. 57), textum, prout ex ipsis critice restitui potest

[1] Ita in editione Iacobi ben Chaim (n. 34, II), de cuius fidelitate cf. Gesenius, *Introd.* p. 968-972.

et restitutus fuit, fideliter referre originalia scripta, non solum in substantia, sed etiam in plerisque accidentibus. Quare optimae saltem familiae codicum illa auctoritas competit, quae exemplaribus originali conformibus.

Accedit quod, propter optimorum codicum conformitatem cum Vulgata, authenticitas huic decreta in illos quodammodo resultat. Certe sensere Tridentini Patres, quantum auctoritatis Vulgatae et utilitatis eius emendationi accessisset ex bona editione graeci textus N. T.; unde et huius emendatam editionem Summo Pontifici commendarunt (1), quae editio et parari coepta est; sed ad finem perduci non potuit ob adversam fortunam (2).

Ceterum etiam familiis et codicibus minus bonis non est deneganda substantialis conformitas cum originalibus, ut proxime explicavimus, ac proinde proportionata auctoritas.

Art. 4. — De auctoritate alexandrinae versionis (LXX)

138. Non infrequens fuit apud Patres opinio, LXX, qui dicuntur, interpretes fuisse in vertendo inspiratos (3). Sed ea sententia, quae falsis de origine illius versionis narrationibus magna ex parte nititur, iamdiu a S. Hieronymo iure merito explosa est (*Praef. in Pentat.*; *Praef. in Paral.*). Negari tamen nequit divinam Providentiam invigilasse, ne sacros libros tam perverse in graecam linguam verterent, ut eorum versio sincerus fons revelationis iam dici non possit. Nam:

1. Ecclesia graeca et pleraeque orientales, immo et latina usque ad saeculum circiter VII, divinos Vet. Test. libros non aliter legerunt et legunt quam in versione LXX interpretum; nec putandum id permissuram fuisse divinam Providentiam, quae Ecclesiam regit, si ea versio non esset divini verbi sat fidus trames.

---

(1) Conc. Trid. 10, 447, 6; 471, 13. In ipso decreto *Insuper* s. Synodus « decernit et statuit ut Vulgata editio » non quidem sola sed « potissimum » emendate imprimeretur.

(2) Cf. Höpfl, *Beiträge*, 48-52; Id., *Card. Sirlets Annotationen zum N. T.*, Freib. i. B. 1908, p. 4-21.

(3) Cf. August. *de Civ. Dei* 18, 43 (*PL* 41,603) aliosque apud Cornely *Introd.*[3] p. 369 sq.

2. Nec deest supremae in Ecclesia potestatis explicita approbatio. Nam cum Apostolica Sedes alexandrinam versionem pure et sincere edendam vaticanis typis curasset (n. **69**, 3), Sixtus V, quo regnante et iubente illa editio prodiit, litteris praemissis (in forma *brevis*, quae dicitur), edixit « ut Vetus Testamentum iuxta Septuaginta, ita recognitum et expolitum, ab omnibus recipiatur ac retineatur ».

3. Denique ipsi Apostoli ac Novi Testamenti scriptores, dum saepe Vetus Testamentum secundum lectionem LXX interpretum citant (supra n. **62**), etiam ubi a textu hebraico discrepat, illam implicite approbasse censendi sunt; nec S. Scripturam Hellenistarum Ecclesiis sub alia forma tradidisse verisimiliter putari possunt, quam LXX interpretum.

Fatendum est, textum huius graecae versionis in longe deteriore conditione ad nos pervenisse, quam originalem textum Novi Test. Nam in ea multo plures ac multo graviores existunt variantes lectiones inter varios codices et editiones, et multo difficilius ac laboriosius est primam ac germanam interpretum lectionem in tanta varietate detegere. At 1. diversitatis longe maxima et gravissima pars inde venit, quod primitiva lectio ad textum hebraicum reficta et conformata est; unde variantes lectiones illam substantialem bonitatem, quae versioni ab origine inerat, non modo non auferunt aut minuunt, quin potius augent. 2. In ipsa codicum et versionum varietate non desunt media, quibus primitiva interpretum lectio restitui in plerisque casibus probabiliter possit (n. **71**; cf. **57**).

CAPUT VII

De arte critica

139. Etsi iam supra, cum de singulis textibus agebamus, non pauca diximus de critica eorumdem emendatione (n. **35. 57. 71. 129**), iuverit tamen hic sub uno conspectu colligere, quae in universum ad methodum critice emendandi textus faciunt, quo principia artis criticae, in ipso studiorum limine tantopere necessariae (cf. n. **1**), et facilius disci et latius in usum deduci possint.

Pars ista critices, quae in textu emendando versatur, appellari solet textualis et *humilior*; illa vero litteraria et *sublimior*, quae inquirit in librorum originem, auctorem, compositionem, fontes, scopum, tempus, etc. Non quod critica textualis sit minoris momenti, sed quod versetur circa singula verba atque, illis inhaerens, angustis et limitibus et legibus coarctetur; litteraria vero ascendat ad totum librum in suo complexu considerandum, adeoque, altioribus considerationibus indulgens, liberius exspatietur.

Neque vero istae duae partes artis criticae sunt altera ab altera plane discretae, sed potius inter se conterminae, adeo ut interdum circa idem obiectum versari possint. Nempe in gravioribus quibusdam casibus critica textualis adeo assurgit, ut in litterariam quodammodo transeat aut cum ea sit intime connexa. Exemplo sint in Evangeliis Mc. 16, 9-20; Ioh. 7,53-18, 11, de quibus cf. p. 89.

Generales normae, quibus critica textualis regitur, his capitibus continentur: 1. e quibus *causis* proveniant *variae lectiones* in codicibus; 2. quae sit lectio probabilior *extrinsece*, a testium auctoritate. 3. quae sit *intrinsece* probabilior.

140. Variantes lectiones exsurgunt in codicibus:

I. *Inconscienter:*

1. Errore *oculi*: *a*) confundentis litteras similes, vel *b*) similia vocabula; *c*) excurrentis ab una ad aliam locutionem similiter desinentem (*homoeoteleuton*) vel incipientem similiter (*homoeoarcton*). – 2. Errore *manus*, unam pro altera litteram aut syllabam scribentis ordinem permutantis, bis scribentis unam litteram (*dittographia*) vel semel duplicem (*haplographia*); cf. n. **20. 24.** tab. 3. – 3. Errore *auris* confundentis litteras eiusdem soni ore dictantis exceptas; cf. v. gr. Ps. 53, 6 cum 14, 5 s. (hebraice). – 4. Errore *memoriae*, verba semel lecta in exemplari non fideliter retinentis, substituentis synonyma, ordinem immutantis, locum unum alteri parallelo assimilantis, cf. n. **98.** – 5. Errore *iudicii*, male dividentis verba continue scripta, falso compendia solventis, notas marginales immittentis in textum. Cf. n. **16. 38. 40;** S. Hieron. *Ep.* 106, 46 (*PL* 22, 853); A. Rahlfs, *Septuaginta-Studien* 3, Leipz. 1911, p. 40 s.; *Gregorianum* 4 (1923), 108-111.

II. *Conscienter* (bona quidem fide, saltem plerumque):

1. Per correctionem *linguisticam*, mutando vel addendo, elegantiae, claritatis, euphemismi gratia; cfr. n. **20. 24. 45. 47. 67.** – 2. Per correctionem *historicam*, numeros, nomina, etc., alterando; v. gr. Gen. 5. 11. systematice differunt numeris TM, LXX, Sam., cf. **22;** Hummelauer, *Comm. in Gen.* 201. 342. – 3. Per correctionem *harmonisticam*, unum alteri locum assimilando; cf. n. **22. 45.** – 4. Per correctionem *dogmaticam*, locutionem removendo prima specie iniuriosam Deo, vel aliter minus bene sonantem; cf. n. **24. 57** nota 4. – 5. Per additionem clausulae *liturgicae*, bibliographicae, etc.; v. gr. Is. 16, 1: « Domine » in Vulg.; Mt. 6, 13 orationi dominicae additur in recensione α (n. **47**): « quia tuum est regnum et virtus et gloria in saecula. Amen ».

141. Extrinseca probabilitas lectionis stabilitur examine, classificatione, aestimatione testium (in primis codicum).

1. *Recensentur* testes quotquot exstant (enumeratio codicum textus et versionum, ut apud De Rossi, Gregory, v. Soden, Rahlfs; cf. n. **34. 36. 59**). Examine instituto, e censu eiciuntur ii, qui ab aliis exstantibus toti pendent, vel alioqui inutiles sunt; v. g. *E* paul, mera transcriptio codicis *D* paul (n. **41**).

2. Testes inter se independentes dividuntur in *familias* et classes, pro textu quem exhibent; indicia sunt lectiones quae tantum aliquibus sunt communes, et ea quae textum comitantur, prooemia, capitula, etc. Si fieri potest, statuatur codicum *stemma genealogicum*, quo colligatur plurium archetypus, atque e proximis remotiores archetypi, ut deveniatur ad unum antiquissimum. Utcumque sit, *lectiones familiarum*, non codicum, ad criticam textus adducantur; cf. apparatus v. Soden (n. **56**) et Rahlfs (n. **70**).

3. Ipsae familiae non tam numerandae quam *ponderandae*: quanta fide unaquaeque textum traditum servaverit, quibus normis aut causis constituta fuerit. Una optima praevalere potest pluribus deterioribus, puta β in Evangeliis prae δ et α simul (n. **45-47**).

4. Textus optimae familiae sumatur ut fundamentum textus constituendi, et corrigatur, ubi opus est, sive ex aliarum familiarum testimonio, sive e criteriis internis, de quibus mox.

142. Extrinsecae testium auctoritati accedat demum, praesertim in casibus dubiis, iudicium de **intrinseca** lectionum probabilitate; ad quod ferendum ponderari simul debent rationes deductae a paleographia, ab historia textus, a mente et stylo auctoris, a contextu, etc. Ab his variis rationum momentis exceptionem patiuntur pleraeque regulae, quae in hac re dari solent.

Regulae praecipuae ita breviter proponi possunt:

Praeferenda generatim est *lectio*

1. *difficilior*: amanuenses enim persaepe « scribunt non quod inveniunt, sed quod intellegunt » (S. Hier., *Ep.* 71, 5; PL 22, 671). Sic recte Vulgata clementina Ps. 41, 3 *fortem*, non *fontem*; Ps. 50, 16 *exultabit*, non *exaltabit*, quod habent psalteria latina. Cf. n. **71. 115** nota.

2. *brevior*, nisi agatur de omissione ex homoeoteleuto (cf. n. **20**); nam scribae fuerunt plerumque ad addendum proniores quam ad omittendum. Cf. n. **45. 67. 120.** Sic Ps. 18 (17), 14 omitte cum bonis codd. LXX « grando et carbones ignis » (cf. vers. praec.).

3. *difformis* a loco parallelo, quia constans tendentia fuit ad unum alteri assimilandum (n. **45. 47. 62. 140**).

4. *quae ceterarum originem explicat*. Sic I Tim. 3, 16 (cf. **57**, nota 2) lege ὅς, ex quo facile manant ὁ (correctio grammaticalis) et θεός, explicatio vel solutio compendii suppositi; cf. n. **40.**

Coniecturis criticis, quae tum locum habent, cum nulla e lectionibus traditis mendo caret, in Novo Testamento vix est locus, ob multitudinem, varietatem, antiquitatem testium. Ad summum forte Ioh. 19, 29 pro ὑσσώπῳ legendum ὑσσῷ (= pilo militari); Col. 2, 18 pro ἃ ἑόρακεν ἐμβατεύων (« quae vidit ambulans »; cf. Vulg.) ἀέρα κενεμβατεύων (« per aerem vacuum ambulans »); In V. T. e contrario plus semel erit necessaria (n. **20. 25**). Sed his conditionibus erit admittenda: 1. ut vere sit necessaria, h. e. ut ex nulla omnino inter lectiones traditas tolerabilis sensus elici possit. – 2. ut in margine (adnotatione) recondatur, non ipsi textui inseratur. – 3. ut detur tanquam probabilis, non certa. Minus periculum est errandi cum traditione quam in acutissimis propri ingenii inventionibus.

De his, praeter auctores citatos n. **36**, cf.: A. GERCKE, *Methodik* (in *Einleitung in die Altertumwissenschaft*[2], Leipzig, 1912): IV. Formale Philologie (p. 36-80); TH. BIRT, *Kritik u. Hermeneutik*, München, 1913; H. KANTOROWICZ, *Einführung in die Textkritik*, Leipzig, 1921; L. LAURAND, *Manuel des études grecques et latines* 7, Paris, 1919 (p. 795-805); C. E. HAMMOND, *Outlines of Textual Criticism applied to the New Testament.*[6] Oxford, 1902; L. HAVET, *Manuel de critique verbale appliquée aux textes latins*, Paris, 1911; A. C. CLARK, *Recent developments in textual Criticism*, London, 1916; id. *The descent of Manuscripts*, Oxford 1918; O. STÄHLIN, *Editionstechnik*, Berlin, 1914; H. QUENTIN, *Essais de critique textuelle* (*ecdotique*). Paris 1926; P. MAAS, *Textkritik*, Leipzig 1927; P. COLLOMP, *La critique des textes*, Paris 1931, G. PASQUALI, *Ueberlieferungsgeschichte und Textkritik*, Berlin 1932.

APPENDICULA DE VERSIONIBUS VERNACULIS.

143. Versiones in hodiernas linguas vernaculas ad criticam quidem nullius sunt auctoritatis, sed ad exegesim non parum prodesse possunt. Hac de causa, aliasque propter utilitates, iuverit hic breviter praecipuas recensere, quae in maxime notis atque diffusis linguis hodieque propagantur tum apud catholicos, tum apud protestantes et judaeos. Catholicorum versiones, nisi aliter notatur, e Vulgata latina factae sunt: Judaeorum solum V. T. canonis hebraici (cf. lib. II, n. 12) complectuntur.

a) *Anglicae linguae* catholici utuntur versione primum edita Remis (Reims 1582) pro N. T. et Duaci (Douai 1609 s.) pro V. T., sed deinceps varie expolita. Nuper coepta est, plurium opera, ea quae *Westminster version* audit. Hucusque N. T. prodiit.

Protestantes plurimum legunt et aestimant versionem iussu regis Jacobi I editam (1611), hinc *authorized* dictam a qua ad modernas editiones criticas recognita recenter (1881-1885) nata est quae *Revised version* appellatur. Ad studium, cum iudicio adhibitae, inserviunt ea quae *Variorum Bible* (London 1880) dicta est, et novae versiones J. MOFFAT (ib. 1913-1925), GORDON al., *The O. T. An American translation*, Chicago 1927; E. GOODSPEED, *The N. T. An Amer. Transl.*, ib. 1923.

Judaei versioni I. LEESER (1854) recens suffecerunt eam quam, multorum collaboratione expolitam, vocant *The holy Scriptures; ...a new translation*, Philadelphia 1917.

b) *Galli* catholici utebantur inde a saec. XVII versione Is. de Sacy. Saec. XIX factae sunt novae translationes e Vulgata a de GENOUDE (Par. 1821 s.), GLAIRE (ib. 1871), aliis .E textibus primigeniis vertit A. CRAMPON, perfecerunt alii; ed. maior (cum Vulgata et amplioribus notis) Tournai 1894-1904, 7 voll.; ed. minor[3] ib. 1931, uno vol.

Protestantes divulgarunt versiones F. OSTERVALD (1724), L. SEGOND (1874), *Version synodale* (1914); denique ab anno 1916 *Bible du Centénaire*, criticam, nondum completam.

Judaei habent « La Bible du Rabbinat français », Parisiis 1899-1906 (nova editio sub prelo).

c) In *Germania* catholicis in usu fuit versio J. Dietenberger (1534) per tria saecula varie expolita. Saec. XIX divulgabantur maxime duae

novae: Braun-Allioli (inde a 1788) et Loch-Reischl (1851 ss.). E textibus primigeniis verterunt: Brentano-Dereser (1798-1810), van Ess (1822-36), recentius V. T. P. Riessler (Mainz 1924), N. T. Rösch (1914), Dimmler (1925), Tillmann (1927), alii.

Protestantibus fuit et adhuc est in summo pretio versio sui ducis Martini Luteri. Novae recenter curatae sunt, ad usum scientificum, ab E. Kautzsch, *Die hl. Schrift des A. T.*, [11], Tübingen 1922; C. Weizäcker, *Das N. T. übers.* [44], ibi 1927.

d) *Hispani* catholici legunt versiones Ph. Scio (1790) et F. Torres y Amat (1823). Recenter plures e textibus originalibus coeptae sunt, praes. a Monachis Montis serrati (cum notis et figuris).

Protestantium societates biblicae diffundunt versionem Cypr. de Valera (1602); apud Judaeas celebris est illa quae a loco impressionis *Ferrariensis* (1553) dicitur.

e) *Italis* inservit potissimum versio A. Martini (1769 ss.) recenter varie expolita, praes. a M. Sales (Torino 1931), et curante Ed. Fiorentina (Fir. 1929). E textibus originalibus verterunt multos libros V. T. J. B. De-Rossi saec. xix in. (cf. n. 34); recentius G. Ricciotti; N. T. J. B. Re et A. Boatti. Integra nova versio coepta est apud Pont. Institutum Biblicum (hucusque Pentateuchus, Libri didactici V. T.).

A protestantibus divulgatur versio J. Diodati (1642); novam adornavit J. Luzzi (1921-1930). V. T. verterunt Judaei S. D. Luzzatto eiusque discipuli (Rovigo, 1872 ss.).

LIBER IV
DE INTERPRETATIONE

PARS I
HISTORIA EXEGESEOS

auctore P. Alberto Vaccari S. I.

1. Non una de causa fit, ut liber aliquis, praesertim antiquus, interpretatione, sive explicatione, indigeat; lingua, tempora, mores, loca, quae a legentis consuetudine sint remota, intellegentiam remorantur. S. Scripturae a sublimi argumento et ab origine divina habent praeterea, ut hinc quidem speciales praebeant difficultates, inde vero in plurimorum notitiam sint perferendae. Hinc factum est, ut et plurimi per omne tempus in earum explanationem, editis scriptis, incubuerint, et singularis plane momenti sit rectas interpretandi normas apprime cognoscere. Primum enarrat *historia exegeseos*, alterum praestat *hermeneutica*, quae duae generales interpretationis partes inter se mutuo adiuvant atque complent. Initium ducamus a prima (1); videamus, qui scriptores per varias aetates Scripturarum scientia floruerint, quae methodus interpretandi pro locis ac temporibus viguerit.

Pro triplici ergo divisione generalis historiae in tres aetates: antiquam, mediam, et recentem, triplex item distingui solet exegesis: Patrum a saec. I ad X, Scholasticorum a saec. XI ad XVI, recentiorum inde a saec. XVI. Quod si auctores spectentur, qui scriptis inclaruerunt, distinguendi sunt in antiqua et media aetate christiani a iudaeis, in nova catholici a protestantibus. Inde apparent praecipuae huius historiae divisiones.

---

(1) Solet plerumque historia exegeseos poni post hermeneuticam; nos hic, ob rationes typographicas, illam huic praemittimus. Ad rem non multum refert. Nihil impedit, quominus in scholis ordo arbitrio Professoris invertatur.

BIBLIOGRAPHIA. — Historiam interpretationis inchoavit R. SIMON, *Histoire critique des principaux commentateurs du N. T.*, Rotterdam 1693 (infra n. 49). Sed iam multa huc pertinentia continet SIXTI SENENSIS *Bibliotheca sancta* lib. IV (infra n. **45**). Item plurima passim exhibent generaliores tractatus R. CEILLIER, *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques*[2], Paris 1858; H. HURTER, *Nomenclator literarius Theologiae catholicae*[3], Oeniponte 1903-13. Specialibus libris enarrarunt protestantes J. G. ROSENMÜLLER, *Historia interpretationis librorum sacrorum in Ecclesia christiana*, Hildburghusae 1795-1815; L. DIESTEL, *Geschichte des A. T. in der christlichen Kirche*, Jena 1869; F. W. FARRAR, *History of interpretation*, London 1886; G. H. GILBERT, *Interpretation of Bible. A short history*, London 1908. Ceterum brevius pleraque suppeditant Lexica biblica et ecclesiastica sub v. *Exegesis, Hermeneutica, Interpretatio*, etc. Ad aetatem Patrum plurimum iuvant Patrologiae, praesertim O. BARDENHEWER, *Geschichte der altkirchl. Literatur*[2], Freib. i. B. 1913-1924 (hucusque 4 vol.); Fulcr. VIGOUROUX, *Mélanges bibliques*[2], Paris 1889; item *SMITH-WACE, *Dictionary of Christian Biography*, London 1877-87, 4 voll. (compendium revisum per WACE et PIERCY, ib., 1911, 1 vol.). Alia dabuntur suis locis.

CAPUT I

Aetas antiqua

(saec. I-X)

2. In antiquitate distinguitur exegesis potissimum oppositione inter duas scholas inter se aemulas, alexandrinam et antiochenam, apud Christianos dumtaxat. Apud Iudaeos, alexandrini quidem eadem fere placita sectabantur atque Christiani idemque genus exegeseos excolebant; palaestinenses vero, etsi a ratione Alexandrinorum abhorrebant, propriam tamen viam inierunt ab Antiochenorum sobrietate longe diversam. Hinc triplex divisio huius aetatis in Scholam alexandrinam, Scholam antiochenam, et exegesim Iudaeorum palaestinensium. His accedent latini scriptores, quorum, dum plerique sectantur graecos, pauci, sed primi pili, novas vias aperiunt exegesi.

Ad hanc aetatem pertinent fere omnia scripta impressa in MIGNE *Patrologia*, tam graeca quam latina, eiusque complemento *Patrologia orientali* (Paris, 1902...). Antiquiorum multa habentur melius edita in duplici collectione: *Die griechischen christlichen Schriftsteller* (Leipzig 1897...) curante Academia Berolinensi (*Corpus Berolinense* dicitur), et *Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum* (Vindobonae-Lipsiae, 1866...) curis Academiae Vindobonensis (*Corpus Vindobonense*).

Ad intellegendam maxime Patrum exegesim prae oculis habeantur hae *sensus S. Scripturae* divisiones.

Cum sensus sit « conceptus mentis per signa manifestatus », secundum **rem signantem** distinguitur sensus *verborum* vel *immediatus* vel *litteralis*, qui manifestatur per ipsa verba; et sensus rerum vel mediatus, qui manifestatur per res (personas vel actiones) verbis significatas.

Porro sensus *litteralis* vel immediatus alius est *proprius*, quando verba sumuntur in sua nativa significatione; alius est *translatus* vel *improprius* vel *tropicus*, quando eorum significatio transfertur a suo obiecto ad aliud non suum; eritque *metaphoricus*, si translatio consistat in uno vel altero tantum verbo, *allegoricus*, si ad totam orationem extenditur.

Sensus rerum vel mediatus est symbolicus, si illa manifestatio alterius rei est tota ratio instituendae rei vel actionis manifestantis, ut praedictio captivitatis in Isaia incedente nudo et discalceato (Is. 20), vel in Ieremia ferente iugum (Ier. 27, 2); est typicus, si illa manifestatio est superaddita rei, quae iam in se habet suam existendi rationem (ut in emptione agri Hanameel consobrini apud eundem Ieremiam 32).

Secundum **rem signatam** (obiectum, argumentum) sensus erit *historicus*, si ad eventum aliquem referatur; *tropologicus* vel *moralis*, si ad mores seu res agendas; *dogmaticus*, si ad res credendas; *anagogicus*, si ad res caelestes (sperandas) referatur.

Haec altera divisio (a re signata) est praecedenti collateralis, ut patet; proinde non est cum illa confundenda. Accidit tamen ut antiqui scriptores non cum tanto rigore loquantur; ideoque apud illos nomine *historici* veniat plerumque sensus *litteralis*, nomine allegorici non raro sensus typicus, vel quicumque sensus rerum (mediatus).

Art. 1. — Schola alexandrina

3. Iudaeorum. — Alexandrinae methodi, quae maxime allegoria gaudet, in sacris Scripturis interpretandis initia quaerenda sunt apud Iudaeos, quorum princeps est Philo (1). Floruit Philo circa tempora Christi († 42); sed iam ante ipsum allegorica interpretandi methodus apud Iudaeos late excolebatur. Ex iis, quae ipse Philo memorat, triplex inter eos interpretum genus distingui potest. Pauci allegoriam omnino reiciebant atque impugnabant, quos despicit Philo tanquam humi repentes (*De som-*

(1) *Philonis opera* edita sunt graece et latine ab *Ed. Mangey, London 1742; graece solum, sed accuratius et cum apparatu critico a *L. Cohn et P. Wendland Berlin 1896-1926 (editio maior, quam pone sequitur minor; omisso scil. apparatucritico; septem volumina; nos maiorem editionem citamus). De Philone exegeta cf. *C. Siegfried, *Philo von Alexandrien als Ausleger des A. T.*, Iena 1875; P. Heinisch, *Der Einfluss Philos auf die älteste christliche Exegese*, Münster 1908.

niis 1, 106 s., Op. 3, 226); alii e contrario tantopere allegoriae indulgebant, ut, sensu litterali neglecto, ipsam observantiam legum mosaicarum omitterent, quos item Philo condemnat (*De migr. Abr.* 89-93; Op. 2, 285). Maior denique pars cum ipso Philone media via incedens, sensum litteralem cum allegorico iungebat; illo utebatur tanquam fundamento, huic insistebat tanquam praecipuo.

PHILONIS *opera exegetica* in triplex corpus dividuntur:

1. *Sacrarum legum allegoria*, in selecta capita Geneseos, quorum expositiones considerantur ut opuscula distincta. Hic Philo maxime indulget suo allegorico systemati. Contendit enim e narratione Geneseos (sive ex historia humani generis ibi narrata) eruere completam quandam psychologiam atque ethicam (vol. 1-3).

En, v. gr., quomodo Philo explicat Gen. 2, 25-3, 7 (de lapsu protoparentum). *Adam* significat *animum* (νοῦν, mentem), *Eva* autem *sensationem* (αἴσθησιν). « Ambo nudi erant »: animus tam vitiis quam virtutibus vacuus, sensatio actuali perceptione carens; unde « non erubescebant », ab impudentia et pudore, contrariis affectionibus, pariter immunes. *Serpens* autem aptissimum est symbolum *voluptatis*, quia voluptatis motus, ut serpentis, multis flexibus blande et callide sese insinuat. Per voluptatem seducitur sensus (Eva), per sensum animus (Adam). *Serpens* porro *aeneus* a Moyse erectus (Num. 21), Evae serpenti contrarius, symbolum est *temperantiae*. Unde si quis ad serpentem aeneum respiciebat, sanabatur a morsu serpentium. « Verissime dictum; nam si animus, quando mordetur a voluptate, quae est serpens Evae, respicere spiritaliter poterit ad pulcritudinem temperantiae, quae est serpens Moysis, et per hanc ad Deum ipsum, certe vivet; tantum inspiciat et consideret » (1).

2. Systematica expositio legum mosaicarum. Comprehendit: I. *De opificio mundi*, ut prooemium (vol. 1). – II. *Vitas Patriarcharum*. – III. Legislationem proprie dictam ac 1° de *Decalogo;* 2° de *specialibus legibus*. Praevalet explicatio litteralis (vol. 4-5).
3. *Quaestiones et solutiones*. Est catechetica quaedam expositio Pentateuchi. Maximam partem intercidit. Servata est Genesis fere tota armeniace et latine; Exodus partim armeniace (2). Textum explicat litteraliter et allegorice.

(1) *Sacr. legum allegoria post hexaemeron* 2, 53-81. Hi libri, qui per antonomasiam *Legum allegoriae* vocari solent, editi sunt etiam, cum versione gallica, inter *Textes et documents pour l'étude historique du Christianisme*, Paris, 1909.

(2) Edidit I. Aucher, Venetiis 1826; inde RICHTER, *Philonis Opera*, vol. 6, 7. Lipsiae 1829 s.

4. Ad allegoricam interpretandi rationem Iudaei impulsi sunt: 1° *fine apologetico*, ne quid viderentur Scripturae tradere minus Deo dignum (ut anthropomorphismos, et ritus multos aut leges de ablutione, de sabbato, de cibis, etc.), immo ne minus sapientia refertae quam philosophorum libri; 2° *exemplo* ipsorum *Graecorum*, qui mythologias suas et poetarum, Homeri in primis, fabulas hac methodo ab omni absurditate vindicabant (1).

5. Apud Christianos eaedem fere causae allegoriam, a Iudaeis veluti manu traditam, confirmarunt. Accesserunt aliae, tres praesertim: quod in V. T. sola littera minus videretur idonea aedificationi fidelium; quod adversus haereticos erat defendenda concordia V. T. cum Novo; quod in ipsis N. T. libris quaedam allegoricae interpretationis indicia apparerent: 1 Cor. 10, 4; Gal. 4, 22 ss.; Col. 2, 16 s.; Hebr. 10 (2). In his enim exhibetur tum historia tum lex V. T. uti « umbra futurorum » (Hebr. 10, 1). Hinc in hermeneutica novum principium *typologia*. Hinc etiam factum est, ut Christianorum allegoria et certis legibus regeretur, et arctioribus finibus clauderetur et ab historia minus discederet, quam philoniana.

6. Alexandrinum διδασκαλεῖον. Alexandriae, teste Eusebio ad annum 180 (*Hist. eccl.* 5, 10; *PG* 20, 453), antiqua iam consuetudine constituta erat « sacrarum litterarum schola ». Primum forte instituta ad neophytorum instructionem (unde et *schola catechetica* passim appellatur) paulatim evasit quoddam universale magisterium christianarum disciplinarum.

In ea docebant homines apprime docti in litteris ac philosophia Graecorum: Pantaenus genere siculus et ex philosopho stoico christianus (ab anno 180), Clemens Alexandrinus (circa 200), Origenes (inde a 202), Heraclas († 248), Dionysius, postea episcopus alexandrinus († 265), Theognostus († post 270), Pierius († 300 c.), Petrus, item episcopus creatus († 312).

Hoc sibi praestituerant, ut philosophiam Graecorum cum doctrinis christianis conciliarent, immo doctrinam christianam in quod-

(1) Cf. *E. Zeller, *Die Philosophie der Griechen* 3, 1, p. 321-336; Heinisch, *Einfluss Philos*, p. 7-8; *Rev. bibl.* 1916, 504-506.

(2) Cf. Heinisch, p. 30-35.

dam systema scientificum, philosophicum pariter ac theologicum, erigerent. Divisione ac methodo disciplinarum utebantur apud philosophos usitata. Post grammaticam ac dialecticam, quae ad artes potius, h. e. ad inferiora studia, pertinebant, tradebatur philosophia divisa in physicam, ethicam, ac (pro logica philosophorum) theologiam. Hujusmodi autem disciplinis tradendis tamquam substratum atque auctoritas erat Sacra Scriptura, allegorice potissimum explicata.

De hac schola *fontes* praecipui sunt: EUSEBIUS, *Hist. eccl.* lib. 5, 10. 11, lib. 6 passim; GREGORIUS THAUMATURGUS, *Oratio eucharistica in Origenem* (*PG* 10, 1049; crit. ed. P. Koetschau, Freib. i. B. 1894).

BIBLIOGRAPHIAM vide apud BARDENHEWER, *Gesch. altk. Lit.* 2^2, 10; in *Dictionnaire de théol. cath.* et U. CHEVALIER, *Répertoire topo-bibliogr.* sub v. *Alexandrie; Civiltà Catt.* 1917, 3 p. 421-497; *Scuola catt.* 1924, 2 p. 309.

7. ORIGENES (186-254), alexandrinae scholae summus doctor, graecorum Patrum fecundissimus, ob miram laboris patientiam *Adamantius* dictus, in totam pene S. Scripturam plurima reliquit opera exegetica, quae ipsi antiqui in triplex genus distinxerunt, nempe 1. *Scholia* vel ὑποσημειώσεις (latine *Excerpta, commaticum genus*), h. e. breves adnotationes in locos obscuros; 2. *homilias* (latine *Tractatus*), h. e. sermones habitos pro contione; 3. τόμους (latine *volumina*) seu *commentarios*, quibus traditur fusa et scientifica explicatio integri alicuius libri (cf. *PL* 24, 21; 25, 585; 26, 309). Supersunt pauca de multis, collecta in *PG* 12-14, et (partim) in corpore Berolinensi.

8. Principia hermeneutica sua ipse Origenes systematice exhibuit in libro IV *De principiis*, quod opus ad instar cuiusdam *Summae theologicae* Alexandriae composuit (1). Ex eo praecipue fonte haec de eius mente colligimus:

I. S. Scripturae scopus *primarius* est ut *profunda mysteria*, quae ad Deum et homines pertinent, edoceat (n. 14); *secundarius* autem, ut, si quis ea mysteria capere non possit, saltem *aedificetur historia* et obvio sensu (n. 15).

(1) *PG* 11, 111-414; critice ed. KOETSCHAU in Corp. Berolinensi.

II. Hinc pro triplici conditione hominum, triplex distinguitur sensus in S. Scriptura:

1. *obvius*, litteralis (πρόχειρος ἐκδοχή), *tamquam corpus* pro simplicioribus sive *incipientibus*; hunc vocat Or. *corporalem* (σωματικόν) et intra sensus *proprii* septa coarctat.

2. *altior* tamquam *anima*, aptus *proficientibus*. Hunc vocat (n. 12) ψυχικόν.

3. *profundissimus* omnium, quasi *spiritus*, quo aedificantur *perfecti;* ideo hunc vocat *spiritualem* (πνευματικόν), eoque speculativa dogmata scrutatur.

Plerumque tamen Origenes 2um et 3um sensum communi nomine *altioris*, interioris, etc. opponit primo tanquam humiliori, superficiali etc.; ita ut habeatur duplex quasi genus: obvium et mysticum; hoc vero (mysticum) subdividatur in duas species non clare distinctas.

III. *Omnia dicta* S. Scripturae habent hunc sensum *altiorem; non omnia* habent sensum *corporalem.*

IV. Quod multi loci careant sensu litterali probat ex eo, quod eo sensu intellecti proferunt aliquid absurdum, scandalosum, Deo indignum. Huiusmodi tamquam scandala posita sunt a S. Spiritu expresse eo consilio, ut lector avocetur ab obvio sensu ad altiora mysteria (n. 15. 16). Nam « salvatur spiritualis veritas in corporali ut ita dicam, falsitate » (in Ioh. X, 4; *PG* 14, 313).

V. « Non est putandum historica historicorum esse figuras (τύπους) et corporalia corporalium, sed corporalia spiritualium et historica intelligibilium » (in Joh. X, 13; *PG* 14, 337 fine). Hoc principium allegoriae Alexandrinorum propriam suam notam imprimit.

De toto systemate cf. Delarue in *Opp. Orig.* II, p. III-XV (*PG* 12 init.); F. Prat, *Origène*, p. 115-139, 174-187; *E. Redepenning, *Origenes* 1, p. 290-324. Iure quidem reprehenditur non una de causa. At in Origenis excusationem dicendum etiam: 1. quod sensus litteralis apud ipsum aliosque Alexandrinos arctioribus limitibus continebatur quam apud nos; 2. quod in excessus impegit pugnando pro Ecclesiae fide contra Iudaeos, haereticos, imperitos fratres; 3. quod denique tandem in ipso libro *de Principiis* Ecclesiam agnovit ac professus est esse supremum iudicem

controversiarum et S. Scripturae authenticum interpretem (n. 1, n. 2, 7. 8; IV, 8).

Nec reticendum, Origenem plurimum profuisse studio verborum litterali, tum exemplo (v. gr. vocum ἀρχὴ et λόγος, quibus impendit totum 1 tomum in Iohannem), tum praeceptis (v. gr. *PG* 14, 1076 nota), et criticam textualem quodammodo creasse in illo percelebri opere *Hexaplorum* (supra p. 247 ss.).

9. Allegorismi impugnatores non defuerunt ipso vivente Origene (cf. *Hom. in Gen.* 13, 3; *in Lev.* 1, 1) ac praesertim post eius mortem. Inter eos NEPOS, episcopus aegyptius, librum scripsit *Contra allegoristas*, in quo etiam Apoc. 20, 4-22 contendit esse ad verbum accipienda, qui error est chiliastarum. Eum confutavit duobus libris *De promissionibus* et ad catholicam sententiam reduxit DIONYSIUS Alexandrinus (saec. III in.-265), ante episcopatum in praefectura scholae Origenis successor (cf. EUSEB. *Hist. eccl.* 7, 24).

10. Saec. IV inter alexandrinae scholae exegetas nominandi veniunt:

EUSEBIUS Caesariensis (265-340), qui in commentariis *Psalmorum* et *Isaiae*, teste etiam S. Hieronymo (*in Is. PL.* 24, 156), Origenem non tam secutus est quam expilavit. Magnam vero laudem adeptus est, eo quod plures disciplinas introductorias primus excoluit ac promovit. Atque in *Ecclesiastica* quidem *Historia* fundamenta iecit *historiae canonis* et *exegeseos. Historiam sacram* illustravit *Chronico* omnium optimo et uberrimo (superest integrum in versione armeniaca; 2. pars in versione S. Hieronymi). Denique insigne opus condidit ethno-geographicum quattuor partibus constans: 1. De populis in S. Scriptura nominatis; 2. de chorographia antiquae Palaestinae et divisione inter XII tribus; 3. descriptione urbis Hierusalem et templi cum *tabula;* 4. de *nominibus locorum* omnium in S. Scriptura occurrentium. Superest tantum ultima pars graece et latine (versa a S. Hieronymo, cum paucis additamentis), quae generatim venit nomine *Onomasticon*. Prostant haec opera *PG* 19-23; *Historia*, *Chronicon*, *Onomasticon* etiam in Corpore Berolinensi; cf. et P. DE LAGARDE, *Onomastica sacra*, Gottingae 1887; P. *THOMSEN, *Palästina nach dem Onomastikon*

des Eusebius in *Zeits. des deutschen Palästinavereins* 26 (1903), 97. 145.

Nominentur hoc loco etiam *Interpretationes hebraicorum nominum*, quae sub nomine Philonis et Origenis circumferebantur, atque a S. Hieronymo latine versae et retractatae (cf. *PL* 23, 771s) allegoricorum commentariorum fuerunt per plura saecula magnae aurifodinae. Editae sunt a LAGARDE, *Onomastica sacra;* cf. F. WUTZ, *Onomastica* (in *Texte u. Untersuchungen* 41) Leipzig 1914 s.

S. ATHANASIUS (295-373) in libris dogmaticis et polemicis exegesim sequitur simplicem, litteralem (cf. L. ATZBERGER, *Logoslehre des h. Athan.* München 1880, Anhang). Operibus exegeticis pertractavit *Cantic.*, *Iob* (quorum paucae supersunt reliquiae non omnino certae authentiae) et *Psalmos*, e quibus restant multa ac notabilia fragmenta (*PG* 27, 55-590; quae leguntur ib. 649-1344 sunt Hesychii). In his allegoriam adamat. Notatu etiam digna *Ep. ad Marcellinum* introductoria ad lectionem et usum asceticum Psalmorum. De eius Epistola festali 39 (ad canonem S. Scripturae) cf. lib. II, n. **30.**

DIDYMUS ALEXANDRINUS (313-398 c.) teste Hieronymo (*Vir. ill.* 109 et alibi) scripsit in *Psalmos*, *Iob*, (*Prov.* teste Cassiodorio, *Inst. div.* 5), *Is.* 40-66, *Os.*, *Zach.*, *Matth.*, *Ioh.*, 1 *Cor.*, *Gal.*, *Eph.* In catenis habetur etiam in Actus et in 7 Epistolas. Restant fragmenta multa in Psalmos (*PG* 39, 1155-1622), pauca in ceteros libros. In Epist. catholicas exstat explanatio latine versa curis Cassiodorii (*Inst. div.* 8 in *PL* 70) sed retractata et interpolata (cf. ZOEPFL, *Didymi Alex. in Epistolas canonicas brevis enarratio*, Münster 1914). Iampridem Hieronymus, Didymi auditor, adverterat « hominem pedibus in magistri (Origenis) ire sententiam » (Ep. 73, 2: cf. Ep. 119, 5 in MIGNE, *PL* 22). Cf. G. BARDY, *Didyme l'aveugle*, Paris 1910.

11. Saeculo V floruerunt CYRILLUS ALEXANDRINUS († 444) allegoricae methodi sectator maxime in 17 libris *de adoratione in spiritu et veritate*, ubi contendit huiusmodi adorationem in antiqua lege insinuatam esse typis et allegoriis (*PG* 68), et in *Glaphyrorum* (sive Elegantiarum) 13 libris, qui selecta loca Pentateuchi mystice exponunt (*PG* 69).

Commentarios proprie dictos condidit in omnes *prophetas* (Is. et XII min. soli fere integri exstant), *Ps.*, *Prov.*, *Cant.*, *Luc.* (hom.)

Ioh., *Rom.*, 1. 2 *Cor.*, *Hebr.* (*PG*, 68-74). In illis iam vergit ad historiam. Etiam in Novo T., praesertim in Luc., saniorem interpretandi methodum sequitur. De parabolarum expositione optima dat praecepta (*PG* 72, 809-812). Cf. A. Rücker, *Die Lukas-Homilien des hl. Cyrillus* Breslau 1911.

Hesychius Hierosolymitanus presbyter († post 451), sed alexandrinae scholae sectator in exegesi, scripsit 1. commentarium in *Leviticum* (latine solum exstat; de authentia cf. *Bessarione* 1918, p. 3-41); 2. in *Job* homilias (armeniace versas ed. Ch. Cerakian, Venetiis 1913); 3. commentarium in *Psalmos* (cf. *Rev. bibl.* 1924, p. 498-521); 4. *Scholia*, seu breves adnotationes in *Psalmos* (edita sub falso nomine Athanasii, in *PG* 27, 649-1344; cf. G. Mercati in *Studi e Testi* 5, 145-179) et in *prophetas Is.* (ed. M. Faulhaber, Freiburg i. B. 1900), *Dan.*, *duodecim minores* (cf. Faulhaber *Propheten-Katenen*, Freiburg i. B. 1899), quos et in stichos seu cola et commata distinxit (cf. lib. III, n. 39; *PG* 93, 787 ss.).

Itaque schola alexandrina vixdum exorta brevi ad summum florem pervenit sub Origene. Post ipsum declinare coepit, et, quanquam per Didymum et Cyrillum illustrata, circa medium saec. V extinguitur. Allegoriae nimium indulsit, ideoque apud plerosque posteros male audiit. Sed non est obliviscendum, hanc ipsam scholam praeclare meritam esse tum de sacra philologia, praesertim per Origenem, tum de historia textus et canonis et de archaeologia biblica, opera potissimum Eusebii; omnesque fere formas expositionis feliciter excoluisse.

Art. 2. — Exegesis Iudaeorum palaestinensium

12. Ad cognoscendos Iudaeorum tempore Christi mores, mentes, animos, adeoque ad intellegentiam praesertim Novi Testamenti, utilissima passim occurrunt in *Talmude* (1), antiquissimo

(1) De hac re, post antiqua opera *Novum Testamentum ex Talmude* curis *G. Meuschen (Lipsiae 1736) et *Horae Hebraicae et Talmudicae* *I. Lightfoot et Chr. Schoettgen (Lipsiae et Dresdae 1733), cf. nunc *H. Strack u. P. Billerbeck, *Kommentar zum N. T. aus Talmud u. Midrasch*, München 1922.–..; *A. Wuensche, *Neue Beiträge zur Erläuterung der Evang. aus Talmud u. Midrasch*, Göttingen 1878.

simul fonte (praeter Targumim, de quibus actum est lib. III n. 73-75) exegeseos Iudaeorum non Hellenistarum, cui parum aetate cedunt *Midrašim* (1).

Talmud constat textu et commentariis; ille *Mišna*, hi *Gemara* vocantur. *Mišna* est opus, in quo rabbi Iuda ha-Nasi sub finem saec. II p. C. scripto tradidit tum praxim legis, qualis in Palaestina ante Iudaeorum eiectionem (anno 133) in usu erat, tum doctrinam iuridicam ac moralem a rabbinis traditam. Constat 73 tractatibus (massektot, sing. *masséket*) in 6 ordines (*sedarîm*) collectis. Lingua utitur hebraica recentiore. Edita est cum versione latina et selectis expositionibus a SURENHUSIO (cf. p. VI), recentius cum versione germanica a BEER et HOLTZMANN Giessen, 1912 ss.

Gemara, seu commentarii rabbinorum posteriorum (saec. III-VI) in Mišnam, duplex est; alia Hierosolymitana, partialis; alia Babylonensis, completa; unde et duplex Talmud. Babylonicum est frequentius editum; ultimo phototypice e codice Monacensi ab H. Strack, typis cum versione germanica a *L. GOLDSCHMIDT (Berolini-Lipsiae 1897...). Hierosolymitanum gallice vertit *M. SCHWAB, *Le Talmud de Jérusalem traduit pour la première fois*, Paris 1878-1889; selectos tractatus exhibet hebraice et latine UGOLINI, *Thes.* 17-20.

Dum Talmud pertinet potius ad genus casuisticum, Midrašim propius accedunt ad exegeticos commentarios (2). Sunt enim liberae quaedam illustrationes singularium librorum, a quibus et nomen accipiunt, praeter antiquissimos *Mechilta* in Exodum, *Siphra* in Leviticum, *Siphre* in Numeros et Deuteronomium.

Hos tres habes editos et latine versos in UGOLINI, *Thesaurus antiquitatum*, vol. 14–15; alios in *JELLINEK, *Beth ha-Midrasch. Sammlung kleiner Midraschim*, Leipzig-Wien 1853-1877; et A. WÜNSCHE, *Bibliotheca rabbinica*, Lips. 1881-1885. Anno 1917 edi coeptum est Lipsiae *Corpus tannaiticum*, sectio 3ª « continens veterum doctorum in Pentateuchum interpretationes ».

---

(1) De his optimum Enchiridion est H. STRACK, *Einleitung in Talmud u. Midraš*, München 1921.

(2) Nomen ipsum *midraš* iam occurrit hebraice in 2 Par. 13, 22; 24, 27 et Eccli. 51, 23; sed plane alio sensu; cf. *W. BACHER *Exeget. Terminologie* I p. 25-27. 103 (contra N. PETERS in *Theol. und Glaube* 1911, 143).

13. Obiectum et **scopus** si spectetur, iudaica interpretatio, ab ipsis Iudaeis divisa est in duo genera: *halaka* explicat legem, dat normam vitae; *haggada* explicat historiam, indicat quid credendum, est aliquid speculativum. In Talmud praevalet halaka, in Midrašim haggada (1).

Ut exemplo res illustretur, ad *halakam* pertinet, v. g.: « Qui non obtulit sollemne sacrificium primo die sollemnitatis, offeret per totum festum (octiduum) et etiam ultimo die festivitatis. Transacto spatio festi, si non obtulerit, ad nil tenetur in posterum. Propter hoc dicitur (Eccl. 1, 15): Tortuosum nequit rectum fieri, et mancum nequit computari » (*Hagiga* 1, 6). Item quod ad illud Prov. 30, 19: « via navis in medio mari » animadvertitur: « Obvium est navim consistere et iter facere in mari. Cur additur " in medio mari "? Ad indicandum navim esse vas purum » (*Sabbat* 9, 1).

Ad *haggadam* spectat, v. g., ratio quae traditur in *Midraš Genesis rabba* (c. 4), cur in secundo creationis die (Gen. 1, 8) non dicatur, sicut in ceteris: et vidit Deus quod esset bonum. « Rabbi Iohanan (inquit) tradidit quia in eo creatus est infernus (geenna). Rabbi Hanania dixit: Quia in eo creata est divisio » Cf. Hieron. in Agg. 1, 1: « Neque enim poterat secundus dies, qui numerum facit qui ab unione dividit, quod bonus esset Dei sententia comprobari » (*PL* 25, 1389). Alia multa ex eiusmodi fontibus affert idem Hieronymus tum in commentariis, tum in Quaestionibus in Genesim. Cf. *Rev. bibl.* 1898, 563-566; *Monatschrift f. Gesch. u. Wissensch. d. Judenthums* 3 (1854), 311. 428; 4 (1855), 186; *Rech. science rel.* 1914, 1-21.

14. Inventionem si spectes, celebrabantur septem *regulae Hillelis* (2) quae docent arguere: 1. *a minori ad maius* et viceversa; 2. a pari (*analogia*); 3. *ab uno textu* ad totam seriem (3); 4. item *a duobus textibus;* 5. a *generali ad particulare* et vice versa; 6. a *simili;* 7. a *contextu* (4). Hae regulae, quae maximam partem dialecticae sunt et utilia praecepta continent, traduntur et illustrantur exemplis in Siphra init. (Ugolini, *Thes.* tom. 14 p. DXCV); ad easque reducuntur 13 *regulae*, quae dicuntur *Ismaelis* (5), praeter ultimam,

---

(1) *Halaka* a verbo *halak* = ire, significat *viam*, praxim; *haggada* venit a *higgid* (hiphil verbi *nagad* in kal inusitati) = narrare.

(2) Hillel floruit Hierosolymis sub Herode; erat in benigniorem interpretationem legis propensus, Šammai contra in rigidam. Cf. I. Felten, *Neutest. Zeitgeschichte* (Regensburg, 1910; italica versio, Torino, 1914), cap. 11; S. Hieron. in Is. 8, 11 (*PL* 24, 119).

(3) V. gr. multae leges incipiunt: « Si inventus fuerit » etc.; una ex illis (Deut. 17, 2-6) habet restrictionem « duobus vel tribus testibus »; hoc extenditur ad omnes.

(4) V. gr. praeceptum decalogi: « Non furaberis » (Ex 20, 15) intellegitur de *raptu personae*, quia praecepta praecedens et subsequens vetant delicta contra personam (Mechilta in h. l. apud Ugolini, *Thes.* 14, CCCCVII).

(5) Floruit in Palaestina saec. I/II, p. C.

quae sonat: « Duo textus sunt inter se contrarii; veniat tertius et conciliet eos » (1).

15. Et hae quidem regulae proprie valent ad *litteralem sensum* eruendum. At praeter hunc existere alium magis *reconditum* communis erat opinio apud rabbinos. Huius autem inveniendi indicia erant atque instrumenta praecipua: 1. accidentia etiam minima textus (exemplum habes apud HIERONYMUM *Quaest. in Gen.* 23, 16 in *PL* 23; ed. Lagarde [Lipsiae 1868], p. 36); 2. valor numericus litterarum, quibus vocabula constant (quod principium *gematria* vocatur); 3. *notaricon*, quo fit ut singulae vocabuli litterae sumantur ut initiales integrae vocis. Hae duo postrema principia, quae in sequiori aetate fuere magis frequentata, recta ducunt, ut facile quisque videt, ad somnia cabbalistarum (2).

De tota hac exegesi cf. G. AICHNER, *Das Alte Testament in der Mischna* (Bibl. Stud. XI, 4); * W. BACHER, *Die exegetische Terminologie der iüd. Traditionslit.; Die Agada der Tannaiten; Die Agada der palaestin. Amoräer; Die Agada der babylon. Amoräer.* De exegesi Iudaeorum in universum: * L. WOGUE, *Histoire de la Bible et de l'exégèse biblique jusqu'à nos jours*, Paris, 1881; * I. BLOCH et E. LÉVY, *Histoire de la littérature juive d'après G. Karpelès*, Paris, 1901; *G. KARPELES, *Geschichte der jud. Literatur*,[3] Berlin, 1921; *Jewish Encyclopedia*, 3, 162-174.

ART. 3. — Schola antiochena

16. Dum alexandrina schola declinare coeperat vergente saec. III, alia illi contraria surrexit Antiochiae (3).

Fundator antiocheni didascalei traditur LUCIANUS, patria samosatensis (?), tum antiochenae Ecclesiae presbyter, denique Chri-

---

(1) V. gr. « Unus textus dicit: Et descendit Dominus supra montem Sinai, in verticem montis (Ex. 19, 20); alius textus dicit: De coelo te fecit audire vocem suam (Deut. 4, 36). Conciliet tertius: De coelo locutus sum vobiscum (Ex. 20, 22). Docemur quod Deus benedictus demiserit summos coelos coelorum super montem Sinai » (Siphra in Lev. initio; UGOLINI, *Thes.* 14, DXCV).

(2) Cf. n. **39**. Huc pertinet *temûra* seu *permutatio* litterarum inter se certis legibus, v. gr. primae pro ultima, secundae pro penultima etc. et viceversa (*'atbaš*). Hoc modo iam in textu masoretico (Ier. 25, 26; 51, 41) est *šešak* pro *Babel*.

(3) De huius origine praecipui fontes sunt Philostorgii Historia ecclesiastica et antiqua vita S. Luciani, quarum fragmenta edidit I. BIDEZ, in *Philostorgius Kirchengeschichte*, Leipzig 1913. Cf. ibi pp. 184-87; 25-46 etc.

sti martyr anno 312 (cf. EUSEB. *Hist. Eccl.* 9, 6; HIERON. *Vir. ill.* 77). Hic cum sacras litteras didicisset primum a Macario quodam Edessae, venit Antiochiam quo tempore ibi Malchion, doctrinae catholicae vindex adversus Paulum Samosatensem, rhetoricam docebat (EUSEB. *Hist. eccl.* 7, 29; HIER. *Vir. ill.* 71). Lucianus, presbyter creatus, scholam s. Litterarum erexit, ad quam plurimi undique confluebant.

Ipse Lucianus nullum opus exegeticum scripto reliquit (1); at multos habuit asseclas et imitatores, qui S. Scripturas variis in locis explicarunt. Praecipui sunt Eusebius Nicomediensis, Antonius Tarsensis, Leontius Antiochenus, Theognis Nicaeensis episcopi.

Huius scholae historia in tres **aetates** dividitur: I. adolescentiae ab anno circ. 280 ad 360, h. e. a Luciano ad Diodorum Tarsensem excl.; II. maturitatis sub Diodoro et Theodoro Mopsuesteno (360-450); III. occasus (430-500), in qua floret Theodoretus.

17. Principia Antiochenorum in exponendis s. Scripturis haec sunt communiter: 1. sensui *litterali* potissimum insistebant; 2. allegorias aversabantur; 3. typos admittebant per *theoriam* (cf. n. **20**), eosque sobrie; 4. ad *historiam* maxime respiciebant et imprimis ad oeconomiam revelationis, qua distinguitur Vetus Test. a Novo et in seipso; 5. non solum in philologicam rationem singularum locutionum diligenter inquirebant, sed etiam ad totum *contextum* sive proximum sive remotum solerter attendebant, et *consequentiam* sententiarum sive inter se, sive cum circumstantiis historicis, requirebant.

Cf. C. HORNUNG, *Schola Antiochena de S. Scripturae interpretatione quonam modo sit merita*, Neustadt 1864; Ph. HERGENRÖTHER (Card.) *Die antiochenische Schule u. ihre Bedeutung auf exegetischem Gebiete*, Würzburg 1866; H. KIHN, *Die Bedeutung der antiochenischen Schule auf dem exegetischen Gebiete*, Freib. i. B. 1880; A. VACCARI, *La θεωρία nella scuola esegetica d'Antiochia*, in *Biblica* 1, 4-36; art. *Antioche* in lexicis supra n. **6** citatis.

18. Doctores huius scholae praecipui sunt:

EUSTATHIUS ANTIOCHENUS († post 330). Exstat eius libellus *de pythonissa* (περὶ τῆς ἐγγαστριμύθου, 1 Reg. 28) contra Origenem, in quo et interpretationem, quam Origenes proposuerat, illius pericopes acriter

(1) De eius recensione V. et N. Testamenti cf. supra lib. III, n. **50. 67.**

reprehendit, et hac occasione usus totam allegoricam interpretandi methodum vehementer impetit (est in MIGNE *PG* 18; simul cum homilia Origenis et tractatu Gregorii Nysseni in *Kleine Texte* 88; alia *fragmenta* collegit CAVALLERA, *Eust. Ant. homilia in Lazarum christologica*, Paris 1905).

THEODORUS HERACLEENSIS († 355) vocatur a S. Hieronymo (*Vir. ill.* 90) « elegantis apertique sermonis et magis historicae intellegentiae ». *Fragmenta operum* quae exstant habentur in MIGNE *PG* 18. Commentarium scripsit *in Psalmos* omnes (HIERON. *Epist.* 112, 30), sed non illum quem ei subdidit Corderius in *Catena graec. PP. in Ps.* (cf. n. **33**).

TITUS BOSTRENSIS († post 364) floruit sub Iuliano et Ioviano principibus, obiit sub Valente (HIER. *Vir. ill.* 102). Scripsit *Homilias in Luc.*; cf. SICKENBERGER, *Titus von Bostra*, Leipzig 1901 (*Texte u. Unters.* 21, 1).

EUSEBIUS EMISENUS († circa 359) ut ait Hieronymus (*Vir. ill.* 91) « innumerabiles confecit libros magisque historiam secutus, ab his qui declamare volunt studiosissime quaeritur; e quibus vel praecipui... ad Galatas libri decem et in Evangelia homiliae breves sed plurimae». Hae homiliae videntur omnino intercidisse; nam quae sub eius nomine latine feruntur homiliae, auctores habent latinos homines, plerosque Gallicanos. Cf. A. WILMART, *Le souvenir d'Eusèbe d'Emèse* in *Analecta Bollandiana* 1920, p. 241-284; *PG* 86, 545-561.

19. DIODORUS TARSENSIS Episcopus († ante 394) «dum Antiochiae esset presbyter, magis claruit » (HIER. *Vir. ill.* 119). Nam ibi et pro fide catholica strenue decertavit et scholam exegeticam renovavit, auxit, ad culmen provexit. Scripsit in plerosque utriusque Testamenti libros, teste Theodoro lectore (1), commentarios, quibus insertae erant duae dissertationes: 1. « *Quae sit differentia inter theoriam et allegoriam* »; 2. « *Chronicon* corrigens errorem Eusebii Pamphili de temporibus ».

Exstant solum fragmenta; cf. *PG* 33, 1561-1628; J. DECONINCK, *Essai sur la chaîne de l'Octateuque*, Paris 1912. In Psalmos magna pars inventa est a L. Mariès (cf. *Rev. de Philologie* 35 [1911], 56-70), qui et proximae editionis primitias dedit in *Rech. de science rel.* (1919, 79-101), nempe praefationem generalem in Psalmos et specialem in Ps. 118. In hac exponit *quid inter se differant historia, theoria, allegoria, tropologia, parabola.* Ad rem nostram maxime notandum quid nomine *theoriae* veniat, et quo ab allegoria, e sententia Antiochenorum, differat.

20. Theoria habetur quando per aliquod factum historicum, quod reapse accidit, indicatur aliquid aliud futurum maius atque

(1) Apud SUIDAM in *Lexico* ad vocem Διόδωρος ὁ μονάζων.

perfectius; locum habet plerumque in typis, qui dicuntur, Vet. Testamenti (1). Differt autem ab allegoria, quod haec sensum litteralem, seu veritatem facti historicam, vel denegat vel saltem ab ea praescindit; theoria e contrario illam semper necessario praesupponit. Uti allegoria propria est Alexandrinorum, ita Antiochenorum propria quasi tessera est theoria. Cf. *Biblica* 1 [1920] p. 3-30.

21. Iohannes Chrysostomus (344-407) scriptor fecundissimus, oratorum nulli secundus, maximam Scripturae partem *homiliis* explicavit, in quo solo genere se exercuit et omnes longe superavit. Exstant pleraque (*PG* 53-64). Eminent prae ceteris hom. in Gen., in Ps., in Mat., in Ep. S. Pauli.

In hermeneutica inculcat Chrys. principium *condescendentiae* (συγκαταβάσεως). Deus nempe, dum mentem suam per s. auctores profert, condescendit usibus humani sermonis atque hominum intellegentiae sese aptat (*PG* 53, 108. 121; 55, 71); quae condescendentia pars est oeconomiae divinae in V. T. (55, 266). Sed simul cum hac condescendentia, S. Scriptura habet 'ακρίβειαν (cf. 53, 121) h. e. *veritatem* rerum ac *proprietatem* locutionum.

Quantum ad varios sensus S. Scripturae: *a*) Reicit allegoriam, fortiter et suaviter (cf. 53, 108; 56, 23. 60). Quod si quis obiciat Gal. 4, 24 « quae sunt per allegoriam dicta », reponit S. Doctor hic improprie (καταχρηστικῶς) allegoriam dici pro typo (*PG* 61, 662).

b) Admittit sensum typicum, quem vocat prophetiam per figuram vel res, et opponit alteri prophetiae per verba (*De poen.* hom. 6, 4; *PG* 49, 320). Atque hoc modo clare, acute, vere, tangit acu intimam rationem distinctionis, quae est inter allegoriam et typum: quod illa sit translatio verborum, haec rerum.

c) Distinguit in triplicem speciem effata sacra: alia quae solum sensum litteralem habent; alia solum allegoricum, cuiusmodi exemplum affert Is. 11, 6 (lupus et agnus etc.); alia quae duplicem sensum habent (in Ps. 46,1 in *PG* 55, 208 sq.; eadem in Ps. 9, n. 4, ib. 126 sq.; paulo aliter ib. 171 in Ps. 43). Sensum altiorem, litterali oppositum, *anagogen* vocat.

---

(1) Hinc intellegitur definitio tradita ab homine latino, sed certe ex fonte antiocheno (cfr. infra n. **28**): " Theoria est in brevibus plerumque aut formis aut causis earum rerum quæ potiores sunt considerata perceptio " (*PL* 21, 971).

Cf. *H. Chase, *Chrysostom: A study in the history of biblical interpretation*, London 1887; S. Haidacher, *Die Lehre d. hl. Johannes Chrysostomus über die Schriftinspiration*, Salzburg, 1897; Chr. Baur, *S. Jean Chrysostome et ses œuvres dans l'histoire littéraire*, Louvain 1907; Id. *Joh. Chrys. und seine Zeit*, München 1929-30.

22. Theodorus Mopsuestenus († 428) multa scripsit opera exegetica, quae enumerat Ebedicsu ('Abdiso') Sobensis in *Catalogo* c. 19 (cf. Assemani, *Bibliotheca orient.* 3, 31 ss.).

Exstant: 1. fere integer *Comm. in XII proph.* (*PG* 66). – 2. Maior pars *Epist. Pauli* (a Gal. ad Philem.) *latine*; edit. Swete 1880-2 (graece solum fragmenta). – 3. *Comment. in Ioh. syriace.* Ed. Chabot Parisiis 1897. – 4. Ceterorum sola fragmenta (longiora in Psalmos, iuvenile opus) collecta in *PG* 66 (1).

Theod., Antiochenorum omnium audacissimus, et historicae interpretationis tenacissimus: 1. negavit Iob, Cant., Paral., Esd. Neh., praeter plerosque deuterocanonicos, in V. T., Iac., 2 Petr., 2. 3 Ioh., Iud., Apoc. in N. esse inspiratos. – 2. Prophetias messianicas ad minimum numerum et ad genus typicum plerumque reduxit. Psalmos directe messianicos agnovit quatuor tantum (2. 8. 44. 109 Vulg.). – 3. Salomoni asseruit charisma sapientiae, non prophetiae (ex 1 Cor. 12, 8. 10). Quibus verbis utrum diversos *gradus auctoritatis* (uti communiter assumitur), an solum diversas species inspirationis asseruerit, saltem est dubium. Cf. L. Dennefeld, *Der altt. Kanon d. antioch. Schule* p. 44-61; L. Pirot, *L'œuvre exégétique de Theod.*, p. 121-175.

Propter hos errores eius memoria damnata est a Concilio Constantinopolitano II (Mansi, *Concil. coll.* 9, 368). Eius vero scripta summam auctoritatem nacta sunt apud Nestorianos; commentarii non ignoti nec neglecti fuerunt etiam apud catholicos et latinos. Ceterum in universum Mopsuestenus multum abest a vero et proprio rationalismo, et de typis Vet. Test. ea docet, v. g. praef. in Ionam, quae cum doctrina catholica plane consentiunt; cf. Pesch *De inspiratione* p. 567.

23. Polychronius Apamensis († 430 circ.), Theodori Mopsuesteni frater, fratrem ingenio est aemulatus, iudicio et eruditione

(1) De Theodoro cf. H. Kihn, *Theodor von Mops. und Iunilius Africanus als Exegeten*, Freib. i. B. 1880; L. Pirot, *L'œuvre exégétique de Théodore de Mops*, Roma 1913; J. M. Vosté in *Rev. bibl.* 1923, 522-551; 1925, 54-81.

superavit. Nam cum philologiam atque historiam ad dilucidandas S. Scripturas non minus feliciter applicaret, cavit a fratris excessibus; atque in cognitione et usu hebraici textus et syriacae versionis inter Graecos videtur primas ferre. Proinde inter optimos computatur (cf. Chase, *Chrysostomus*, p. 20 sq.); at paucos scripsit commentarios, quorum non exstant nisi fragmenta in catenis. Quaedam edidit Mai in *Script. vet. nova coll.* 1 et *Nova PP. Bibl.* 1, quae collegit Migne *PG* 162 (Supplementum; perrarum).

24. Theodoretus, Cyri Episcopus (c. 390-458), iam pertinet ad aetatem declinantem huius scholae et minus propria inventione valet, quam iudicio in seligendis praedecessorum sententiis. Scripsit: *Quaestiones in libros historicos* (Gen.-Paralip.); *Comment. in Pss., Cantic., Prophetas omnes, Epp. Pauli* (*PG* 80-81).

In Quaestionibus investigat locorum difficilium nunc sensum (νοῦν), nunc causas (αἰτίας), sive apologetice, contra obtrectatores S. Scripturae, sive exegetice ad vota studiosorum (cfr. praef.).

In Psalmis ipse se profitetur (praef.) velle medium incedere inter eos, qui in allegorias fere toti abeunt, et eos, qui exclusive historiae inhaerent « *Iudaeorum more* », neglectis iis quae ad Christum et Ecclesiam referri possunt.

In prophetis « multa loca ab eo egregie, et interdum rectius quam a plerisque recentioribus, exposita sunt et illustrata... Multo tamen praestantiores sunt eius commentarii in N. T. libros » (Rosenmüller 4, 93). In Epist. S. Pauli optimus post Chrysostomum, cui praestat brevitate.

25. Adrianus monachus (saec. v) claudat agmen antiochenae scholae, cuius doctrinam arte et compendio exposuit in sua *Introductione in S. Scripturas* (*PG* 98, 1273-1312; melius ed. Goessling, Berlin, 1887). Commendat in primis, ut scopus et argumentum libri investigetur. Tum texit longam tractationem de *idiomatibus* seu locutionibus S. Scripturae, quae sunt triplicis generis: 1° in sententiis (anthropopathismi et anthropomorphismi); 2° in vocabulis; 3° in compositione verborum, figuris etc. Deinde inculcat tradenda discentibus quaedam quasi signa ad viam litteralis interpretationis. Cf. G. Mercati, *Pro Adriano*, in *Rev. bibl.* 1914, 246-255.

Ut e dictis apparet, schola antiochena, etsi serius exorta quam

alexandrina, huic tamen nec numero nec praestantia auctorum cessit; eandem superavit solidiore methodo et fructibus duraturis.

26. Ad eam accedit EPHRAEM SYRUS. Nisibi natus (post 306), ibique diu fidelium doctor et columen, capta a Persis urbe (363) venit Edessam, ubi docuit et scripsit usque ad finem vitae (373). Videtur totam S. Scripturam esse interpretatus; pauca restant, partim syriace (edita Romae 1737-43), partim armeniace (edita Venetiis 1836; latine in Evangelia 1876, in Ep. Pauli 1893).

In eo graecis PP. antecellit, quod versionem syriacam (Pešitta) explicat, quae ad TM (p. 207 n.)propius accedit; et ob affinitatem linguae syriacae cum hebraica (hanc enim ignorabat) intimius penetrat sensum V. T. Principia sequitur antiochenis similia; allegorias refugit (cf. *Comm. in Gen.* init.; opp. 1, 6); typos non raro admittit, praesertim in homiliis; ceterum sensui litterali et historiae plerumque inhaeret. Cf. LAMY, *Les Comm. de S. Ephrem*, in *Rev. Bibl.* 1897, p. 380. 535; 1898, p. 89.

De aliis Syris, quoniam pleraque eorum opera interciderunt, vix attinet dicere. Antiquiorum interpretationes excerpserunt SEVERUS monachus, qui anno 861 *Catenam* (n. **32**) in omnes s. libros concinnavit, DIONYSIUS BAR SALIBI († 1171), qui singulorum librorum primum sensum litteralem, deinde spiritualem, aut primum versionem simplicem (Pešitta; cf. lib. III, n. **76**), tum aliam ex graeco explanat; GREGORIUS BARHEBRAEUS († 1286), cuius *Thesaurus mysteriorum* plurima continet philologica, pauciora exegetica, ad litteralem sensum aperiendum. Doctrinam PAULI PERSAE, scholae nisibenae magistri (1), e Theodoro Mopsuesteno maxima ex parte derivatam, in compendium redegit IUNILIUS AFRICANUS (circa 551) in libello *Instituta regularia divinae legis* (*PL* 68, 15; critice ed. Kihn Frib. Br. 1880; cf. n. **22**). Auctoritate multum valuerunt apud omnes Syros commentarii in utrumque Test. ISODADI MERUENSIS, de quo cf. *G. DIETRICH, *Ischo'dadh's Stellung in der Auslegungsgeschichte*, Giessen 1902. Ceterum consule syrarum litterarum historicos, allatos lib. III n. **76**, nota.

---

(1) De hac celebri schola cf. I. GUIDI in *Giorn. Soc. as. ital.* 4 (1890), 163-195; J. B. CHABOT in *Journal asiatique* 1896 I, 43-93; G. F. MOORE in *Studies in the history of religions* C. H. TOY, New York 1912, 255-267; TH. HERMANN in *Zeits. neut. Wiss.* 25 (1926), 89-122.

ART. 4. — Latinorum exegesis

27. HIPPOLYTUS romanus (martyr circa 236) Origeni aetate suppar, doctrina aemulus, graece scripsit plurima, quae perierunt praeter pauca; exstant paulo plura in alias linguas versa, syriacam, armeniacam, slavicam (edidit, post MIGNE *PG* 10, Achelis in Corpore Berolinensi). Typologiam late prosecutus est, quaestionibus eschatologicis multam operam dedit, in studium historiae incubuit, praesertim in *Chronico*, quod posterioribus chronologis exemplo et aurifodinae fuit. Ab alexandrina schola non dependet, licet allegoriae addictus.

28. Saeculo IV non pauci Latini *Alexandrinos* secuti sunt:

VICTORINUS Petabionensis (nunc Pettau in Styria) episcopus (martyr circa 300), cuius e multis unus exstat *Commentarius in Apocalypsim* a s. Hieronymo retractatus (ed. in Corpore Vindobon. 49); in eo millenarismum docebat, quem Hieronymus errorem expunxit (n. **30**).

HILARIUS Pictaviensis (315-367) scripsit in *Mt.*, in *Psalmos* (ubi putat « universa allegoricis et typicis contexta virtutibus » Prol.), in *Iob* homilias (deperditas), *librum mysteriorum* seu de typis et allegoriis V. T. Hunc edidit primo Gamurrini (Romae 1887), deinde Feder in Corp. Vindob. 65.

AMBROSIUS Mediolanensis (340-397) in suis ad populum homiliis (plerasque ipse redegit in formam commentarii) multa derivavit ex Philone, Origene, Basilio; at in paraenesi sui iuris est et eximius. Scripsit in selecta loca Gen., Reg., Ps., in Lc. (1).

GREGORIUS Eliberitanus († post 392) teste Hieronymo (*Vir. ill.* 105) « diversos mediocri sermone *tractatus* composuit », quorum alios, sub nomine *Origenis* traditos, ediderunt Batiffol et Wilmart (Paris 1900), pauci alii exstant. Cfr. *Rev. bén.* 25 (1908), 435-457; 26 (1919), 1-12; 29 (1922), 24-293; *Biblica* 3 (1922), 188-193.

APPONIUS (saec. V in.) *Canticum Canticorum*, Vulgata versione usus, typice explicavit (ed. H. Bottino et I. Martini, Romae 1843).

---

(1) Cf. KELLNER, *Der hl. Ambrosius als Erklärer des A. T.* Regensburg 1893; P. DE LABRIOLLE, *St. Ambroise et l'exégèse allégorique* in *Annales de phil. chrét.* 155, 591-603; H. R. MALDEN, *St Ambrose as an Interpreter of Holy Scripture* in *Journ. theol. St.* 16, 509-522.

Tychonius Afer, donatista, artem interpretandi septem regulis complexus est in *Libro regularum*, quae ab Augustino laudantur et explicantur (*De doctr. christiana* 3, 30-37). Spectant pleraeque ad typicam rationem. Post Migne (*PL* 18) ed. Burkitt in *Texts a. Studies* 3, 1. Apocalypsim symbolice exposuit contra errorem millenariorum (Gennad. *Vir. ill.* 18); sed opus intercidit.

Antiochenos e contrario sectatus est auctor commentariorum in *Prophetas minores tres* (Migne *PL* 21, 959), in *Iob* (*Spicilegium Casinense* III, 1 p. 335; cf. Vaccari, *Un commento a Giobbe*, Roma 1915); in *Psalmos*. Putatur esse Iulianus Aeclanensis († c. 455); cf. *Biblica* 4 (1923), 345-354.

29. Propriam viam inierunt tres: Ambrosiaster, uti vocatur inde ab Erasmo ignotus auctor commentariorum in 13 *Ep. S. Pauli*, qui olim Ambrosio (cf. Cassiodorii, *Inst. div.* 8) tribuebantur. Editi sunt post Migne (*PL* 17) in *Spicil. Casinensi* 3, 2. Eiusdem auctoris videntur *Quaestiones Veteris et Novi Testamenti* quae sub Augustini nomine vulgatae sunt (post Migne *PL* 35, melius in Corp. Vindob. 50), et *Anonymi in Matth. fragmenta*, edita a G. Mercati (*Studi e Testi*, 11, Roma 1903). Cf. A. Souter, *A Study of Ambrosiaster* (*Texts a. Studies* 8, 4; Cambridge 1905); *The identity of Ambr.* (in *Expositor* 1914, 224-232); W. Mundle, *Die Exegese der paulin. Briefe im Komm. des Ambr.* Marburg 1919.

30. Hieronymus natus Stridone circa a. 340, mortuus Bethlehemi 420, in exponendis Scripturis « Doctor maximus » ab Ecclesia appellatus, ad munus interpretis triplicem egregiam praeparationem attulit: 1. peritiam linguarum originalium (graecae, hebraicae, aramaicae) quantam nemo alius in antiquitate; 2. cognitionem hebraicae traditionis, de qua cf. *Biblica* 1 (1920), 470 ss., et cognitionem christianae exegeseos latissimam, cum omnes vel paene omnes ante ipsum Scripturarum expositores perlegerit, qua de re fidem faciunt eius praefationes et testis est Augustinus (*c. Iulianum* 1, 37); 3. cognitionem locorum ac rerum, cum amplius 30 annos vixerit in Palaestina sollers investigator (cf. praef. in Paral.).

De versionibus eius biblicis dictum est lib. III, c. V. Exegesim excoluit multiplici operum genere. In Epistolis (Migne, *PL* 22)

tractavit introductoria (53. 57), critica (106), philologica (20. 26. 28), exègetica proprie (21. 65. 140. 78. 120. 121 etc.). *Quaestionibus hebraicis in Gen.* (*PL* 23) discutit differentias LXX interpretum a textu hebraico. *Homiliis* explicavit Psalmos multos et selectas ex aliis libris, praes. Evangeliis, pericopas (ed. MORIN in *Anecdota Maredsolana* 3). Scholiis seu *commentariolis in Psalmos* supplevit simile opus Origenis (ib.). *Commentariis* proprie dictis disseruit Eccle. (*PL* 23), Prophetas omnes (Dan. et Ier., morte praeventus, non integros) (*PL* 24.25), Mat. Ep. Pauli ad Gal., Eph., Tit., Philemonem (*PL* 26). Praeterea retractavit Victorini comm. in Apocalypsim, et latine vertit Origenis homilias plures in prophetas, in Lucam, in Cant., et opus Eusebii de locis hebraicis (n. **10**).

In Epist. Pauli, incipientis opere (anni 386), multa derivat ex Origene; in Prophetis primum disserit sensu litterali et historice suam ipsius versionem ex hebraico propriis vestigiis insistens, deinde versionem LXX secundum « tropologiam » seu « spiritalem intellegentiam », ut ipse loqui solet, e consuetudine in Ecclesiis recepta ad pietatem fovendam atque aedificandos lectorum animos (cf. *Biblica*, l. c., p. 477).

31. AUGUSTINUS Tagaste natus anno 354, Hippone Regio defunctus anno 430, cum in dogmatica plurimum valeat ac primas tulerit, et in homiletica uni Chrysostomo sit secundus, in exegesi et optima praecepta et egregia quaedam specimina dedit; quominus summus evaderet, obstitit ignoratio linguarum aliarumque rerum positivarum. Continentur eius opera exegetica *PL* 34-37. Ea sunt:

1. Introductoria: *De doctrina christiana* libri 4, quorum tres priores agunt « de modo inveniendi quae intellegenda sunt », quartus de modo exponendi quae intellecta sunt.

2. Tractatus sive homiliae (enarrationes): in *Psalmos*, in *Iohannem*, in 1 *Iohannis*. Sermones de *Scripturis* (*PL* 38).

3. Commentarii: *in Genesim* tres: *contra Manichaeos* (allegorice); *ad litteram opus imperfectum; ad litteram libri* 12; *in Heptateuchum locutionum* libri 7, *quaestionum* libri 7; *ad Romanos inchoata expositio; ad Galatas; de sermone Domini in monte* libri 2; *De consensu Evangelistarum* libri 4; *quaestionum Evangeliorum* libri 2. Praeterea multas quaestiones exegeticas vel introducto-

rias pertractat in epistolis, v. gr. 140. 197-199 (*PL* 33), et in libris *de quaestionibus diversis, ad Simplicianum, ad Dulcitium* (*PL* 40, 11-170).

Adamat Augustinus in homiliis allegorias, mysticismum numerorum, morales applicationes. In commentariis late penetrat in theologiae profunda, sensum sacri auctoris non raro acute detegit, uberem doctrinae copiam inde elicit.

32. Non abs re fuerit hic meminisse Pelagii heresiarchae, cuius *expositio in tredecim Pauli epistolas* (scil. exc. Hebr.), ab auctore saec. VI (forte Johanne diacono) partim expurgata partim interpolata, S. Hieronymo passim tributa fuit (inde in Migne, *PL* 30), et iterum aliter a Cassiodorio (n. 35) eiusque discipulis catholico sensu emendata inter opera Primasii episcopi Africani saec. VI edita est (*PL* 68). Forma genuina recenter detecta et edita est ab A. Souter, in *Texts and Studies*, vol. IX, Cambridge 1922-1926. Cf. Id., *The Character and the History of Pelagius' Commentary on the Ep. of St. Paul*, London, 1916; Id., *The earliest Latin Commentaries on the Ep. of St. Paul*, Oxford 1927.

Art. 5. — **Patrum Epigoni** (saec. VI-X)

33. Cum saeculo V exspirat aetas productiva antiquae exegeseos, cum VI fere incipit collectiva; exegetae ex ubere messe aetatis praecedentis optima quaeque decerpunt, in unum congerunt, saepe in compendium redigunt, de suo generatim vix quidquam novi addunt. Id factum pariter apud Graecos et Latinos, sed hic aliter atque illic.

Graeci *catenas* praecipue condunt, quod genus ab ipsis ἐκλογαί, συναγωγὴ ἐξηγήσεων, παραγραφαὶ appellari solet. Textui sacro in breves pericopas distincto subiciuntur, vel in medio posito circumdantur, interpretationes variorum Patrum, praemisso nomine, et quidem primo pauciorum, deinde in dies plurium, sed semper ita ut ex utraque schola, alexandrina et antiochena, adducantur. Ita et uterque sensus, litteralis et mysticus, repraesentatur, et exegesis ex oppositis elementis quodammodo temperatur.

Primus auctor huiusmodi excerptorum, de quo certo constet, fuit Procopius Gazaeus (c. 465-528) in Pentateuchum, libros historicos, salomonicos, Isaiam. Secuti sunt:

Philotheus quidam (saec. vii?) in prophetas minores; Polychronius diaconus (saec. ix?) in lib. salomon.; Nicetas Heracleensis (saec. xi) in Job, Ps., Prophetas maiores, in Matt., Luc., Ioh., Epp. S. Pauli; Macarius Chrysocephalus (saec. xiv) in Gen., Matt., Luc.; alii plures anonymi vel parum noti.

De catenis cf. C. Krumbacher, *Geschichte der byz. Lit.*², p. 210-216; *Karo et *Lietzmann, *Catenarum Graecarum catalogus*, Gottingae 1902; Faulhaber M. *Katenen u. Katenenforschung* in *Byz. Zeits.* 18 (1909), 383-395; Id., *Hohelied –, Prov. – u. Predigerkat.* Wien 1902; Id. *Die Prophetencatenen nach röm. Handschr.*, Freiburg i. B. 1899; K. Staab, *Die Pauluskatenen*, Rom, 1926; *Die griech. Katenenkomm. zu d. kath. Briefen* in *Biblica* 5 (1924), 296-353; R. Devreesse, *Chaînes exégét. grecques* in *Dict. Bible Suppl.* 1, 1084-1283. Catenis graecorum PP. edendis adlaborarunt praesertim Nicephoros Theotokis *in Octateuchum* et *Reg.* (Lipsiae, 1772); cf. *PG* 33, 1561), D. Barbaro *in Psalmos* (cf. *Rev. bibl.*, 1924, 65-81), B. Corderius († 1650) in *Psalmos* et *in Evangelia*, I. A. Cramer († 1848) in totum *N. T.* Imagines phototypicas varii generis catenarum vid. in *Specimina codicum graec. vat.* (cf. lib. III, n. **40**), tab. 8. 34; Vitelli-Paoli, *Collezione fiorentina di facsimili paleografici*, tab. XIV, XXIX; W. Wattenbach, *Scripturae graecae specimina*³, tab. XVI, XXIV; et apud Staab, *Pauluskatenen.*

34. Commentarios condidit compilando Patres idem Procopius in Octateuchum (cf. *PG* 87, 1 col. 21 sq.); tum Olympiodorus diaconus Alexandrinus (saec. vi in.) in Job, Prov. Eccl., Jer., (*PG.* 93); Gregorius Agrigentinus (saec. xi ex.) in Eccl. (*PG* 98); Oecumenius Triccensis in Thessalia (saec. vi) in Act., Epp., Apoc. (*PG* 118-119); Andreas (saec. vi) et Arethas (saec. ix), Caesareae in Cappadocia Archiepiscopi, in Apoc. (*PG* 106); Theophylactus Achridae in Bulgaria episcopus (saec. xi) in Ps., Proph. min., Novum Test. fere integrum (*PG* 123-126), Euthymius Zigabenus (saec. xii) in Ps., Evangelia, Epp. S. Pauli (*PG* 128 s.).

35. Apud Latinos exstitit minor ab exegesi Patrum dependentia, saltem ad formam quod attinet.

A. Cassiodorius (477-570), in suo monasterio Vivariensi instructissimam interpretum, quotquot reperire potuit, bibliothecam collegit; in eos libros, qui nondum a quoquam fuerant explanati, novos commentarios a suis discipulis condendos curavit, ipse multa utilia tradidit in libro *De Institutione divinarum litterarum* (Migne, *PL* 70). Expositionem in Psalterium ita ex Augustino concinnavit,

ut adiutus saecularibus disciplinis, praesertim dialectica, propriam ei formam inderet et aptis divisionibus augeret; denique Actus, Epistolas omnes, Apocalypsim brevibus declarationibus complexus est (*PL* 70, 1321-1418).

Gregorius Magnus (c. 540-604) latissima explanatione illustravit Iob in libris 35 *Moralium;* homiliis vero selecta loca Ezechielis et Evangeliorum (Migne, *PL* 75-76). In 1 Regum ex eius ore exceptam enarrationem scripto tradidit Claudius Classensis abbas (*PL* 79; cfr. Ep. 12, 24 *PL* 77; *Recherches de sc. rel.*, 1916, p. 472). Item in Cant. Cant. 1, 1-8 (ibi 79, 471); cf. *Verbum Dom.* 9, 304. Versatur Gregorius potissimum in sensu morali eruendo et evolvendo, in quo plurima ex sua ipsius experientia ac studio haurit.

Isidorus Hispalensis († 636), per mediam aetatem plurimum lectitatus, multa e Patribus collecta praebuit introductioni libris *Prooemiorum* 1, *De ortu et obitu Patrum* 1; interpretationi typicae et allegoricae libris *De numeris* 1, *Allegoriarum* 1, *Quaestionum in V. T.* 1. Impressa exstant in *PL* 83, 155-424.

36. Beda Anglosaxonum doctor (674-735) Pentateuchum, libros historicos, Prov., Cant. allegoricis plerumque et figuralibus commentariis illustravit; Evangelia, Actus, Epist. catholicas, Apocalypsim litteraliter et moraliter enarravit, Patrum vestigia premens, saepe etiam afferens ipsa verba (*PL* 91-93).

Alcuinus (735-804) e Patrum dictis compegit commentarios in Psalmos poenitentiales, in Cant., in Eccle., in Ioh., in tres postremas Pauli Ep., in Apoc., mystico plerumque sensu (*PL* 100).

Magis ad rationem catenarum accedunt expositiones Rhabani Mauri (c. 784-856), Alcuini discipuli, in Pentat., libros historicos, Prov., Sap., Eccli., Jer., Ezech., Mt., Epp. Pauli, (*PL* 107-112). Denique mera catena est citationibus Patrum tota constans *Glossa* in totam s. Scripturam, quae ob pervulgatum usum *ordinaria* appellata est, et in scholis late diffusa, significanter dici potest claudere antiquam exegeseos aetatem (1).

---

(1) Saepe edita cum *Postilla* Nicolai de Lyra (n. 43), postremo Antuerpiae 1634. Compilata videtur saec. xii in., sed tribui solet Walahfrido Straboni († 849); hinc in *PL* 113-114.

CAPUT II

Aetas scholasticorum

Saeculo Christi XI renovari coepta est exegesis iamdiu fere intermortua, hinc quidem per excultam in Iudaeorum scholis philologiam hebraicam, inde vero per inductam in Christianorum studia methodum scholasticam, quarum causarum et separata et coniuncta opera factum est, ut sensui litterali maius in dies studium impenderetur et exegesi vere scientificae aperiretur via. Dicemus ergo primum de exegetis iudaeis, postea de christianis.

ART. 1. — Iudaeorum scholae

37. Philologiae et exegeseos rationalis apud Iudaeos fundator habetur SAADIAS AL FAYYUMI (892-942) etiam *Gaon* (doctor) per antonomasiam dictus (1), qui praeter opera grammaticalia et lexicalia, magnam partem V. T. arabice vertit et explicavit. Quae exstant opera ediderunt J. et H. Derenbourg, Paris 1893-1899.

Saadiae principia uberes fructus tulerunt apud Iudaeos in Hispania praesertim opera ABI-'L-WALIDI IBN ĞANAḤ (985-1050), MOSIS IBN GIQUITILLA (saec. XI exeunte), ABRAHAMI IBN ESRA (Abenesra, 1092-1167), apud quos studium sensus litteralis cum grammatica seu philologica ratione arcte coniungitur.

Interim in Gallia novam viam stravit exegesi Rabbi SALOMON IṢḤAKI (1040-1105) a sui nominis initialibus plerumque *Raši* appellatus, qui sensui litterali sua iura vindicavit, eumque per comparationem ipsarum inter se Scripturarum eruere et explicare conatus est. Eius commentarii mirum quantum habuerint influxum in posteriores exegetas tum iudaeos tum christianos.

38. Utriusque scholae et hispanicae et gallicae virtutes in se coniunxerunt tres e narbonensi familia KIMḤI commentatores, JOSEPH pater (1110-1175), filii MOSES († 1190 c.) et, qui omnes scientia et fama superavit, DAVID (1160-1235), dictus *Radak*, cuius grammaticae (*Sepher miklôl*) et lexico (*Sepher šoraŝîm*) innituntur studia hebraica recentiora; eiusdem commentarii multa continent

(1) Cf. lib. III, n. **29** not. 2; de versionibus Saadiae arabicis, ibid. n. **90**.

ad exegesim litteralem utilia, at quaedam etiam contra christianam religionem contorta.

Philosophicas disciplinas ad S. Scripturam interpretandam admovit in Hispania primus Moses Maimonides seu *Rambam* (1135-1204), cuius vestigiis insistens Levi ben Gerson (*Ralbag*, 1288-1344) plerosque Libros V. T. aristotelica philosophia explicavit.

Optimi quique commentarii horum auctorum impressi sunt in Bibliis rabbinicis, quae dicuntur,(cf. supra lib. III, n. **34**)editis passim Venetiis, Basileae, Amstelodami, Varsaviae; aliquot versi sunt latine a variis (cf. *Fürst, *Biblioth. iudaica* ad singulos auct.) ut in *Proverbia* ab A. Giggeio (Mediolani 1620), in *Cant.* a G. Genebrardo (Paris 1585), in *Psalmos* ab A. Janvier (Paris 1660), in *Eccle.* a P. Costo (Lugduni 1554), in *Isaiam* a C. Malanima (Florentiae 1774).

39. Nec indigni mentione sunt Karaitae, quae secta est Iudaeorum, saec. viii exorta, soli Scripturae inhaerens, reiecta traditione. Ex his sacram exegesim feliciter excoluerunt Iaphet ben Ali (saec. x), Jacob ben Ruben (saec. xii), Aaron ben Ioseph († 1294), et Aaron ben Elia (saec. xiv).

Longe minoris, imo vix ullius utilitatis, sunt commentarii, quos protulit schola mystica, saec. xiii in Hispania exorta et in Germania propagata, cuius auctor praecipuus fuit Moses ben Nachman seu Nachmanides (1194-1280). Excolebatur in ea quadruplex s. Scripturae sensus, ad modum similis divisionis apud Christianos (cf. n. **41**), nempe simplex (*pešāṭ*), allegoricus (*remez*), tropologicus (*derāš*) et mysticus (*sôd*). Culmen attigit haec doctrina in celeberrimo libro cui titulus *Zohar* (saec. xiii ex.), qui est commentarius Pentateuchi theosophicis speculationibus refertus, et codex quidam cabbalae evasit.

Saniorem viam coniungendi mysticam et philosophicam exegesim secuti sunt Itali, ut Isaias a Trani († c. 1250) et Emmanuel Romanus (1270-1330).

Denique mentione digna est schola dicta a *daršanim* (investigatoribus), ex qua prodiit celeberrima collectio *Ialcut šim'oni* (saec. xiii in.), commentarius haggadicus in totum V. T. ex antiquis midrašim variisque auctoribus in compendium collectus.

Art. 2. — Christianorum (Latinorum) scholae.

40. Fervor ac spiritus ille novus, quo studia theologica in universum ineunte saeculo xii renata sunt apud Latinos, etiam ad S. Scripturae interpretationem renovandam multum contulerunt. Non pauci enim inde ab eo saeculo in hac provincia ita adlabora-

runt, ut primo, lectione Patrum imbuti, multa tamen de suo penu depromerent; deinde vero lumen rationis per aristotelicam philosophiam, in primis dialecticam, exercitatum ad illustrandas divinas paginas admoverent. Praecurrunt in hoc stadio ANSELMUS LAUDUNENSIS († 1117) auctor *glossae interlinearis*, quae dicitur (impressa plerumque simul cum ordinaria, de qua supra n. **36**); BRUNO ASTENSIS, signiensis episcopus († 1123; opera in *PL* 164-165); RUPERTUS TUITIENSIS († 1135; *PL* 167-170); HUGO A S. VICTORE († 1141; *PL* 175-176); HONORIUS AUGUSTODUNENSIS († circa 1150 ?; *PL* 172); imprimis fama est celebratus PETRUS COMESTOR († 1179) cuius *Historia scholastica*, perpetuus quidam commentarius librorum historicorum (*PL* 198), per plura saecula tanquam manuale biblicum regnavit in scholis.

41. In prima vero parte saec. XIII invaluit, ex influxu praesertim scholarum in Universitatibus, peculiaris ratio inveniendi et exponendi, quae in eo consistit ut liber explicandus vel capitulum primo in suas partes praecipuas, tum hae partes singulae in suas subdividerentur sectiones, quae iterum distinguebantur, atque ita porro in huiusmodi analysi pergeretur usque ad ultima textus elementa. Haec porro analysis, etsi plerumque praeter modum extendebatur, ita ut fastidium potius et confusionem non raro facessat, negari tamen non potest, quin ad intimius penetrandum s. auctoris sensum multum contulerit. Erat vero cum ipsa arcte coniuncta inquisitio sensus litteralis, qui ex ea methodo in dies magis excultus est. Ceterum Scholastici, etsi divisionem sensuum, a Cassiano et Beda traditam, in litteralem, allegoricum, tropologicum et anagogicum (1) retinuerunt, ita tamen tres ultimos recte definierunt, ut essent tres species, per materiam distinctae, unius sensus

(1) Haec quadruplex distinctio saepe tribuitur Scholasticis tanquam auctoribus; at immerito. Docebatur enim iam saec. IV a Nesterote abbate apud Cassianum (*Collatio* 14, 8; *PL* 49, 962 s) et quidem ita ut duo tantum agnoscerentur genera, nempe « historica interpretatio » (sensus litteralis: cf. n. **2**) et « intellegentia spiritalis » cuius tropologia, allegoria, anagoge sint partes subiectivae seu species; eadem plane ratione atque apud Scholasticorum principes. Verum est, quod ante Scholasticos plerique triplicem divisionem, ab Origene derivatam (cf. n. **8**), in litteralem, moralem, et allegoricum sectabantur; v. gr. Theodulphus *PL* 105, 305; Angelomus, ib. 115, 110; Godefridus, ib. 171, 999; Hugo et Richardus Victorini, ib. 176, 789; 177, 205; S. Bernardus, ib. 183, 714; Petrus Comestor, ib. 198, 1053; Alanus de Insulis, ib. 210, 209.

spiritualis, atque ita reapse ad duo genera revocarent litterale et typicum. Tum vero profitebantur, sensum litteralem esse necessarium spiritualis fundamentum ac fulcrum, eique soli vindicabant vim demonstrativam (1).

42. In hoc genere illustres praecipue fuerunt:

Hugo a S. Charo O. P. († 1263), qui primus verbales *Concordantias*, quas vocant, s. Bibliorum confecit, et in totam S. Scripturam *Postillas* concinnavit. Cf. *Verbum Domini* 6 (1926), 149-156.

S. Albertus Magnus O. P. († 1280) commentarios scripsit in *Iob* (ed. M. Weiss, Frib. B. 1904), *Lam. Baruch*, *Daniel*, *Prophetas minores*, *Evangelia* (inter opera omnia vol. 18-24. Paris 1892-1899); inediti aut deperditi sunt in *Prophetas maiores*, in *Epistolas S. Pauli*. Cf. *Angelicum* 9 (1932), 3-20; 225-335; *Biblica* 13 (1932), 257-272; 369-384.

S. Thomas Aquinas († 1274) non minus excelluit in s. Scripturis interpretandis, quam in theologia speculativa. Explicavit *Iob* « secundum litteralem sensum » (Prol.), *Psalmos* (quinquaginta priores), eos « exponendo de rebus gestis, ut figurantes aliquid de Christo et Ecclesia » (Prooem)., *Isaiam*, *Ieremiae* 1-42, *Lamentationes*. In quattuor *Evangelia* concinnavit *Catenam auream* e multorum Patrum dictis, et proprios *commentarios*, e quibus exstant in *Mt.* et in *Ioh.*; denique omnes *Pauli Epistolas* lectionibus explanavit, singularum sententiarum et vocum, ac praesertim dogmatici sensus, diligens, si quis alius, atque acutus investigator. Cf. H. Pope, *St. Thomas as an interpreter of Holy Script*, Oxford 1924; *Biblica* 3 (1922), 328-338; 4 (1923), 300-311; 5 (1924), 64-72; *Scuola Cattolica* 1924, 2 p. 118-133; *Verbum Domini* 4 (1924), 153-159.

S. Bonaventura († 1274) paucos reliquit commentarios in *Eccle.*, *Sap.*, *Lc.*, et *Ioh.*, in quibus, praeter litteralem sensum, morales applicationes et usum concionatorium libenter prosequitur.

Alii eiusdem aetatis clari exegetae (2) fuerunt Nicolaus de

(1) Cf. S. Thomae *Summa theol.* 1 q. 1, a. 10; *Quodl.* 7, q. 6, a. 14-16; S. Bonaventurae, *Breviloquium*, Prooem.; Nicolai Lyrani, *Postilla* in Gal. 4, 24; Duns scoti, Opera, Parisiis 1891, tomo 5, p. 406.

(2) Multos ex ineditis fontibus excitat H. Denifle, *Die abendländischen Schriftausleger bis Luther*, Mainz 1905.

GORRAM († 1295); AEGIDIUS COLUMNA († 1316), S. Thomae optimus discipulus; ALBERTUS PATAVINUS († 1328); ROBERTUS HOLCOT († 1349); MICHAEL AIGUANUS († 1400).

43. Interim **lingua hebraica** disci coepta est a nostris, eiusque studium maxime promovit decretum Concilii Viennensis (1311-12), quo cathedrae linguarum orientalium in variis Universitatibus institutae sunt. Hinc adiri etiam potuerunt Hebraeorum commentarii, inprimis Raši (n. **37**). Inde multa utiliter derivarunt praesertim RAYMUNDUS MARTINI († 1290) in *Pugione fidei adversus Iudaeos et Mauros*, ac NICOLAUS DE LYRA († 1340), cuius *Postilla* in totam S. Scripturam litteralis sensus investigatione maxime insignis, late propagata fuit, multum lectitata, post inventam artem typographicam saepius impressa, atque ita per tria saecula evasit exegetis nostris optimarum interpretationum aurifodina. Eam additionibus partim ampliavit, partim impugnavit PAULUS A S. MARIA († 1435) Iudaeus conversus.

In sequenti saeculo (XV) interpretes plerumque abierunt in multas ac prolixas commentationes morales, dogmaticas, polemicas. Inclaruerunt maxime ALPHONSUS TOSTATUS, abulensis episcopus († 1455), S. DIONYSIUS RICKEL, carthusianus († 1471), JACOBUS PEREZ DE VALENTIA († 1492).

CAPUT III

Aetas recentior

44. Novam aetatem inchoavit in exegesi diffusa per Italiam primum, deinde in reliquam Europam, graecae linguae et totius antiquitatis cognitio, saeculo Christi XV. Delati tunc per Occidentis urbes graeci codices textum ipsum Novi Testamenti et alexandrinam versionem Veteris multis accessibilem reddidere. Sensum vero aperuit linguarum non solum graecae sed etiam hebraicae studium in dies latius pervulgatum, in quod plurimum contulit ars typographica tunc inventa; denique tota ratio philologica ad antiquitatis classicae formam revocata in methodum non parum influxit. Aliunde vero fere ab ipso huius aetatis initio per protestanticam ab

Ecclesia defectionem Christianorum exegesis in duas quasi acies adversas divisa est. Quare eius historiam in duas partes dividemus, alteram catholicorum, alteram protestantium, postquam de praecursoribus catholicis, usque ad Tridentini Concilii tempora (1450-1550 circiter), breviter tetigerimus.

Primus instauratam *graecae linguae* scientiam elucidandis s. Scripturis admovit Laurentius Valla († 1457), cuius *Adnotationes in N. T.* plerumque grammaticales et criticae sunt et in Vulgatam iniuriosae. Secuti sunt Faber Stapulensis († 1536) *in 4 Evangelia, in omneis s. Pauli Epist., in ep. Cath.*; Erasmus Roterodamensis († 1536), qui N. T. graece edidit cum versione latina nova et adnotationibus; Ioh. Gagnaeus († 1549); Antonius Nebrissensis († 1522). *Linguae hebraicae et V. T.* magis incubuerunt Santes Pagnini († 1541), Franc. Vatablus († 1547), Hier. Oleaster († 1563), Rud. Baynus († 1560). *In utroque* adlaborarunt Card. Thomas de Vio Caietanus († 1534), etsi non tam per se quam adiutus a peritioribus linguarum; Isidorus Clarius († 1555), Ad. Sasbout († 1553), Franc. Titelmann († 1557). Concionibus praecipue inclaruit Ioh. Ferus († 1554).

Art. 1. — Primum saec. a Concilio Tridentino (1550-1650)

45. Exegesis catholicorum. — Hoc saeculum tam fecundum luit optimorum exegetarum apud catholicos (1), ut merito « saeculum aureum exegeseos catholicae » audire meruerit. Fuit is praecipue effectus magni illius zeli, quo sanam ac veram Ecclesiae reformationem a Concilio Tridentino promotam catholicus orbis, in primis clerus, exsecutus est, ac fidem scientiamque catholicam adversus novatorum aggressiones strenue defendit. Itaque commemoranda sunt imprimis hoc loco duo *decreta Concilii Tridentini*, quorum alterum studia S. Scripturae excitavit ac promovit, alterum interpretationi rectum callem demonstravit. Nam in V sessione die 17 Iunii 1546 decretum est, ut in Ecclesiis quidem cathedralibus et collegiatis statueretur praebenda « ad ipsius s. Scripturae expo-

(1) Plusquam quadringentos s. Litterarum interpretes in hoc saeculo (1561-1663) enumerat Hurter, *Nom. litt.*[3] 3.

sitionem et interpretationem », in monasteriis vero haberetur « lectio s. Scripturae », scilicet « ne caelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus S. summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat » (*Conc. Trid.* 5,241). In IV vero sessione, post decretam Vulgatae authentiam (cf. lib. III, n. **131**), eadem Tridentina Synodus « ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo, contra eum sensum quem tenuit et tenet s. mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam interpretari audeat » (ib. 92), de quo decreto plura dicenda suo loco. Singula nunc persequamur.

Novam *introductionis* scientiam condidit SIXTUS SENENSIS O. P. († 1569) sua « *Bibliotheca sancta* »: fusam *Isagogen* scripsit Ludovicus DE TENA († 1622); Franciscus PAVONE († 1637) *Introductionem in S. Scripturam.*

Criticam sacram egregie exercuerunt, praeter editores sixtinos et clementinos (cfr. lib. III, n. **128**), LUCAS BRUGENSIS († 1619), IOH. MORINUS († 1659), PETRUS CARBO († 1590), MARIUS A CALASIO, Concordantiarum hebraicarum auctor (1620).

Geographiam sacram illustrarunt CHR. ADRICOMIUS († 1585), ABR. ORTELIUS († 1598), IAC. BONFRERIUS († 1642), FR. QUARESMIUS († 1656); *archaeologiam biblicam* ARIAS MONTANUS (in Polyglottis antuerpiensibus (1571 s.), CAR. SIGONIUS († 1584) *de republica Hebraeorum*, FORT. SCACCHI († 1643) *Myrothecia* seu *Thesaurus antiquitatum sacro-profanarum*, MAR. MERSENNIUS († 1649) *de mensuris ponderibus et nummis Hebraeorum*, COEL. DE MONTE MARSANO († 1659) *Clavis David.*

Laudantur praesertim FRANCISCUS LUCAS, a patria dictus BRUGENSIS, cuius *Notationes in sacra Biblia, quibus variantia discrepantibus exemplaribus loca summo studio discutiuntur* (Antuerpiae, 1580) et *Notarum ad varias lectiones in quatuor Evangeliis occurrentes libellus duplex, quorum uno graecae, altero latinae varietates explicantur*, insertus eiusdem *Commentario in sacrosancta quatuor Iesu Christi Evangelia* (ib. 1606) ob diligentiam et acre iudicium summi fiunt etiam a protestantibus tum antiquis, ut I. Millius, qui scribit, eis « nihil esse accuratius, nihil doctius et elaboratius» (*Novum Test. graece*, Prolegomena n. 1294, 1299; cf. lib. III, n. **53**), tum recentibus, ut P. Lagarde (lib. III, n. **70**); cf. HURTER, *Nom. litt.*[3] 3, 496. De duplici alio eiusdem Lucae libello ad Vulgatae emendationem cf. supra lib. III, 128.

IOHANNES MORINUS, e calvinista catholicus, omnium primus de Samaritanorum Pentateucho, cuius editionem principem paravit in

Polyglottis parisiensibus (cf. lib. III, n. **22**), de eorum lingua et litteris, disseruit: *Exercitationes ecclesiasticae in utrumque Samaritanorum Pentateuchum*, Parisiis, 1631; *Opuscula hebraeo-samaritana*, ib. 1657. Idem docte probavit contra protestantes in textu hebraico puncta vocalia esse recens inventum, atque auctoritatem Vulgatae et LXX strenue defendit: *Exercitationum biblicarum de hebraei graecique textus auctoritate libri duo*, Parisiis 1633.

Iacobus Bonfrerius S. I., suo commentario in Iosue, Iudices et Ruth (Parisiis 1631), adiecit *Onomasticon urbium et locorum sacrae Scripturae*, in quo Eusebii librum de locis hebraicis (cf. n. **10**) primus graece edidit, Hieronymi versionem, novamque suam adiunxit, amplo denique commentario instruxit.

Francisci Quaresmii, O. M. *Elucidatio Terrae Sanctae historica, theologica et moralis*, 2 vol. (Antuerpiae 1639; iterum Venetiis 1880) plurima continet, ad cognitionem Palaestinae etiam nunc utilia.

46. Commentarios proprie dictos plurimi conscripserunt, e quibus hic eos tantum recensere locus sinit, qui in suo genere plane excelluerunt; reliquos vide apud Hurter, *Nom. litt.*[3] 3, et Cornely, *Introd.*[2] 1, 695-714.

Iacobi Bonfrerii, modo dicti, aliud insigne opus est *Pentateuchus Moysi commentario illustratus* (Antuerpiae 1625), cui praemisit optima pro tempore *in totam s. Scripturam praeludia* (etiam in Migne *Script. s. Curs. compl.* 1, 1-300).

Nicolai Serarii, S. I. († 1609) optimus putatur *Iosue ab utero ad ipsum usque tumulum e Moysis Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio et e proprio ipsius libro toto, ac Paralipomenis, libris quinque explanatus* (Moguntiae 1609), in quo quidquid ad personam et ad textum libri Iosue late in omnem partem versat per *quaestiones*. Simili methodo sed brevius idem *Iudices et Ruth* (ib. 1609) necnon *Tobiam, Iudith, Esther, Machabaeos* (ib. 1610), explanavit. Posthuma prodierunt eiusdem succincta, sed plane solida, *commentaria in libros Regum et Paralipomenon* (Moguntiae 1617) et *in omnes Epistolas canonicas Sanctorum Apostolorum Iacobi, Petri, Ioannis, Iudae*, item copiosa *Prolegomena biblica* (ib. 1612). Doctas dissertationes ad varia S. Bibliorum capita pertinentes continet eiusdem *Opusculorum theologicorum*, tomus I (ib. 1611).

Ben. Pererius S. I. († 1610) edidit *Commentariorum et disputationum in Genesim tomos 4* (Romae 1589-98), maxime laudatos ob diligentiam ac sinceritatem in quaestionibus eventilandis, at nimium diffusos. Breviores sunt, non minus docti,

eiusdem *Commentariorum in Danielem prophetam libri 16* (Romae 1587).

Etiam Gaspar Sanctius S. I. († 1628) laudatissimos scripsit *Commentarios in quatuor libros Regum et duos Paralipomenon* (Lugduni, 1623), item *in Ruth, Esdrae, Nehemiae, Tobiae, Iudith, Esther, Machabaeorum* (ib. 1628). At praecipuam illi laudem contulerunt in omnes *prophetas* (*Isaiam* 1615, *Ieremiam* 1618, *Ezechielem et Danielem* 1619, *duodecim prophetas minores et Baruc* 1618) *commentarii cum paraphrasi* (omnes Lugduni editi). Simili methodo explanavit *Job* (ib. 1625) et *Cantica Canticorum* cum *Ps.* 67, « quem in Canticis respexisse videtur Salomon » (ib. 1616).

Commentariis in Psalmos (Romae 1606) facile primas fert Antonius Agellius theatinus († 1608), ad editiones Vaticanas LXX et Vulgatae (cf. lib. III, n. **69.128**) unus e praecipuis adiutoribus, qui sensum litteralem accurate investigat, Vulgatam quantum fieri potest docte tuetur, multa affert e codicibus Patrum loca, partim adhuc inedita. Idem scripsit *in Proverbia Salomonis* (ed. ab A. Novarino, Veronae 1649), *in Habacuc prophetam* (Antuerpiae 1697) et *Commentarium in Threnos collectum ex auctoribus graecis* (Romae 1598).

In eodem Psalmorum libro praeclare sese probarunt tres alii. G. Genebrardi O. S. B. (1597) *Psalmi Davidis vulgata editione, calendario hebraeo, syro, graeco, latino, hymnis, argumentis et commentariis genuinum et primaevum sensum hebraismosve breviter aperientibus instructi* (Parisiis 1577), ob solidam scientiam ac brevitatem saepius reimpressi sunt. Idem *Canticum Canticorum* et *Ioel prophetam* commentariis instruxit et suis et trium rabbinorum, Raši, Aben-Esra et D. Kimḥî (cf. n. **37**s) a se latine versis. Ei debetur etiam *Isagoge rabbinica ad legenda rabbinorum commentaria* (Parisiis 1559). S. Rob. Bellarmini S. I., inde Cardinalis, († 1621) *Explanatio in Psalmos* (Romae 1611) scientiam cum pietate utilissime coniungit, unde et saepissime excusa est. Ex celeberrimis eius *Controversiis christianae fidei* (Ingolstadii 1586 et saepissime) interpreti maxime est utilis prima pars *De Verbo Dei*. Simonis De Muis († 1644) *Commentarius litteralis et historicus in omnes Psalmos et selecta V. T. Cantica* (Par. 1640) hebraicum textum potissimum explicat ac defendit.

Ioh. Pineda S. I. († 1637) latissimas explanationes scripsit *in Iob* (Hispali 1598), in *Ecclesiasten* (ib. 1619), *in Cantica Canticorum* (ib., 1610), quibus tanquam introductio accedit eiusdem *Salomon praevius, i. e. de rebus salomonicis libri octo* (Lugduni 1609).

Canticum Canticorum illustravit maxime Mich. Ghislerius. theatinus († 1646), qui dat triplicem explicationem: de Ecclesia, de anima sancta, de B. Virgine, ac praeterea multas antiquorum interpretationes adducit. Idem *in Ieremiam* 1-15 commentarium edidit cum optima catena Patrum in Ier. Lam. Baruch.

In Psalmos paraphrasim cum argumentis et adnotationibus (Antuerpiae 1668), *in Proverbia et Ecclesiasticum commentaria* (ib. 1569), *in Sapientiam Salomonis adnotationes* (ib. 1577), breviter quidem sed egregie, scripsit Corn. Iansenius Gandavensis episcopus († 1576), qui pariter *Concordiam Evangelicam* composuit, eamque commentario explicavit sane utili ac solido.

At *in Evangeliis* longe omnes antecellit Ioh. Maldonatus S. I. († 1583) cuius *Commentarii in 4 Evangelia* (Mussiponte 1596, inde saepissime recusi) magna auctoritate fruuntur etiam apud recentiores. Minoris momenti, at non sine merito, sunt eiusdem *Commentarii in praecipuos V. T. libros* (Parisiis 1648), etsi omnia haec opera sint posthuma et ab auctore non ad unguem adducta.

In *Actis Apostolorum* potissimum se probavit Ioh. Lorinus S. I. († 1634), qui et *Lev.*, *Num.*, *Deut.*, *Ps.*, *Eccle.*, *Sap.* e V. T., *Epistolas catholicas* e Novo, diffuse admodum explicavit, ad sensum mysticum respiciens et Patrum saepe afferens expositiones.

In *Epistolis* interpretandis duo prae ceteris eminent: G. Estius, duacensis professor († 1613), in suis *In omnes divi Pauli et septem catholicas apostolorum epistolas commentariis* (Duaci 1614) sensus litteralis egregius investigator, at in locis de gratia et praedestinatione, utpote Baii discipulus, minus tutus; et Ben. Iustinianus S. I. († 1622), cuius *in omnes B. Pauli Ap. Epistolas explanationes* (Lugduni 1612s) et *in omnes catholicas epistolas explanationes* (ib. 1621) singulis capitibus primo addunt (ut Sanctius in prophetas) fusam paraphrasim, quae totius loci sensum et iuncturam apte continua enarratione patefacit; deinde singula late explanant, adductis saepe antiquis Patribus et theologis.

Denique in *Apocalypsim* magnum commentarium scripsit L. ab Alcasar S. I. († 1613), qui illi addidit *in eas partes V. T. quas respicit Apocalypsis libros V* (Antuerpiae 1614, Lugduni 1631). Contendit in ea praedici triumphum Ecclesiae de iudaismo et polytheismo in primis saeculis; eiusque interpretatio in sequentes difficilis huius libri expositores mirum quantum pondus habuerit. Ei praeiverat ex parte Fr. Ribera S. I. († 1591) *in sacram b. Ioh. ap. et ev. Apocalypsim commentariis* (Salmanticae, 1591), quibus addidit 5 *libros de templo et de iis quae ad templum pertinent.* Idem edidit praeterea *commentarios in duodecim prophetas minores* (Romae 1590), *in sanctum I. C. Evangelium sec. Iohannem* (Lugduni 1623), *in epistolam B. Pauli ad Hebraeos* (Salmanticae 1598), antiquorum Patrum diligens lector et assecla, et praeter litteralem etiam allegorici sensus sectator.

47. In *totam S. Scripturam*, praeter Iob et Psalmos, amplum commentarium scripsit Corn. a Lapide († 1637), omnigenis explicationibus refertum, ideoque concionatoribus praesertim utilem (1). Ceterum plerique hic memorati commentarii diffusi admodum sunt; praeter sensum litteralem, quem primum copiose et feliciter elucidare solent, in morales, asceticas, dogmaticas considerationes abire amant, magnisque voluminibus in folio impressi, lectioni minus commodi et iucundi sunt (2). E contrario brevibus et perspicuis adnotationibus litteralibus in omnes s. libros sese commendarunt Emm. Sa († 1596), Ioh. Mariana († 1624), Thom. Malvenda († 1628), Iac. Tirinus († 1636), Ioh. Gordon († 1641), Steph. Menochius († 1655), quos auctores, simul cum Estio, in unum corpus collegit Ioh. de la Haye († 1661) in *Bibliis magnis* (Par. 1643, 5 voll.) et iterum simul cum Postilla Lyrani et delectu variarum ex antiquis versionibus lectionum, in *Bibliis maximis* (Par. 1660, 19 voll.); melius et commodius iidem fere commentarii cum Bossuet editi sunt Venetiis 1745-1757 (*Biblia Sacra... cum selectis-*

(1) Ultima et optima editio Parisiis, 1867, additis commentariis Corderii in *Iob* et Bellarmini in *Psalmos*, et perutili amplissimo indice (*Memoriale Praedicatorum* auctore I. M. Péronne).

(2) De hoc iam querebatur M. Del Rio, *Pharus s. Scripturae*, Lugduni 1608, p. 30-33.

simis litteralibus Commentariis; 28 voll.), quae collectiones apte aureum hoc catholicae exegeseos saeculum quodammodo recapitulando concludunt.

48. Protestantium exegesis. — Novatores saec. XVI, cum S. Scripturam proclamarent unicam fidei regulam, et Vulgata versione reiecta ad textus originales immediate redirent, magnum certe impulsum studiis scripturisticis dederunt, cui tamen propagatio sive extensio potius quam progressus proprie exegeseos debetur. Ad principia enim rationalis interpretationis nil novi attulerunt, quod non vel humanistae vel ipsi scholastici docuerint et exercuerint. Et de sensibus quidem Scripturae, etsi illi reformatores in allegoriam aetatum praecedentium vehementer declamabant, tamen eorum doctrina a scholasticorum substantialiter non differebat; confer supra dicta (n. **41**) cum iis quae tradunt FLACIUS ILLYRICUS in *Clavi Scripturae*: « De ratione cognoscendi; tract. 1: de multiplici s. litterarum sensu », et SAL. GLASSIUS, *Philologia sacra*, lib. 2 initio, qui duo maxime artem protestantium hermeneuticam in hac aetate systematice exposuerunt. Ad praxim quod attinet, Lutherus ipse multum tribuit typologiae, quae deinde ad culmen exaggerationis adducta est sub finem huius periodi a Iohanne Coccejo (Koch, 1603-1669) eiusque asseclis (*symbolistae* appellati sunt). Litterae magis inhaeserunt Calvinus eiusque sectatores.

In principiis vero supernaturalis interpretationis, reiecta Ecclesiae auctoritate, supremam normam rectae intellegentiae protestantes statuerunt analogiam fidei. Cum autem fidei dogmata sic acciperent, prouti declarantur in symbolis fidei, auctoritate singularum confessionum (uti dicebatur) definitis, iudicem interpretationis denique fecerunt nutantem consistoriorum vel synodorum sententiam. In universum sicut in theologia, sic in exegesi, veteri scholasticismo scholasticismus novi generis suffectus est. Primus novam aetatem critices praeparavit sub finem huius periodi HUGO GROTIUS (1583-1645), cuius *Annotationes in V. et N. Test.* ceteroquin maximam partem philologicae sunt. Exegetarum vero protestantium huius temporis praecipuos commentarios (cum paucis catholicis) collegerunt angli quidam editores in *Critici sacri* (Lon-

dini 1660), compedio vero exhibuit MATTHAEUS POLUS in *Synopsi criticorum sacrorum* (Londini 1669). Maioris et diuturnioris utilitatis sunt opera quaedam archaeologica vel philologica a protestantibus tum temporis edita, ut SAM. BOCHARTI *Hierozoicon, sive de animalibus s. Scripturae* (Londini 1663), IOH. DRUSII († 1616) *Adnotationes* in libros singulos, LUD. DE DIEU († 1642) *Animadversiones* in multa loca V. et N. T., utriusque Iohannis BUXTORFII varia de rabbinorum traditione opera.

ART. 2. — **Aetas exortae criticae** (1650-1800)

49. Initium fecerunt criticae biblicae hinc quidem inter protestantes edita anno 1650 LUDOVICI CAPPELLI *Critica sacra*, apud catholicos vero RICHARDI SIMON, oratoriani, *Historia critica Veteris Test.* (edita primum gallice Parisiis 1678 et Amstelodami 1680, tum latine ibid. 1681), *Historia critica N. T.* (Roterodami 1689), *Hist. cr. versionum N. T.* (ib. 1690), *Hist. cr. praecipuorum commentatorum N. T.* (ib. 1693). Textualem Cappellus, litterariam et historicam Simonius criticam praecipue promoverunt. Eorum opera, licet statim a pluribus impugnata, licet notabilibus vitiis foedata et caute legenda, fructus tamen uberes tulerunt apud posteros seu protestantes seu catholicos. Interim vero haec aetas exegetas protulit pauciores numero, minores pondere quam praecedens.

Inter CATHOLICOS *introductionis* scientiam excoluerunt, post Simonium, BERN. LAMY († 1715) in *Apparatu biblico*; et CHERUBINUS a S. IOSEPH († 1716) in *Bibliotheca criticae sacrae* (4 voll., in f.), et *Summa criticae sacrae* (9 voll. in 8);

bibliographiam et historiam litterariam IUL. BARTOLOCCI et CAR. IMBONATI in *Bibliotheca magna rabbinica* (Romæ 1675-1693, 4 voll.), IAC. LELONG in *Bibliotheca sacra* (Parisiis 1723, vol. 2), quam ex parte ampliavit A. MASCH protestans (Halae 1778-1799, vol. 4);

criticam praesertim *textualem* FR. HOUBIGANT in *Biblia hebraica cum notis criticis* (Paris 1753, vol. 4) et IOH. BERN. DE ROSSI, in opere *Variae lectiones V. T.* (cf. lib. III, n. **37**), imperituro eruditionis et diligentiae monumento; idem praeterea hermeneuticam,

historiam exegeseos, aliasque disciplinas introductorias promovit multis aliis scriptis et latinis et italicis;

archaeologiam Bl. Ugolini immensa collectione *Thesaurus antiquitatum sacrarum* (Venetiis, 1744-1769, voll. 34);

historiam sacram fusius quam doctius tetigere Ioh. Ios. Berruyer († 1758), et Natalis Alexander († 1722).

50. Inter **commentariorum** scriptores hoc tempore insignem locum obtinent Iac. Ben. Bossuet, celeberrimus orator († 1704), *Notae in Psalmos*, *Notae in libros sapientiales* (Par. 1692); Bernardinus a Piconio († 1709), cuius *Triplex expositio Epistolarum S. Pauli* (Par. 1703) etiamnunc in pretio habetur; Aug. Calmet († 1757), qui commentario litterali et critico et multis dissertationibus totam S. Scripturam illustravit. Minoris momenti sunt: Franc. Carrière († 1665), *Medulla Bibliorum et in universam S. Script. commentarius;* Lud. Carrères, L. de Vence, L. Rondet quorum successivis curis et accessionibus coaluit illa quae appellata est *Bible de Vence* (Avenione 1767 ss.); Ant. Martini († 1809) qui versionem suam italicam, Phil. Scio († 1796)qui suam hispanicam doctis et piis adnotationibus instruxerunt; Thom. Erhard († 1743), cuius est *Isagoge* et *Commentarius in universa Biblia vulgata*, praeterea versio germanica notis illustrata; Ign. Weitenauer († 1783) duplici simili opere et lexico biblico nobilis. Mentione quoque digni sunt qui auctoritatem vulgatae versionis contra protestantes vel totius Scripturae veritatem adversus incredulos vindicarunt, multosque locos egregie explanarunt: Henr. Bukentop, *Lux de luce* (Bruxellis 1710), *de sensibus s. Script.* (Lov. 1704), *Centum canones* (ib. 1706); Dan. Huetius, *Demonstratio evangelica* (Par. 1679); Ios. Bianchini, *Vindiciae canonicarum Scripturarum* (Romae 1740); Fr. Widenhofer, *S. Script. dogmatice expl.* (Wirceb. 1749); H. Goldhagen, *Vindiciae harmonico-criticae et exegeticae* (Moguntiae 1774-5); Laur. Veith, *Scriptura contra incredulos propugnata* (Augustae 1780); A. Guénée († 1803) multis operibus, praesertim *Lettres de quelques Juifs* contra Voltaire et socios.

51. Inter protestantes claram sibi famam acquisierunt in introductione I. G. Carpzovius († 1767); in geographia Hadr. Relandus († 1718), in archaeologia Ion. Lightfoot († 1675)

et CHR. SCHÖTTGEN († 1751) uterque editis « Horis hebraicis et talmudicis » (cf. n. **12**); in philologia, saepe cum exegesi coniuncta, IOH. IAC. WETSTENIUS († 1754), IOH. BENGEL († 1752) cuius *Gnomon N. T.* etiamnunc utilis (1), ALB. SCHULTENS († 1750); in hermeneutica I. A. ERNESTI († 1781); in exegesi proprie dicta M. GEIER († 1680), CAMP. VITRINGA († 1722), I. CLERICUS († 1736), uterque MICHAELIS, IOH. HENR. († 1738) et CHRIST. BEN. († 1764).

ART. 3. — Saec. XIX

52. In saec. XIX, praesertim in altera parte, a politicis perturbationibus minus commota, uberem messem tulerunt segetes, quarum germina iam in praeteritis aetatibus iacta erant, eaeque totam studiorum biblicorum faciem immutarunt. Sunt autem quatuor potissimum: studia *positiva* in scientiis tum historicis tum naturalibus; detecta et *effossa* in Oriente monumenta antiquitatis; progressus *philologiae* in cognitione linguarum, in critica textuali, in analysi litteraria; denique *rationalismus* inter protestantes exortus et in Universitatibus studiorum ubique diffusus.

Rationalismum e deismo in Anglia saec. XVII exortum, a BARUCH SPINOZA († 1677) Veteri Testamento, a H. S. REIMARUS († 1768) Novo applicatum, IOH. S. SEMMLER († 1791), opere *Apparatus ad liberalem Utriusque Test. interpretationem* (Halae 1772), in hermeneuticam normam erexit; postea in dies magis illum excoluerunt et propagarunt in *Vet. Test.* J. G. EICHHORN († 1827), IOH. SEV. VATER († 1826), M. L. DE WETTE († 1849); in *Novo* H. E. PAULUS († 1851), FERD. CHR. BAUR († 1860), ac praesertim D. FRIED. STRAUSS († 1875), divulgavit E. RENAN († 1892). Denegata divina origine s. librorum, ii, tanquam mere humana industria conscripti, ad normam profani scripti cuiuslibet fuerunt non modo explicati, sed etiam diiudicati et non raro falsitatis damnati. Denegato toto ordine supernaturali, si quid in s. libris occurrit dictum, quod aut naturae vires aut humanam intellegentiam superat, illud inter mythos relegatum est, vel ad vulgi

(1) Cf. lib. III, n. **53** de utriusque laboribus criticis in N. T.

credulitatem relatum. Succurrit his perniciosis opinionibus litteraria analysis non minus captiosa, qua, inquisitione facta in modum vel tempus compositionis et in auctores singulorum librorum, vel multo serius asserebantur conscripti, quam quod memoria traditum est, vel coalescere dicebantur e nucleo quodam primitivo et multis posterioribus additamentis sive interpolationibus Hinc plane etiam reformata historia, potissimum populi hebraici et religionis, quam in rem subsidio vocata fuerunt non tantum documenta recenter inventa, sed etiam nova methodus comparativa et novum principium evolutionis, unde facta populi electi vel rigidae cuidam regulae continui progressus subiiciuntur, vel iis, quae apud alios populos animadvertuntur, aequiparantur ex iisque iudicantur. Harum omnium rerum exempla plura habentur in speciali introductione.

Et hae quidem opinandi rationes, quae modernae exegesi suum proprium colorem indiderunt, sanae doctrinae multa mala intulerunt. Non defuere tamen, inter ipsos protestantes, qui ex uberrima inventorum messe, quibus saec. XIX gloriatur, laetiores fructus decerperent; et nunc iam signa apparent resipiscentiae, de quibus docebit in singulos libros introductio. Hic restat, ut breviter dicamus primum, quorum merito singulae disciplinae biblicae incrementum acceperint, tum de praecipuis commentariis in lucem editis a protestantibus, denique quid hac in parte effectum sit a catholicis.

53. Incipiemus ab ea disciplina, in limine ipso studiorum biblicorum posita, cui pleraeque subserviunt ceterae, et quae in hac maxime aetate summam amplitudinem atque independentem dignitatem adepta est, nempe ab *introductione in S. Scripturam*. Huius eae potissimum partes excultae ac dilatatae sunt, quae agunt vel de textu ac versionibus (in generali introductione), vel de origine atque authentia singulorum librorum (in speciali). Simul non tantum generalis à speciali distincta est, sed Novum Test. considerari coeptum est separatim a Veteri.

Introductionem biblicam rationalisticis principiis modo descriptis informatam ediderunt **Protestantes** germanice in *Utrumque Test.* post J. G. EICHHORN iam dictum, L. BERTHOLDT († 1852), W. M. DE

WETTE († 1849), F. B. BLEEK († 1859), H. EWALD († 1875), W. VATKE († 1882), E. REUSS († 1891); *in V. Test.*, K. GRAF († 1875), A. KAMPHAUSEN († 1907), J. WELLHAUSEN († 1918), C. STEUERNAGEL; *in N. Test.*, J. HOLTZMANN († 1910), A. HILGENFELD († 1907), A. JÜLICHER; anglice: S. DAVIDSON, S. DRIVER († 1913); neerlandice: A. KUENEN († 1891) et G. WILDEBOER; gallice: A. REVILLE († 1906), L. GAUTIER († 1924). Orthodoxae, uti dicunt, conceptioni stricte adhaeserunt germanice F. GUERICKE († 1878), A. HÄVERNICK († 1845), E. W. HENGSTENBERG († 1869), K. v. HOFMANN († 1877), C. F. KEIL († 1888), TH. ZAHN; anglice: GREEN W. H. († 1900); gallice: F. GODET.

Mediam quandam viam sequuntur in V. Test. H. STRACK († 1925), E. KÖNIG, W. BAUDISSIN; in Novo, B. WEISS, R. GREGORY († 1915), F. BARTH, quorum opera etiam catholico interpreti utilia sunt.

Inter **Catholicos** in *Utrumque Test.* Introductionem latine scripserunt A. MORALIA († 1830), P. ACKERMANN († 1831), J. ZAMA MELLINI († 1838), J. JANSSENS († 1853), FERRIGNI DE PISONE († 1856), U. UBALDI († 1885), FR. CAMINERO († 1885), LAMY J. T. († 1907), R. CORNELY († 1908), A. CELLINI († 1920), T. MARTINETTI, A. DONDERO, C. TELCH, L. PEPE; *in N. Test.* G. GÜNTHER († 1867), A. UNGARELLI († 1845), L. A. SCHNEEDORFER, L. BABURA;

anglice: J. DIXON († 1866), A. E. BREEN, F. GIGOT, POPE, GRANNAN, SCHUMACHER;

gallice: J. B. GLAIRE († 18 78), C. TROCHON († 1888), F. VIGOUROUX († 1915) et L. BACUEZ († 1892), P. MARTIN († 1890), C. DRIOUX, C. CHAUVIN, E. JACQUIER;

germanice *in Utr. Test.:* I. M. SCHOLZ († 1852), B. HANEBERG († 1876), HERBST et WELTE († 1885), F. KAULEN († 1907), M. SEISENBERGER; in *N. Test.* L. HUG († 1846), F. REITHMAYR († 1872), M. ABERLE († 1875), AD. MAIER († 1889), F. TRENKLE, F. GUTJAHR, AL. SCHÄFER, J. BELSER († 1916);

italice: E. TIBONI, P. CULTRERA, G. CERESETO.

54. Magnum incrementum attulerunt, primum quidem *geographiae* et *archaeologiae* Biblicae, tum vero toti exegesi, **explorationes** in Palaestina factae primum a privatis, uti E. ROBINSON (1838), T. TOBLER (1845-1865) et V. GUÉRIN (1868), deinde ab instituto in hanc ipsam rem SURVEY OF PALESTINE, mandato et expensis Londinensis « Palestine Exploration Fund » in Palaestina cis

Iordanem (1872-1878), et a germanico «Palästina-Verein» praesertim in Transjordanica (Schumacher inde a 1884). Excavationes factae sunt in Jerusalem (1865 ss.; 1894 ss.), in Lachis (Tell el Hesi, 1890) aliisque locis in regione Philistinorum (hebr. šephela, 1899-1900), praes. in Gezer (1902-1909); in regione Mageddo (1903-1905), in Iericho (1908 sq.), in Samaria (nunc Sebastie, 1909-1911), in Betsames (1911 sq.), in Bethsan. Magni momenti inscriptiones inventae sunt: moabitica regis Mesae in Dibon (1868), hebraica ad Siloe (1882), aramaica Zakir regis Emath (1906).

Neque parum utilitatis studiis biblicis accessit ex inventis et **effossis** in Aegypto et in Assyria per totum saec. XIX omnis generis monumentis. Explorationes enarrant: *H. v. HILPRECHT, *Explorations in Bible Lands during the 19th Century*, Edinburgh 1903; *R. A. S. MACALISTER, *A Century of Excavation in Palestine*, London 1925; *F. J. BLISS, *The development of Palestine Exploration*, London 1906; T. WITZEL, *Die Ausgrabungen u. Entdeckungen im Zweiströmeland*, Münster 1911. Res ipsas et earum usum in s. Scripturae illustrationem exponunt: F. VIGOUROUX, *La Bible et les découvertes modernes*[6]; *Le Nouveau Testament et les découvertes archéologiques*[3], Paris 1896; H. VINCENT, *Canaan d'après une exploration récente*, Paris 1906; *S. R. DRIVER, *Modern research as illustrating the Bible*, London 1909; *G. A. BARTON, *Archaeology and the Bible*,[3] Philadelphia 1920; *J. POLITEYAN, *Biblical discoveries in Egypt, Palestine and Mesopotamia*,[2] London 1921; P. KARGE, *Die Resultate der neueren Forschungen in Palästina*, Münster 1910 (*Biblische Zeitfragen*, ser. 3, 8. 9); I. NIKEL, *Das A. T. im Lichte der altor. Forschungen* (ib. ser. 2. 3. 5. 8); *C. M. COBERN, *The New Archaeological Discoveries and their Bearing upon the N. T.*[3], New York 1918; W. RAMSAY, *The bearing of recent Discovery on the trustworthiness of the N. T.*[4], London 1920; J. G. DUNCAN, *Digging up Biblical History*, 2 vol., London, 1831; P. THOMSEN, *Palästina und seine Kultur in fünf Jahrtausend*, Leipzig, 1931.

Haec inventa multum profuerunt etiam *philologiae biblicae.*

Hebraicae linguae tum lexicographia tum grammatica renovata est a W. GESENIUS († 1842), haec exculta maxime a J. OLSHAUSEN († 1882), H. EWALD († 1875), ED. KÖNIG; apud catholicos

a TOUZARD, JOÜON. Concordantias condiderunt J. FUERST (Lips. 1843) et S. MANDELKERN (ib. 1896, ²1925).

Graecam Novi Test. *G. B. WINER (*Grammatik des N. T.*, 1822), et C. G. WILKE (*Clavis N. T.*, 1841), Vet. Test. *I. F. SCHLEUSNER (*Lexicon in LXX.* 1821) et CHR. A. WAHL (*Clavis librorum V. T.*, 1853) in prima saeculi parte illustrarunt. Postquam vero papyrorum in Aegypto effossio cognitionem linguae graecae hellenisticae plane renovavit, melius scripsere prae ceteris *A. DEISSMANN (*Bibelstudien*, 1895-97; *Licht vom Osten*, 1908, ⁴1923); J. VITEAU (*Etude sur le Grec du N. T.*, 1896), *A. T. ROBERTSON (*Grammar of the Greek N. T.*, 1914); *J. H. MOULTON (*Introduction*, 1903; *Grammar*, 1906); MOULTON et MILLIGAN (*Vocabulary*, 1914-1929); FR. BLASS (*Neut. Gramm.*, 1896; 6ª ed. Debrunner, 1931); FR. ZORELL (*Lexicon N. T.*², 1931); HATCH (*Essays*, 1889); *Grammaticam* LXX tentarunt HELBING (1907) et THACKERAY (1909); *Concordantias* condiderunt in N. T. BRUDER (1842, ⁷1913); MOULTON et GEDEN (1897); in V. T. HATCH et REDPATH (1897-1906). Cf. infra n. 106.

55. Commentariis distinguitur haec aetas in totam S. Scripturam vel in alterutrius Testamenti integram seriem, multorum simul collaborantium concursu exaratis. Praecipuos commemorabimus per regiones et tempora, initio facto a protestantibus.

In Germania pluribus editionibus propagati sunt (1): *Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum A. T.* (Leipzig 1837..., 17 vol.); *Kritisch-exegetischer Kommentar über das N. T.* cur. W. MEYER (Göttingen 1836..., 16 vol.; anglice versus Edinburgh 1877-1882); *Handkommentar zum A. T.* cur. W. NOWACK (Göttingen 1893..., 13 vol.); *Hand-Commentar zum N. T.* (Tübingen 1892..., 6 vol.); *Kurzer Hand-Commentar zum A. T.* cur. K. MARTI (ibid. 1898..., 20 vol.); *Handbuch zum N. T.* cur. H. LIETZMANN (Ibid. 1911..., 6 vol.). Hi omnes ad philologiam sunt adhuc utiles, verum rationalisticis principiis plus minus infecti. Melioris indolis, utpote magis «conservatores», sunt: *Theologisch-homiletisches Bibelwerk* cur. J. P. LANGE (Bielefeld 1857..., 36 vol.); *Kurzgefasster Kommentar zu d. hl. Schriften A. und N. T.* cur. H. STRACK et O. ZÖCKLER (München 1886..., 14 vol.); *Kommentar zum N. T.* cur. Th. ZAHN (Leipzig 1903..., 15 vol.); *Kommentar zum A. T.* cur. E. SELLIN (ibid. 1913...).

E commentariis integris singulorum auctorum commemorandi sunt J. G. ROSENMÜLLERI *Scholia in N. T.* (Norimbergae⁶ 1815-1831) eius-

(1) Illis commentariis, qui vel nondum completi vel iteratis editionibus ex parte saltem renovati sunt, puncta appingimus (...) post annum initae editionis.

que filii F. C. *Scholia in V. T.* (Lipsiae.[2-3] 1821-1835; haec in *compendium redacta*, ib. 1828-1836), omnia latine conscripta et ob notitiam antiquiorum interpretum etiam nunc utilia. C. F. KEIL († 1881) cum Fr. DELITZSCH († 1890) omnes protocanonicos V. T. libros et 1. 2 Mac., solus aliquot N. T. explanavit, adversus rationalisticam exegesim post H. A. HÄVERNICK († 1845) et E. W. HENGSTENBERG († 1869) fortiter pugnans.

In Anglia vel America prodierunt: *Critical and experimental Commentary* (London, 1868-1877, 6 vol.); *Holy Bible with Commentary* seu *Speaker's Commentary* (ib. 1871-1881, 12 vol.); *A commentary for English Readers* (ib. 1882-1884, 8 vol.); *Pulpit Commentary* (ib. 1880-1897); *Expositor's Bible* (ib. 1887-1895, 50 vol.); *Cambridge Bible for School a. College* (Cambridge 1880...) sobrii et generatim boni commentarii; *International critical Commentary* (Edinburgh 1895...); *Century Bible* (ib. 1904...); *Expositor's Greek Testament* (London 1907-1910, 5 vol.), philologiam maxime respiciens et eatenus utile. Amplam rerum copiam e multis auctoribus collegerunt: J. G. BUTLER, *Bible-Work* (New York 1889, 10 vol.); J. S. EXELL, *The Biblical Illustrator* (London 1889-1896); *The Preacher's Homiletical Commentary* (ib. 1892, 20 vol.); J. HASTINGS, *The great Texts of the Bible* (Edinburgh. 1911-1915, 20 vol.); idem edidit *The greater Men and Women of the Bible* (ib. 1913-1916, 6 vol.); *Dictionary of the Bible* (ib. 1898-1904, 5 vol.), *One volume Bible Dictionary* (ib. 1909), *Dictionary of Christ and Gospels* (ib. 1906-1909, 2 vol.), *Dictionary of the Apostolic Church* (1915-1918, 2 vol.), *Encyclopedia of Religion and Ethics* (ib. 1908-1921, 12 vol.). Mentione etiam speciali digna est *The International Standard Bible Encyclopedia* cur. J. ORR (Chicago 1915, 5 vol.) ob spiritum plane conservativum cum doctrinae copia coniunctum.

56. A catholicis collective editi sunt: *La sainte Bible, avec introductions et commentaires* (Paris, Lethielleux, 1875-1904 27 vol.); *Cursus Scripturae Sacrae* auctoribus S. I. presbyteris (ib. inde a 1887, pauca ad finem desunt); *Kurzgefasster wissenschaftlicher Commentar z. A. T.* cur. B. SCHÄFER (Wien 1901-1911, 9 vol., non continuandum); *Exegetisches Handbuch zum A. T.* cur. I. NIKEL (Münster 1913...); *Die heilige Schrift des N. T.* (Bonn 1914...); *Die heil. Schrift des A. T.* cur. F. FELDMANN et H. HERKENNE (Bonn 1923...); *Etudes bibliques* (Paris 1903...).

Optimos quosque praecedentium aetatum commentarios, fere omnes latine conscriptos, collegit I. P. MIGNE, in unum *S. Scripturae cursum completum* (Parisiis 1835 ss.;[2] 1860 ss.). Ex recentioribus latinae linguae usu aliisque virtutibus in primis commendatur *Cursus Scripturae sacrae*, modo memoratus. In eo adlaborarunt praecipue R. CORNELY († 1910) tum accuratissimis *in Ep. ad Rom.*, 1-2 *Cor.*, *Gal.* commentariis, tum perampla atque tam eruditione quam soliditate doctrinae praestanti *Historica et critica Introductione in Utr. T. libros sacros*, 3 vol.; et I. KNABENBAUER praeclaris commentariis in omnes *prophetas*, *Iob*, *Is.*, *Prov.*, *Mac.* in V. T.,

in *Evangelia, Actus,* plures *Epistolas* in N. T. Accedunt tanquam complementum M. Hagen, *Lexicon Biblicum,* 3 vol.; id. *Realia biblica;* Fr. Zorell, *Lexicon graecum N. T.* de quo supra; Peultier, Etienne, Gantois, *Concordantiarum universae Script. s. Thesaurus.*

Nec tacendae sunt hoc loco versiones integrae cum adnotationibus editae: gallice a Glaire (4 vol. Paris 1871-1873); Fillion (Paris 1888-1904, 8 vol.); Arnaud (Paris 1881, 4 vol.); Petit (Arras, 1889-1903, 16 vol.); A. Crampon (Tournai 1894-1904, 7 vol.; versio e textibus originalibus); Vivier-Lamy (Louvain 1905...); germanice ab Allioli (Ratisbonae 1905, 3 vol.); Loch et Reischl (ib. 1851, 5 vol.); hispanice a Torres y Amat (9 vol.); italice a G. Ugdulena (Palermo, 1859; 2 vol., ex hebraico); M. Sales, (Torino 1912...); neerlandice *De heilige Boeken van het Oude Verbond* ('s Hertogenbosch, 1894, vol. 7), aliaeque.

Commentariis *in singulos libros,* dissertationibus ad particulares quaestiones aliisve id genus scriptis sacram exegesim egregie promoverunt inter catholicos in saeculo XIX (1):

Angli: Card. Nic. Wiseman († 1865), G. Smith († 1886);

Belgae: Beelen († 1884), Van Steenkiste († p. 1886), J. Corluy († 1896);

Galli: Du Clot († 1821), A. E. De Genoude († 1841), A. M. Le Hir († 1868), M. A. Bayle († 1877), C. Trochon († 1889), I. B. Glaire († 1878), I. M. Péronne († 1892), Card. G. Meignan († 1897), imprimis F. Vigouroux († 1915), editis tum aliis varii generis scriptis, tum amplissimo lexico biblico;

Germani: P. Ackermann († 1831), J. H. Kistemaker († 1834), J. L. Hug († 1846), C. Movers († 1856), Al. Messmer († 1857), Fr. X. Reithmayr († 1872), Dan. Bonif. von Haneberg († 1876), L. Reinke († 1879), A. Bisping († 1884), Ben. Welte († 1885), P. Schegg († 1885), J. Bade († 1892), P. Schanz († 1905), G. Bickell († 1906), A. Scholz († 1908);

Itali: Fr. Finetti († 1842), C. Cavedoni († 1865), C. Vercellone († 1869), Al. Vincenzi († 1880), Fr. X. Patrizi († 1881), U. Ubaldi († 1884), C. Curci († 1891), A. Ceriani († 1907).

57. Scripta periodica et studia seriatim edita aliam notam constituunt, qua distinguitur haec ultima aetas, magnumque momentum habuerunt in exegesim, praesertim primum genus, periodica. Initium factum est etiam hic a protestantibus.

(1) Cum longum sit singula recensere opera, contenti praecipuos scriptores nominare, pro maiori notitia remittimus ad bibliographos, ut Hurter, *Nom. litt.*[3] 5; D. Gla, *Systematisch geordnetes Repertorium der katholisch-theol. Litteratur seit 1700,* Paderborn, 1895-1904.

Ad periodica quod attinet (1) praeiverant in saec. XVIII: I. D. MICHAELIS, *Orientalische u. exegetische Bibliothek* (Frankfurt a. M. 1771-1790); J. G. EICHHORN, *Repertorium für Biblische u. Morgenländische Litteratur* (Leipzig 1777-1786) et *Allgemeine Bibliothek der biblischen Litteratur* (ib. 1787-1880).

In saec. XIX edita sunt a **protestantibus** lingua germanica: *Biblische Studien*, ed. R. KAUFFER (Dresden 1842-1846); *Jahrbücher der biblischen Wissenschaft*, ed. EWALD (Göttingen 1849-1865); *Zeitschrift für die alttest. Wissenschaft*, ed. B. STADE (Giessen, 1881...); *Zeitschrift für die neutest. Wissenschaft*, ed. E. PREUSCHEN (ib. 1900...). Multa etiam ad S. Scripturam spectantia continent: *Zeitschrift für die historische Theologie* (Leipzig 1832-1875); *Zeits. für wissentschaftliche Theologie* (Frankfurt a. M. 1858-1913); *Theologische Studien u. Kritiken* (Hamburg-Gotha 1823...); *Theologische Jahrbücher* (Tübingen 1842-1857) aliaque eiusmodi periodica theologica.

Lingua anglica: *Bibliotheca sacra* (Oberlin [Ohio], 1844...); *Journal of biblical Literature* (New Haven, Conn, 1881...); *Journal of sacred Literature*, ed. I. KITTO (London 1848-1868); *Expositor* (London 1875...); *Expository Times* (Edinburgh 1889...); *Proceedings of the Society of biblical Archaeology* (London 1878-1917); praecesserant eiusdem Societatis *Transactions* (1872-1893); *The Biblical World* (Chicago 1893-1920; transiit in *The Journal of Religion*); *American Journal of semitic Languages and Literature* (Chicago 1884... ad annum 1895 sub nomine *Hebraica*); *Journal of theological Studies* (London 1899...).

A **catholicis** edita: *Archivio di letteratura biblica ed orientale* ed. G. Re (Torino 1879-1908); *Revue biblique internationale* (Paris, 1892...); *Biblische Zeitschrift* (Freiburg i. B. 1902...); *Biblica* (Roma 1920...). Multa etiam ad biblicas disciplinas pertinentia edita sunt in periodicis theologicis, ut *Theologische Quartalschrift* (Tübingen 1819...); *Zeitschrift für kath. Theologie* (Innsbruck 1877...); *Revue des sciences ecclésiastiques* (Paris 1860-1895); *Revue des sciences philosophiques et théologiques* (Kain 1907...); *Recherches de sciences religieuses* (Paris 1910...); *Irish theological Quarterly* (Dublin 1906-1921), et aliis id genus.

Neque omittenda quaedam a **Iudaeis** edita: *Hebräische Bibliographie* (Berlin 1858-1882); *Jewish Quarterly Review* (London 1889...); *Revue des études juives* (Paris 1880...); *Revue sémitique* (Paris 1893-1914); *Monatschrift für Geschichte u. Wissenschaft des Judenthums* (Breslau 1852...).

Collectiones seu series variorum operum, sunt a catholicis editae: *Biblische Studien* cur. O. BARDENHEWER (Freib. i. B. 1896...); *Etudes bibliques* (Paris 1903... insunt plures commentarii); *Alttestamentliche Abhandlungen* cur. I. NIKEL (Münster 1908...); *Neutest. Abhandlungen* (ib. 1908...); *Biblische Zeitfragen* (Münster 1908...); *Collectanea biblica latina* (Roma 1913...); *Collectanea hierosolymitana* (Paderborn 1917...)

Ab acatholicis editae: *Studia biblica et ecclesiastica* (Oxford 1885-

(1) « Brevis notitia alphabetica ephemeridum litterariarum » saec. XVII et XVIII habetur in I. A. FABRICII *Praefatione* ad D. G. MORHOFII *Polyhistor*, Lubeccae 1732. Periodicis, quae adhuc vigent, appingimus puncta post annum, quo coepta sunt edi.

1905); *Forschungen zur Religion u. Literatur des A. u. des N. Testaments* (Göttingen 1903...); *Beiträge z. Wissenschaft vom A. T.* cur. R. KITTEL (Leipzig. 1908...); *Anecdota Oxoniensia* Semitic series (Oxford 1882...); *Untersuchungen zum N. T.* (Leipz. 1912...); *Biblische Zeit- u. Streitfragen* (1905...).

58. Quantum vero incrementum ceperint recenti tempore studia biblica apud catholicos, et ab ipsa summa Ecclesiae auctoritate promota fuerint, patet tum ex datis a Leone XIII Litteris Encyclicis *Providentissimus Deus* (18 nov. 1893) ad haec studia simul excitanda, simul sapientibus normis dirigenda (1), tum ex institutis Hierosolymae Schola Biblica PP. Dominicanorum (1886), Romae Pontificia Commissione Biblica (1902) et Instituto Biblico Pontificio (1909), necnon Pontificia Commissione ad revisionem Vulgatae (1907). Verum hic ratio temporum ac rerum postulat, ut, quid his ultimis decenniis agitatum sit inter catholicos de ipsis exegeseos fundamentis, breviter ac sincere, pro historicorum munere, enarremus.

ART. 4. — Quaestio biblica apud catholicos

59. Per saec. XIX, praesertim in altera parte, quidam catholici partim difficultatibus, quae vel e scientiis naturalibus vel e monumentis historicis recenter detectis contra planum sensum S. Scripturae videbantur enasci, partim forte etiam influxu protestanticae exegeseos, inducti sunt ad strictam normam catholicae interpretationis laxandam. Ac primo Concilii Tridentini decretum, de sensu Ecclesiae et consensu Patrum sequendo, quidam ita interpretati sunt, ut sufficeret non negare id quod e loco aliquo Scripturae elicit Ecclesia, liceret autem contendere, talem non esse genuinum sensum illius loci (2). Contra hos Concilium Vaticanum in consti-

---

(1) Hoc summi momenti documentum integrum dant *Acta S. Sedis* 26 (1893), 269-292; *Acta Leonis XIII* 13 (1893), 326-364; CAV., *Thes.*, n. 49-96; CORNELY, *Introductionis Compendium*, Appendix 1; I. BAINVEL, *De Scriptura sacra*, 11-38 cum utilibus summariis. Excerpta exhibet DENZ.-B. 1941-1953.

(2) J. JAHN, *Einleitung in die göttl. Bücher des A. T*[2] (Wien 1802) 1, 318-322; A. ARIGLER, *Hermeneutica biblica generalis*, Wien 1813, 31-34. Contra utrumque scripsit G. CZUPPON, *Reflexiones historicae hermeneuticae super exegesi biblica novissima*, Sopronii 1816. Arigleri librum emendatum edidit secundo G. UNTERKIRCHNER, Innsbruck 1831, tertio V. HOFFMANN, ibi 1846. Cum J. Jahn sensit F. LANG, *Patrologie*, Buda 1809, 279.

tutione dogmatica *de fide catholica*, decretum Tridentinum renovans atque declarans, negativae illius formulae addidit positivam in illa implicitam (1), « ut in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu S. Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet S. Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum » (Denz.-B. 1788; Cav. *Thes.* 42).

60. Tum vero per illos viginti annos qui a Vaticano Concilio excurrerunt, aliquot catholici doctores (2) putarunt, ad difficultates praesertim ordinis historici solvendas immo praeveniendas, in s. Scripturis vel inspirationem coarctari ad ea tantum, quae ad fidem ac mores pertineant, vel saltem quaedam accessoria et quasi obiter dicta charismati inspirationis esse subtracta ac proinde errori obnoxia. Contra has opiniones Summus Pontifex Leo XIII in Litteris Encyclicis « *Providentissimus Deus* » de studiis S. Scripturae, die 18 Novembris 1893 datis, edixit, omnino nullam Scripturae partem a divina inspiratione excipi, nec ullum unquam errorem ipsi scriptori sacro posse tribui.

Simul de habitudine S. Librorum ad scientias naturales loquens, sapientem illam normam tradidit, sacros auctores communem sequi loquendi modum, quo fit ut « in quotidiana vita ipsos inter homines scientissimos » humanus sermo non ipsam rerum naturam exprimat, sed phaenomena potius. Consensu vero Patrum tum solum teneri catholicum exegetam docuit, si quando unanimiter in suis interpretationibus aliquid tradunt « tanquam spectans ad fidem aut cum ea maxime copulatum » (n. 29).

61. His normis via patefacta est catholicae interpretationi, qua posset in divinis Litteris explicandis expeditius progredi. At vero non defuerunt qui, vel e sapientibus hisce declarationibus ansam caperent ad maiorem aequo libertatem interpretandi sibi sumendam, vel novas vias quaererent, quibus absentiam formalis erroris, in s. Scripturis a Leone assertam, aliquo modo conciliare

---

(1) Cf. Acta et decreta s. Concilii Vat., in *Coll. Lac.* 7, 143-523; Vacant, *Etudes théol. sur les Constitutions du Conc. Vat.* 1, 520. 586. 668 s.

(2) Fr. Lenormant, I. H. Newmann, A. Rohling, S. Di Bartolo, M. D'Hulst, P. Savi de quibus cf. E. Mangenot in *Diction de théol. cath.* 7, 2187-2190.

possent cum materiali falsitate, quam profanarum scientiarum cultores passim contenderent se in iis deprehendere.

Ita invecta sunt in exegesim systemata historicae apparentiae, veritatis relativae, generum litterariorum, citationum implicitarum, alia huiusmodi (1), de quibus erit infra latius disputandum.

Contra huiusmodi opinandi libertatem idem LEO XIII, litteris die 25 Novembris 1898 ad Ministrum generalem FF. Minorum datis, questus est, quod hac illac adamari coeptum sit « genus interpretandi audax atque immodice liberum » (*Acta S. Sedis* 31, 265). Nec minus graviter anno sequenti in Epistola ad Galliae clerum (8 Sept. 1899) cavendum monebat « ab illis periculosis propensionibus, quae in s. librorum interpretationem irrumpere conantur, quae si praevalerent eorum inspirationem ac supranaturalem proprietatem plane labefactarent. Nimirum scriptores quosdam catholicos, sub obtentu de manibus hostium eripiendi argumenta, quae contra authentiam et veracitatem s. librorum inoppugnabilia viderentur,... suis ipsorum manibus insudasse ad ea sanctae civitatis propugnacula subruenda, quorum ipsis commissa esset defensio » (ibi 32, 202).

62. Interim haec opinandi libertas, in totum ambitum religiosae scientiae latius grassata, peperit *modernismum*, cuius inter catholicos praecipuus propagator et dux exstitit Alfredus Loisy, multis editis scriptis in dies magis a communi Ecclesiae doctrina recedentibus Ex his complura decreto S. Officii damnata sunt die 16 Dec. 1903; ipse, in suis erroribus pertinax et praefracta fronte audacior factus, « nominatim ac personaliter » excommunicatus fuit decreto eiusdem S. Officii die 7 Martii 1908. Totum modernistarum systema, quod multa complectitur ad S. Scripturam pertinentia, decreto S. Officii « *Lamentabili* » die 3 Iulii 1907 et Encyclica Pii PP. X

---

(1) Cf. de his L. FONCK, *Der Kampf um die Wahrheit der hl. Schrift seit 25 Jahren*, Innsbruck 1905; ID., *Moderne Bibelfragen*, Einsiedeln 1917, p. 1-92; C. PESCH, *Zur neuesten Geschichte der katholischen Inspirationslehre* (= Theologische Zeitfragen 3), Freiburg i. B. 1902; idem latine: *Apparatus ad historiam coaevam doctrinae inspirationis*, Romae 1903; E. MANGENOT in *Diction. de théol. cath.* 7, 2235-2266; S. BRANDI, *La questione biblica e l'Enciclica « Providentissimus Deus »*, Roma 1894; brevius *Scuola cattolica* 1919, 1, p. 8-26; *Civiltà cattolica* 1919, 1, p. 278-364. Facta fuse narrat, sed maligno spiritu, A. HOUTIN, *La question biblique chez les catholiques de France au XIXe siècle*, Paris 1902; *La question biblique au XXe siècle*, ib. 1906; opus utrumque damnatum.

« *Pascendi Dominici gregis* » die 7 Sept. eiusdem anni sollemniter proscriptum est (1).

Neque vero contentus theoretica doctrinarum condemnatione Summus Pontifex, in eadem Encyclica multas praeterea disciplinares praescriptiones edidit, quibus modernismi serpens virus ab Ecclesiae visceribus arceretur. Hae praescriptiones confirmatae fuerunt « Motu proprio » eiusdem Pii P. X « *Sacrorum antistitum* » 1 Sept. 1910, et adiectum praeceptum, quo doctores omnes et magistri ante initium lectionum, clerici omnes maioribus ordinibus initiandi ante ordinationem, iusiurandum peculiare contra modernistarum doctrinas ac placita tenerentur emittere ac subscribere (2). His curis effectum est, ut modernismus, letali vulnere confossus, quodammodo prostratus iaceret.

Ad parem de sinceritate doctrinae sollicitudinem pertinet, quod S. Congregatio Consistorialis decreto 29 Iunii 1912 opus K. Holzhey *Kurzgefasstes Lehrbuch der speziellen Einleitung in das A. T.*, cum sententias propugnet, quae « authentiam atque historicum valorem s. Librorum... pene subvertunt », prohibuit « quominus in Seminaria introducatur » (3). Alia vero aliorum scripta similis spiritus in s. Scripturas tam V. quam N. Testamenti « expungenda omnino esse ab institutione clericorum » mandavit (*Acta Ap. Sedis*, 4 [1912], 530).

63. Ceterum ad perniciosas doctrinas, quae speciatim ad S. Scripturae interpretationem pertinent, avertendas atque ad ostendendam doctoribus catholicis tutam viam, instituta fuit a Leone XIII Litt. « *Vigilantiae* » die 30 Oct. 1902 Pontificia **Commissio** seu **Consilium de Re Biblica,** cuius esset « omni ope curare et efficere, ut divina eloquia et exquisitiorem illam, quam tempora postulant, tractationem passim apud nostros inveniant, et incolumia sint non modo a quovis errorum afflatu, sed etiam ab omni opinionum temeritate » (4). Huius Consilii auctoritatem Pius

---

(1) De his cf. *Acta S. Sedis* 40 (1907), 470-478; 593-650; Denz. B. 2001-2065; 2171-2109. Quae ad S. Scripturam faciunt habes in Cav., *Thes.*, n. 98-100. Ceterum integer textus cum aliis documentis ad eandem rem pertinentibus prostat etiam separatim, ut in libris: *Acta Pii PP. X modernismi errores reprobantis collecta et disposita*, Oeniponte 1907; *Condamnation du modernisme, Documents*, Tournai 1907; A. Vermeersch, *De modernismo acta S. Sedis a* 17 *Aprilis* 1907 *ad* 7 *Martii* 1908 *cum notis canonicis*[2], Brugis 1908.

(2) Cf. *Acta Apostolicae Sedis* 2 (1910), 655-680; Denz. – B. 2145 ss.; Cav., *Thes.*, p. 753; A. Vermeersch, *De modernismo tractatus et notae canonicae cum actis S. Sedis a die* 17 *Apr.* 1907 *ad* 25 *Sept.* 1910, Brugis 1910; F. Heiner, *Die Massregeln Pius' X gegen den Modernismus*, Paderborn 1910; A. Houtin, *Histoire du modernisme catholique*, Paris 1912 (cum cautela legendus; cf. supra).

(3) Idem opus postea, decreto 13 Ianuarii 1913, in Indicem librorum prohibitorum relatum est.

(4) *Acta S. Sedis* 35 (1902 s.), 235; *Acta Leonis XIII* 22, 233. Cf. in hanc rem quae paulo serius Pius PP. X in exemplum proposuit, scribens ad Rev.mum Epi-

PP. X ampliavit, tum facultatem illi tribuendo academicos in S. Scriptura gradus conferendi (Litt. « *Scripturae Sanctae* » 23 Febr. 1904), tum declarando ac praecipiendo « universos omnes conscientiae constringi officio sententiis Pontificalis Consilii de Re Biblica... perinde ac Decretis S. Congregationum pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice, se subiiciendi » (Motu proprio « *Praestantia Scripturae sacrae* » 18 Nov. 1907).

Hac ergo auctoritate Pontificia Commissio hucusque sententiam tulit de citationibus implicitis in S. Scriptura (13 Febr. 1905), de narrationibus aut libris specietenus tantum historicis (23 Iunii 1905), de mosaica authentia Pentateuchi (27 Iunii 1906), de auctore et historica veritate quarti Evangelii (29 Mai 1907), de libri Isaiae indole et auctore (28 Iunii 1908), de charactere historico trium priorum capitum Geneseos (30 Iunii 1909), de auctoribus et aetate Psalmorum (1 Mai 1910), de auctore, tempore, historica veritate Evangelii secundum Matthaeum (19 Iunii 1911), item de auctore, tempore, historica veritate Evangeliorum secundum Marcum et Lucam ac de quaestione synoptica (26 Iunii 1912), de auctore, tempore, historica veritate libri Actuum (12 Iunii 1913), de Epistolis pastoralibus (eadem die), de auctore atque compositione Epistolae ad Hebraeos (24 Iunii 1914), de parousia seu secundo adventu D. N. Iesu Christi in Epistolis S. Pauli (18 Iunii 1915), de quibus omnibus dicetur suo loco (1).

64. Denique Summus Pontifex Benedictus XV, occasione usus XV centenarii a morte S. Hieronymi, in Litteris Encyclicis « *Spiritus Paraclitus* » die 15 Sept. datis (2), proposito tanti Doctoris exemplo, tum ad assiduum S. Scripturae studium hortatus est, tum gravia quaedam puncta doctrinae aut inculcavit aut a falsis interpreta-

---

scopum Rupellensem P. E. Le Camus die 11 Ian. 1906: « Illud praecipue dandum est laudi, quod eam viam explicandi Sacras Litteras studiose teneas, quam in obsequium veritatis atque in decus Ecclesiae catholicae omnino teneri, Ecclesia duce, oportet. Ut enim damnanda est eorum temeritas, qui plus tribuentes novitati quam magisterio Ecclesiae, critices adhibere genus non dubitent immodice liberum, ita eorum ratio non probanda, qui nulla in re ausint ab usitata exegesi Scripturae recedere, etiam cum, salva fide, id bona studiorum incrementa postulent » (Cav., *Thes.*, n. 97 e *Civ. Catt.* 57 [1906, 2] 485).

(1) Cf. *Enchiridion Biblicum. Documenta ecclesiastica s. Scripturam spectantia auctoritate Pont. Commissionis de Re Biblica edita*, Romae 1927. Decreta Commissionis dant etiam suo quaeque loco Denz.-B. 1979 s... 2110, 2182; Cav., *Thes.*, 103-118.

(2) *Acta Apostolicae Sedis* 12 (1920), 397; ed. separatim, Romae 1920, in usum scholarum, p. 15; Denz. B. 2188. Cf. F. Valente, *S. Girolamo e l'Enciclica « Spiritus Paraclitus »*, Roma 1921; P. Häuser, *Die Hieronymusenzyklika*, Regensburg 1921; alia in *Biblica* 3 (1922), 252 sq., 4 (1923), 5*.

tionibus vindicavit. Haec videntur prae ceteris notanda. Primo demonstravit, frustra ad auctoritatem confugere sive S. Hieronymi sive Encyclicae « *Providentissimus* » assertores theoriae quae dicitur ab historicis apparentiis (supra n. **61**). Tum vero eos improbavit, qui admitterent referri quidquam in Evangeliis a Christo dictum aut factum, quod non ab ipso Christo profectum sit, sed aut a meditatione scriptoris aut ab opinione posterioris christianae generationis dimanet. Demum optimas interpretandi et exponendi leges ab eiusdem s. Doctoris exemplo deduxit. Opportunum sane nostris temporibus consilium, ut ad instar Doctoris in s. Scripturis interpretandis maximi, cum summa linguarum peritia, cum amplissima sacrae et profanae eruditionis supellectili, firmissimam fidem in divinam Scripturarum auctoritatem earumque inconcussam veritatem coniungere sciamus.

PARS II

HERMENEUTICA

auctore P. Andrea Fernández S. I.

Praenotanda

65. Vidimus in superioribus, qui sint libri sacri; certiores facti sumus eos in substantia integros ad nos usque pervenisse; didicimus quo pacto plurimi interpretes per tot saecula eos intellexerint et explicaverint. Restat ut in rectas interpretandi normas inquiramus; id quod praestat tractatio haec, quae *hermeneutica* (ab ἑρμηνεύειν, interpretari) appellari solet.

Eius proprium **obiectum** est *sensus* Scripturae. *Sensus* autem dicitur mentis conceptus, quem quis hic et nunc in definitis adiunctis verbo exprimit. Differt sensus a significatione: *Significatio* est vis ac potestas, quae locutioni in se spectatae et independenter a determinatis circumstantiis subesse potest; nec una sed multae plerumque sunt eiusdem locutionis significationes. *Sensus* vero est illa determinata vis ac potestas, quam locutio ex particularibus adiunctis in concreto induit; et unius locutionis solet esse unus sensus. Hermeneutica ergo docet, *qua ratione sensus S. Scripturae in singulis locis determinari queat* (1).

Hinc intellegitur quot sint hermeneuticae **munera**: 1) statuere *quotuplex* sit sensus S. Scripturae; 2) docere qua ratione genuinus sensus sit *inveniendus*; additur plerumque 3) qua ratione sensus inventus sit *proponendus* (2).

---

(1) Tum hermeneutica tum *exegesis* (ab ἐξηγεῖσθαι, explicare, enarrare) persequuntur intellegentiam S. Scripturae; sed aliter et aliter: illa tradit principia generalia, haec principia applicat. En integer processus interpretationis: 1° Textus genuinus stabiliendus (*critica textualis*); 2° Principia prae oculis habenda (*hermeneutica*); 3° Explanatio textus (*exegesis*). Quae ut recte fiat, dignoscere oportet genus litterarium libri seu scripti (*critica litteraria*), et condiciones historicas (*critica historica*). Haec omnia non seorsim, sed simul saepe adhibentur. De his egregie in *Providentissimus Deus*.

(2) Hae tres partes graeco nomine saepe vocari solent *noematica* (νοῦς, sensus; νόημα, intellegentia), *heuristica* (εὑρίσκειν, invenire), et *prophoristica*

Bibliographia. — Scientifica exegeseos catholicae principia continentur in Leonis XIII Encyclicis Litteris *Providentissimus Deus*, quas ex parte explicat et complet Benedictus XV in Litteris *Spiritus Paraclitus*. De his cf. quae supra dicta sunt n. **58. 60. 64.**

Inter **Patres** eminent S. Augustinus, *De doctrina christiana PL* 34, 15-122 (in tribus libris prioribus, de sensu inveniendo; in quarto, de sensu proponendo); Origenes, *De principiis*, l. 4 n. 1-27 *PG* 11, 341-401; S. Hieronymus, passim, praesertim vero in *epist.* 57, *ad Pammachium PL* 22, 568-579, ubi multa de ratione versionis faciendae.

De iis, qui plures numero et merito egregii immediate tum **ante** tum **post Conc. Trid.** scripserunt, cf. dicta n. **44-47.**

Ex **recentioribus** pauci nominandi: Cornely, *Introd. in Utr. T. libros sacros*,[2] Parisiis 1894, 1, p. 535-616 (optima tractatio, ad quam non semel, cum fusior explanatio desiderabitur, lectorem remittemus); H. Höpfl, O. S. B., *Tractatus de inspiratione S. Script. et Comp. hermeneuticae bibl. cath.*, Romae 1923, ubi (p. 87-90) copiosam invenies bibliographiam; F. X Patrizi S. I., *Institutio de interpretatione Bibliorum iterum edita*, Romae 1876 (« opus celeberrimum » iure vocatur a Székely, p. 23 [vide infra], quod hodiedum non mediocri utilitate consulitur); S. Székely, *Hermeneutica biblica generalis secundum principia catholica*, Friburgi Brisgoviae 1902 (tractatus copiosus admodum [p. IV-446] ubi p. 17-27 vide longam seriem auctorum); M. Hetzenauer O. C., *Epitome exegeticae biblicae catholicae*, Oeniponte 1903; V. Zapletal O. P., *Hermeneutica biblica*[2], Friburgi Helvetiorum 1908; I. Doeller, *Compendium Hermeneuticae biblicae*,[3] Paderbornae 1914; I. B. Girardi, *Elementa hermeneuticae biblicae scholis theologicis accommodata*, Patavii 1922 (quaestiones breviter ac lucide tractat); F. M. de Castro, *Introd. gen. in S. Scripturam*, Vallisoleti 1922, p. 321-436; I. V. Bainvel S. I., *De Scriptura sacra*, Paris 1910 (variae lucubrationes concisae et iustae, cum selectis indicationibus bibliographicis); G. Nogara, *Nozioni bibliche*,[4] Milano 1921, p. 234-269; P. Grannan, *A general introd. to the Bible*, St. Louis 1921, v. 4; F. X. Kortleitner, Ord. Praem., *Hermeneutica biblica*, Oeniponte 1923; M. Sales O. P., *Principia tradita a divo Thoma pro SS. Scripturarum interpretatione*, in *Xenia thomistica*, Romae 1925, v. 2, p. 19-34; L.-Cl. Fillion, *L'étude de la Bible*, Paris 1922 (plures tradit auctor animadversiones utilissimas ad incumbendum cum fructu studio S. Scripturae); *Eduard König, *Hermeneutik des Alten Testaments*, Bonn 1916; *Stilistik, Rhetorik, Poetik in Bezug auf die biblische Literatur*, Leipzig 1900. Alia plura tum catholicorum tum protestantium opera invenies commemorata in Vigouroux, *Dict. Bibl.* 3, 628-633.

(προφέρειν, proferre, efferre). Duas postremas tantummodo prosequitur S. Augustinus in libris *de doctrina christiana:* « Duae sunt res quibus nititur omnis tractatio Scripturarum; modus inveniendi quae intellegenda sunt, et modus proferendi, quae intellecta sunt » (1, 1 *PL* 34, 19).

SECTIO I.

Quotuplex sit sensus in S. Scriptura (1)
(Noematica)

66. Sensus litteralis et typicus. — Conceptus animi manifestari possunt vel *per verba* vel *per actus et facta*. Est autem maxime proprium Dei, qui est Dominus omnium, res et eventus ordinare ad aliquid significandum (2).

Inde fit ut in S. Scriptura, cuius principalis auctor est Deus, duo genera sensus distinguantur: alterum, quod *verbis* seu *littera* immediate exprimitur, ideoque dicitur sensus *litteralis* (3); alterum, quod immediate *per res* (mediate per verba quae res significant) manifestatur, ac proinde *realis* vel *typicus* appellatur. Ex. gr.: « Ex Aegypto vocavi filium meum » (Os. 11, 1; cf. Mt. 2, 15). In sensu *litterali* agitur de reditu p o p u l i I s r a e l ab Aegypto, nam id verba immediate exprimunt; cum vero hic reditus significet reditum I e s u ab Aegypto, de huiusmodi reditu agitur in sensu *typico*.

67. Sensus tum litteralis tum realis seu typicus **varie dividitur** pro vario aspectu sub quo considerari potest. Sic ex a r g u m e n t o dicitur: *historicus* (4), si ad eventus seu historiam; *tropologicus*, si ad mores (τρόποι); *anagogicus*, si ad vitam futuram ac superna bona (ἀνάγω, in altum fero); *allegoricus* (sed minus proprie) si ad futurum Messiam, vel etiam in genere ad res credendas refertur (5). Ex c r i t e r i o sive ab h e u r i s t i c a: *grammaticalis* seu *philologicus*, cum ope regularum grammaticalium invenitur; *logicus*, cum e contexta oratione eruitur. Ratione a s s e n s u s: *certus*, *probabilis*,

---

(1) Cf. S. Thom., *Quodl.* 7, q. 6, a. 14-16; 1, q. 1, a. 10; *in Ep. ad Gal.* c. 4, *lectio* 7; Hugo a S.Victore, *De Scripturis* c. 3-5 *PL* 175, 11-15; Vázquez, *In Sum.* 1; disp. 13-18.

(2) Cf. infra n. **75** dicenda.

(3) De praecisa notione sensus litteralis iuxta S. Thom. cf. infra n. **74**, nota 2.

(4) De sensu historico ap. S. Thom. cf. A. Blanche in *Rev. Thom.* 1906 p. 197-199; P. Synave in *Rev. Bibl.* 1926 p. 41-43 (vide infra n. **73**).

(5) Hinc notissimi illi versus (ab Augustino de Dacia O. P. 1260 c. concinnati): *Littera* g e s t a docet; quid c r e d a s *allegoria; Moralis* quid a g a s; quo t e n d a s *anagogia* (ubi *littera* ponitur, ut patet, pro sensu *historico*) argumenti potius quam sensus proprie divisionem proponunt. — Cf. *Angelicum* 6 (1929), 256; *Verbum Domini* 9 (1929) 212 ss.

dubius; facilitatis seu claritatis: *obvius, obscurus*; veritatis: *verùs, falsus*. Tandem ex usu verborum: *proprius, translatus. Proprius* videlicet, si verba sumuntur secundum *proprietatem locutionis*, vel secundum nativam eorum significationem, ex. gr. *Homo ridet; improprius* vero, seu *translatus*, seu *metaphoricus*, si secundum *similitudinem*, vel secundum significationem figuratam, ex. gr. *Pratum ridet* (1). — Liceat hic commemorare sensum *pleniorem, consequentem, accommodatum*, de quibus infra fusior erit sermo.

Animadvertendum est varias a variis auctoribus adhiberi denominationes, nec semper easdem. Sensus litteralis vocari solet *grammaticalis, logicus, historicus;* sensus vero typicus dicitur *realis* (quippe qui *rebus* immediate inest), *spiritualis, mysticus* (μύειν, abscondere: cf. μυστήριον), *allegoricus*. Hae denominationes (*spiritualis, mysticus, allegoricus*) saepe dicuntur etiam de sensu mere accommodato. Apud Patres alia praeterea nomina occurrunt, de quibus dictum est n. **8. 20**. Illud sit firmum, *duos* tantum haberi proprie ad invicem distinctos sensus, *litteralem* nempe et *typicum*; ceteros omnes ad illos revocari.

CAPUT I.

De sensu litterali

ART. 1. — An singulis sententiis S. Scripturae aliquis sensus litteralis subsit?

68. Certum est homines, cum loquuntur, aliquid *immediate* per *verba* significare velle. Cur vero auctores sacri, qui ut instrumenta non mortua sed viva agunt, ab hoc universali agendi modo excipiantur, nulla penitus adest ratio. Concludendum igitur est *sensum aliquem litteralem semper et ubique inesse.*

69. Aliter dicitur sensisse ORIGENES in *De Principiis*, 4, 11-19 *PG* 11, 364-385, de cuius tamen genuina mente non una est interpretum sententia. PATRIZI, *De interpretatione...* p. 10 s. illum vindicat; contra, CORNELY, *Introd.* 1, p. 541-544 existimat Origenem textibus nonnullis, saltem cum de legibus agitur, omnem sensum litteralem abiudicasse (2).

---

(1) Inde apparet sensum metaphoricum (ex. gr. *brachium Dei*) posse esse sensum litteralem. «Nam (ait s. Thomas) per voces significatur aliquid proprie et aliquid figurative; nec est litteralis sensus ipsa figura sed id quod est figuratum. Non enim cum Scriptura nominat Dei brachium est litteralis sensus quod in Deo sit membrum eiusmodi corporale, sed id quod per membrum significatur, scilicet virtus operativa» (S. Th. q. 1 a. 10 ad 3).

(2) Fuse de hac quaestione agunt F. PRAT, *Origène. Le théologien et l'exégète*, Paris 1907, praes. p. 125-133. 175-179; et A. ZÖLLIG, *Die Inspirationslehre des Origenes* (*Strassburger theologische Studien* 5 [1903] 1-130), praes. p. 97-117.

Orig. *triplicem* sensum distinguit « Sicut ergo homo constare dicitur ex corpore et anima et spiritu, ita etiam sancta Scriptura » (col. 365): « quaedam autem sunt Scripturae quae sensu corporali carent »: τὸ σωματικὸν οὐδαμῶς ἔχουσαι (ibid.). Totius igitur quaestionis cardo hic est: quid intellegatur per sensum *corporalem*. Iamvero ex integro contextu constat, ab Origene ita appellari sensum *proprium*, sensum *obvium*, qui prima fronte apparet. Qua definitione posita, certe multis Scripturae sententiis deest sensus corporalis, ex. gr. locutionibus anthropomorphicis de Deo, ut cum dicitur Ps. 17, 9 « Ascendit fumus e naribus eius (Dei) ». Ex alia parte, cum Origenes praecipiat, ut in his sententiis, quae corpore carent, quaeramus *animam* et *spiritum*, scilicet sensum altiorem, *qui vere inest verbis* (cf. praesertim col. 368. 376. 381 s.) iure concludimus Origenem *nullibi omnem sensum litteralem negasse*. Multo minus id de aliis Patribus affirmare licet.

Art. 2. — An multiplex in una eademque sententia S. Scripturae habeatur sensus litteralis?

70. Animadvertendum: 1) nos loqui non de duabus *interpretationibus*, quarum utraque sua gaudeat probabilitate, sed de duobus *sensibus;* 2) agi de sensibus litteralibus *disparatis*, id est, quorum alius non sit tantum alio *plenior* (1), vel quorum alius *implicitus*, alius *explicitus;* 3) dubitari forsan posse aliquando num sensus sint vere disparati, an tantum *amplitudine* differant. Exempla dubia, si quae sint, ad arguendum non sunt adducenda; 4) nos inquirere de *facto*, non de possibilitate; nullum enim est dubium, quin potuerit Deus, et etiam hagiographus, una sententia plures intendere sensus litterales (2); non queritur num *potuerit*, sed num *fecerit*.

Pluralitatem sensuum litteralium tenuerunt, ut paucos tantum citemus, Suárez (3), Vázquez (4), Bonfrerius (5); et ex recentioribus Zanecchia (6), Zapletal (7). *Contrariam* vero sententiam propugnant S. Bo-

(1) Ita in pluribus psalmis, ubi sensus *historicus* et sensus *messianicus* non sunt disparati. Sensus messianicus est *plenior* (cf. inferius n. 79) vel *cumulativus:* habetur unus tantum sensus litteralis.

(2) Exemplum affert Bonfrerius (cf. infra) col. 264: « Lege facienda disces ». Intellegi potest: *Lege, facienda disces* (*lege* imperat. a verbo *lego*); vel: *Lege facienda disces* (*lege* ablativus a nominativo *lex*). Si primum, sensus est: *Legendo disces quae sunt facienda.* Si alterum: *Quae lex praecipit facienda disces.*

(3) Suárez, *De fide*, disp. 17, sect. 1, n. 13, Lugduni 1621, v. 11, p. 277.

(4) Vázquez, *In I, q.* 1, *a.* 10, *disp.* 17 c. 1-4, Lugduni 1619, v. 1, p. 51-53.

(5) Bonfrerius, *Praeloquia*, c. 20, sect. 5, in Migne, *Scripturae S. Cursus*, Parisiis 1837, v. 1, col. 265.

(6) Zanecchia, *Divina Inspir. S. Script.*, Romae 1898, p. 216 ss.

(7) Zapletal, *Hermen. bibl.*, p. 26 ss.

NAVENTURA (1), RIBERA (2), MICHAEL DE MEDINA (3); ex recentioribus PATRIZI (4), CORNELY (5), HÖPFL (6), PESCH (7), cuius lucida expositio his clauditur verbis: « Quibus consideratis negandum videtur opinionem de sensu litterali multiplici esse vere probabilem; et optandum est, ut post tot disputationes tandem in pace sepeliatur » (l. c. n. 555). Verum aliter sentit Nic. ASSOUAD O. F. M. (8), qui recenter provinciam sibi suscepit ab oblivione vindicandi « veterem illam et in scholis longe lateque florentem (sententiam de multiplici sensu litterali) utpote *fundatissimam* et in re exegetica *valde necessariam* » (l. c. p. VII). Fautores, ni fallimur, inveniet non multos (9).

71. Ceterum solutio totius quaestionis videtur radicitus quaerenda in *diversa ratione intellegendi sensum litteralem*. Qui multiplices sensus etiam secundum litteram fere in integra S. Scriptura ponunt, de sensibus loquuntur, qui *non sunt secundum intentionem scriptoris sacri*, quos ipse neque forsan novit, qui tamen a Deo, auctore principali S. Scripturae (10), comprehendebantur et *quodammodo* etiam intendebantur. Nos, contra, sensum litteralem proprie vocamus illum, quem *scriptor sacer intendit*, quique ex integro contextu proximo et remoto, maiori vel minori claritate, apparet. Non agitur igitur de *una eademque re*, unde contradictio evanescit inter eos, qui contrarias sententias tenere dicuntur.

Iam, quod Deus praeviderit varios sensus, qui ad spiritualem animi profectum e S. Scriptura erui poterant atque eruendi erant

---

(1) S. BONAVENTURAE *In 4 Sent.*, dist. 21, p. 1, dub. 1, Quaracchi 1889, v. 4, p. 558 « una scriptura multis modi potest exponi; unus tamen est *principalis* et *litteralis* intellectus, plures tamen esse possunt per *adaptationem* ».

(2) RIBERA, *In libr. duodec. Prophet.*, (Brixiae 1605) *in Os.* 11, 1, n. 3-11, praes. n. 5-7 (p. 226-229). Cf. et *Praelud.* 1, n. 16-19 (p. 6 s.).

(3) MICH. DE MEDINA, *l.* 6 *de recta in Deum fide*, c. 25, apud VÁZQUEZ, l. c., qui eum impugnat.

(4) PATRIZI, *De interpr. Bibl.*, p. 15 ss.

(5) CORNELY, *Introd.* 1, p. 544 ss.

(6) HÖPFL, *Tract. de Inspir. S. Script. et Comp. Hermen. bibl. cath.*, p. 105-123.

(7) PESCH, *De Inspir. S. Script.*, Friburgi Brisg. 1925, n. 543-555. Alios auctores vide apud PATRIZI, l. c. p. 35-38.

(8) ASSOUAD, *Polysema sunt Sacra Biblia*, Pars prima, S. Mauritii in Helvetia 1917; pars altera, ad Claras Aquas 1920; pars tertia et ultima, ibid. 1923-1924.

(9) Quid de opinione et ratione arguendi P. Assouad in commentariis periodicis dictum sit, quid ipse responderit, videri potest in ipso illius opere p. 89-107.-251-263.

(10) Cf. *De pot.* q. 4, a. 1.

certum est: immo quod Deus voluerit atque providerit, ut scriptores sacri accommodata scriberent ratione ad illos sensus exprimendos, non est cur negemus. Atque in hoc precise posita est *dignitas Scripturarum*, quae aliis libris non competit, quippe qui Deum non habent auctorem. Sed, cum Deus non ipse *intenderit ac expresserit* illos sensus, nequeunt proprie vocari sensus Dei. Cf. infra, n. **80**.

Utrum hi sensus vocandi sint litterales necne, non multum refert, cum quaestio sit de nomine, si de re constat. Vázquez, *in Sum.*, 1, disp. 17, c. 3, n. 8 ait: « Observandum nullum esse sensum litteralem, quem auctor Scripturae non solum praecipuus, qui est Deus, sed etiam scriptor non intellexit », cuius rei dat rationem: « quoniam Scriptor sacer non fuit sicut amanuensis, qui dictata solum exciperet, non intellegens sensum verborum, sed conceptionem suae mentis scripto exprimere voluit ». Hunc sensum tamen scriptor sacer non semper distincte sed aliquando confuse tantum et in genere cognoscebat (ibid. n. 9). – Haec videtur apta conceptio sensus litteralis (1) (cf. infra n. **82**) iuxta quam illi sensus, de quibus nunc agimus, non sunt stricte dicendi litterales.

72. His positis dico: *Uni sententiae unus tantummodo subest sensus litteralis.* Experientia enim constat homines, cum serio loquuntur (non per iocum, vel cum intentione alios in errorem inducendi), intendere universim *unum* tantummodo sensum; si aliter agerent, magna in consortio humano confusio oriretur. Iamvero, eadem ratione egisse censendi sunt auctores sacri, et ipse auctor primarius Deus, *nisi contrarium solidis argumentis probetur.*

Ratio autem probandi est duplex, quae seorsim proponetur.

---

(1) S. Thom. distinguit: 1° Sensum *litter. principalem*, qui est secundum intentionem auctoris (secundarii). 2° Sensum *litter. non principalem* (scil. secundarium), qui non est secundum intentionem auctoris (secundarii) sed S. Scripturae non incongrue aptatur. (« Dicendum quod in S. Scriptura, praeter principalem sensum, quem auctor intendit, possunt alii sensus non incongrue aptari. Et sic Hieronymus per adaptationem quandam loquitur, et non secundum intentionem Apostoli ». *In 4 sent.*, dist. 21, q. 1, a. 2, q.ª 3, ad 3. Cf. *Ad Gal.* c. 4, lect. 4). Cf. S. Zarb, in *Divus Thomas* 33 (1930), 337-359, et in *Revue thomiste* 37 (1932), 251-300.

Hunc sensum, vel potius sensus non principales scriptor sacer non necessario intellexit, sed certe Spiritus S., qui est auctor principalis. Cf. *De pot.* q. 4, a. 1.

Inde sensus litteralis videtur posse iuxta S. Thom. universim definiri: *Sensus vocibus expressus, quem auctor* (sive princ. tantum, sive etiam secund.) *intendit.* Sensus, quem nos communiter litteralem dicimus, respondet sensui, quem S. Thom. *principalem* vocat. Cf. Blanche, l. c. p. 196. 207 s.

1) *Pluralitas sens. litter. affirmatur de paucis tantummodo locis S. Scripturae.* — Pro qua sententia ita arguunt: *a*) Sunt textus in V. T., qui sensu diverso in N. T. adhibentur; ex. gr. Ps. 2, 7 « Filius meus es tu; ego hodie genui te », in Act. 13, 33 de *resurrectione* Christi; in Hebr. 1, 5 de illius *divinitate;* in Hebr. 5, 5 de illius *sacerdotio*; Is. 53, 4 « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit » — quae verba dicuntur a propheta in sensu *spirituali* (cf. 1 Petr. 2, 24) — in Mt. 8, 16 s. (« et omnes male habentes curavit ») de languoribus *corporalibus*. – *b*) Eidem sententiae S. Scripturae a Patribus sensus diversi tribuuntur, ex. gr. Is. 53, 8 « generationem eius quis enarrabit? » de duplici Verbi generatione, *aeterna* et *temporali* explicant. – *c*) Verba Caiphae « expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo » (Ioh. 11, 50) duplicem habent sensum (1).

Resp. ad *a*) non agi nisi de sensu vel *accommodato*, vel *pleniori*, vel *consequenti*, minime de duplici sensu litterali disparato (cf. n. **143**); ad *b*) Is. 53, 8 tradi *expositiones* quidem diversas, non vero sensus (2); ad *c*) in verbis Caiphae haberi aliquid insolitum: sensus loquentis (Caiphae) est certe diversus a sensu intento a Deo; sed hic solus est inspiratus, non ille prior. Cf. infra n. **84**.

NB. Si tamen aliquis esset textus, qui perspectis criteriis tum litterariis tum dogmaticis convenienter non posset explicari, quin statuatur pro illo duplex sensus litteralis, *nihil impedit, quominus admittatur.*

73. 2) *Pluralitas sens. litter. dicitur extendi ad fere integram S. Scripturam;* quae sententia probatur et ipsius S. Scripturae dignitate, et auctoritate Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, imprimis S. Augustini et S. Thomae: *a*) *Dignitati S. Scripturae* est maxime conveniens ut sub una littera plures habeat sensus. *b*) PP. asserunt nullam esse in S. Scriptura sententiam, quae plena non sit sensibus; tot esse mysteria quot litteras, et alia huiusmodi. S. GREG. M.: « simplex veraque littera, sed alta nimis et *multiplicitate multorum sensuum profunda* » (*in 1 Reg. Prooem. PL* 79, 20);

(1) Hi textus nonnisi *exempli instar* citantur, ideoque alii omittuntur, pro quibus eadem fere solutio est danda. De plurimis locis messianicis in genere diximus n. 70 nota 1. Ceterum vide quae statim dicimus in **NB.**

(2) Cf. KNAB.-ZORELL, *Comm. in Isaiam,*[2] *in loc.* et infra n. **180.**

S. HIERON.: « Apocalypsis Iohannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis. Laus omnis inferior est: *in verbis singulis multiplices latent intellegentiae* ». (*Ep.* 53, *ad Paulinum PL* 22, 548 s.). Clarius adhuc S. AUGUST.: « Sensit ille (Moyses) omnino in his verbis atque cogitavit, cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest » (*Conf.* 12, 31 *PL* 32, 844). Hanc doctrinam tenuit S. THOMAS: « non est inconveniens, ut dicit Augustinus 12 *Conf.*, si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturae plures sint sensus » (1, q. 1, a. 10).

Resp. ad *a*) Dignitati S. Scripturae ita non convenit multiplicitas sensuum litteralium, ut potius videatur illam dedecere, cum magnam certe pareret confusionem; ad *b*) Patres *videntur* quidem favere pluralitati sensuum litteralium. At eorum verba intellegi possunt de sensu *accommodato* (allegorico, morali etc.), vel *typico*, vel *consequenti* (1); vel de diversis *expositionibus* (2) seu *interpretationibus*. PP. videntur prae oculis habuisse, Deum infinita sua sapientia praevidisse has varias expositiones, quas circumstantia litterae patitur, ubi aliquid verum atque utile proponitur; immo providisse ut fierent. Unde lato sensu dici quodammodo possunt sensus S. Scripturae, videlicet quatenus Deus et illos cognovit, et voluit ut, *occasione* textus sacri, illae variae expositiones proponerentur (cf. infra n. **74**; BAINVEL, *De Scriptura S.* p. 197; BLANCHE, *Rev. Thom.* 1906 p. 209 [vide infra]).

74. De mente S. Augustini et S. Thomae. — De S. AUGUST. (3) qui primo quaestionem movit, et a quo ceteri pluralitatis sensus asser-

---

(1) « Nam omnes scriptores eius (S. Scripturae) prophetae fuisse referuntur, qui cum *historica* narrant, *spiritualia* signant; *exteriora* loquuntur et *intima* innunt; *terrena* proponunt ut *caelestia* exsequantur » (S. GREG. M., *in* 1 *Reg. Prooem. PL* 79, 20).

(2) Hac ratione cum PESCH, HÖPFL, etc, contra ZAPLETAL, *Hermeneutica*, p. 28, interpretanda sunt verba S. Gregorii M.: « Sed quia plerumque in sacro eloquio ideo aliquid obscure dicitur, ut dispensante mirabiliter Deo, *multipliciter exponatur*, nos caritati vestrae utraque exponere largiente Domino debemus » (In *Ez.* 3, 13; l. 1, hom. 10, n. 31 *PL* 76, 898).

(3) Cf. F. TALON, *Saint Augustin a-t-il réellement enseigné la pluralité des sens littéraux dans l'Ecriture?*, in *Rech. de sc. relig.* 11 (1921), 1-28; A. FERNÀNDEZ, *De mente s. Aug. relate ad unitatem sensus litteralis*, in *Verb. Dom.* 7 (1927), 278-284; S. ZARB, *S. Augustinus Lier*, in *Thom. Tydschrift* 1 (1930), 615-642.

tores dependent, haec notentur: 1) passim inculcat ut omni ope conemur ad id quod sensit scriptor sacer pervenire; quo principio supponit *obiective* unum esse litteralem sensum (*de doctr. chr.* I, 41; III, 38; *PL* 34, 34, 80; *de Gen. ad litt.* I, 41; *PL* 34, 262; *Confess.* XII, 27, 33, 43; *PL* 32, 836-839-844). 2) *subiective* tamen omnem sensum, qui ex verbis s. scriptoris elicitur, dummodo veritati aliunde notae non repugnet, amplectitur et commendat, idque ob rationes ordinis non intellectualis sed moralis, nempe ad charitatem et humilitatem servandam (*Confess.* XII, 34-35-41; *PL* 32, 839 s., 843). 3) omnes eos sensus qui elici vere possunt ex uno textu, ab hagiographo fuisse cognitos et intentos semel *opinando* et *optando* asserit, affectu potius quam ratione motus (*Conf.* XII, 36-42; *PL* 32, 841); a qua tamen animi dispositione videtur paullo post (ibi n. 42 co.. 844) recedere (1).

S. THOM. (2) de sensibus S. Scr. agit in ***a***) *Quodl.* 7, a. 14-16 (anno 1256) (3); ***b***) *De potentia*, q. 4, a. 1 (1259-1263); ***c***) *Exp. ep. ad Gal.*, c. 4, lectio 7 (1266-1267); ***d***) *Sum. th.* 1, q. 1, a. 10 (1267); et quidem in ***a***) et ***d***) data opera, in ***b***) et ***c***) per transennam.

a) In S. Scriptura est sensus *litteralis* et sensus *spiritualis* « et sic s. Scripturae plures sensus competunt » (a. 14, Resp.). « Unde non est impossibile simul plura intellegere, inquantum *una est figura alterius* » (ad 5). Nihil igitur de multiplici sensu litterali.

d) S. Thom. videtur plures sensus litterales hic admittere, nam dicit « *etiam* secundum *litteralem* sensum in *una littera plures* sint sensus » (vide supra n. **73**). — S. Thom. intellegit hic *sensum litteralem* modo l a t o, prouti complectitur tum sensum quem ipse alibi vocat principalem, tum alios secundarios a solo Deo, non ab auctore humano intento (vide supra n. **71**, nota 1). Principalem docet in hoc ipso loco (ad 1) esse unum.

b) 1) S. THOM. loquitur certe de sensu litterali, etsi vox *litteralis* non adhibeatur. – 2) Pluralitatem admittit: « hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat ». – 3) Hi sensus forsan auctori secundario noti erant: « non est incredibile Moysi et aliis S. Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quae homines possent intellegere ipsi cognoscerent, et ea sub una serie litterae designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris ». – 4) Certe illos novit Spiritus S.: « Si etiam aliqua vera ab expositoribus S. Scripturae litterae aptentur, quae auctor non intellegit, non est dubium quin Spiritus S. intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae.

---

(1) « ...numquid et Spiritum tuum bonum... latere potuit quidquid eras in eis verbis tu ipse revelaturus legentibus posteris, etiamsi *ille, per quem dicta sunt unam forlassis ex multis veris sententiam cogitavit?* Quod si ita est, sit igitur *illa quam cogitavit, caeteris excelsior* ».

(2) Cf. A. BLANCHE, *Le sens littéral des Ecritures d'après S. Thomas*, in *Rev. Thom.* 14 (1906) 192-212; P. SYNAVE, *La doctrine de S. Thomas d'Aquin sur le sens littéral des Ecritures*, in *Rev. Bibl.* 1926 p. 40-65; F. SCHMID, *De inspirationis Bibliorum vi et ratione*, Brixinae 1885, p. 252-260; KNABENBAUER, *Stimmen aus Maria Laach* 29 (1885) 201 s. — P. BLANCHE affirmat S. Thom. multiplicitatem sensuum litteralium tenuisse tum in *De potentia* tum in *Sum.*; P. SYNAVE in neutro loco; CORN., Introd.[2] 1, p. 547 probabilius in *De pot.*, minime in *Sum.*

Unde *omnis veritas, quae salva litterae circumstantia, potest divinae Scripturae aptari, est eius sensus* ». S. Thom. proponit in hoc loco multiplicitatem sensuum litteralium, eodem sensu quo Augustinus (sopra, 3).

c) Nihil hic affirmat S. Thom. de multiplici sensu litterali.

Concludendum igitur S. Thom., cum data opera de hac quaestione ageret (*Quodl., Sum. th.*), pluralitatem sensuum litteralium probabilius non admisisse; hanc vero pluralitatem alias (*de potentia*) re vera proposuisse; eo nempe consilio ut difficultatibus satisfaceret.

Hinc a tota disputatione concludimus: Doctrina de multiplici sensu litterali, si sensus litteralis *late* accipiatur, ut supra exposuimus, non est cur non admittatur; si vero sensus litteralis sumitur *stricte*, est reicienda.

CAPUT II

De sensu typico

75. Indoles. — Sensus typicus (de quo supra n. **66**) non sequitur ex ipsis verbis in se consideratis, sed cum rebus per illa verba expressis connectitur ex positiva ordinatione Dei (1). Ita ex. gr. agni paschalis immolatio (Ex. 12, 1-14. 46) ordinabatur ad significandum Christi immolationem (Ioh. 19, 36; 1 Cor. 5, 7); ita etiam ager emptus a Ieremia (Ier. 32) ex ordinatione providentis Dei significabat futuram regionis ac populi restaurationem, praefigurabat alias similes emptiones iterum frequentandas (cf. v. 8. 15. 43 s.). Quare ex *sola Dei revelatione* scire possumus verbis, quibus illae res significantur, praeter sensum litteralem, alium inesse sensum.

Persona vel res, quae a Deo ordinatur ad aliud significandum, vocatur *typus* (exemplar); quae vero significatur, *antitypus:* cf. Rom. 5, 14 (Adam forma [τύπος] Christi); 1 Petr. 3, 21 (baptismus vocatur *antitypus* [ἀντίτυπον] aquarum diluvii).

Typi **diversi** sunt **generis**; praefigurant enim aliquid pertinens vel ad *regnum messianicum* (typi *messianici* [*prophetici, allegorici*]); vel ad *caelestia* (typi *anagogici*); vel ad *mores* (typi

---

(1) S. Thomas: « Auctor Sacrae Scripturae est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest), sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid ». 1, q. 1, a. 10; *Quodl.* 7, a. 14.

tropologici). Una eademque res hoc triplici modo typus esse potest: Ierusalem, *urbs Iudaeorum* (sensus litteralis), praefigurat *Ecclesiam* (typus messianicus), *patriam caelestem* (anagogicus), *animam viri fidelis* (tropologicus).

Typus distinguitur ab **actione symbolica** (1) et ab **allegoria**. *Actio symbolica* nullam in se habet rationem exsistendi, sed tota quanta ordinatur ad aliquid significandum, ex gr. cum Isaias pergit nudus et discalceatus (Is. 20, 2), vel cum Ieremias lumbare defert, abscondit, putrefactum invenit (Ier. 13, 1-11). In *allegoria*, si hoc nomine intellegatur res sensibilis, quam interpretes transferunt ad res altiores significandas, nulla cognoscitur intentio Dei certa, ac proinde verus typus non datur, sed mera accommodatio; si vero allegoria sumitur, ut communiter fit, pro metaphora continuata, ut ex. gr. *Canticum canticorum*, tunc habetur tantum sensus litteralis. Contra, typus est factum historicum vel res, quae habet in seipsa rationem exsistendi, quam rationem haberet etiamsi non esset typus; et significatio, quae rei superadditur, est ex intentione Dei ab ipso manifestata, ac proinde certa. Animadvertendum tamen est haec varia nomina *symbolum*, *allegoriam*, *typum* nonnumquam minus accurate permixtim adhiberi.

76. Exsistentia. — Indubia igitur sensus typici exsistentia elucet ex sola revelatione. Sic multa, quae de aliqua re in V. T. sensu *litterali* dicta sunt, a scriptoribus N. T. dicuntur in *Christo esse impleta*. Ita ex. gr. de agno paschali (Ex. 12, 46; Num. 9, 12: Ioh. 19, 36); de populo israelitico reduce ex Aegypto (Os. 11, 1: Mt. 2, 15). Cf. praeterea Gal. 4, 22-24; Rom. 5, 14; 1 Petr. 3, 20-21 (2). Neque dici potest agi de mera *accommodatione*, nam id non permittunt formulae quae adhibentur (« facta sunt enim haec *ut Scriptura impleretur* », Ioh. 19, 36; « *ut adimpleretur* quod dictum est a Domino per prophetam » Mt. 2, 15) (3). Hoc modo auctores sacri indicant illa verba, quae citantur, referri ad Christum; cum vero id fieri nequeat sensu litterali, nam hoc sensu aliud prorsus diversum significant, concludere necesse est id fieri sensu typico.

(1) Cf. infra n. **161. 157.**
(2) Alia ap. Pesch, *De inspir.* n. 557.
(3) Cf. infra n. **142** s.

Hanc sententiam Patres ac omnium temporum theologi universim tenuerunt; immo censent theologi exsistentiam typorum in genere consideratam esse rem *de fide* (1).

77. Extensio. — Haec videntur statuenda: 1) Ex ratione, qua apostoli (2) praesertim vero S. Paulus (3), immo et Dominus noster (4) loquuntur, *iure concluditur Vetus Foedus universim sumptum fuisse typum Novi.* Verba S. Pauli: « Haec autem in figura (ταῦτα δὲ τύποι) facta sunt nostri »; « Haec autem omnia in figura (τυπικῶς) contingebant illis » (1 Cor. 10, 6. 11), etsi referantur tantum ad contextum *immediate* praecedentem, videntur tamen indicare, iuxta mentem (5) S. Pauli, plura etiam alia *in figuris* contigisse.

2) Ex alia parte *minime affirmare licet sensum typicum ad omnia vel minima se extendere*, vel omnibus sententiis inesse; id quod et ridiculum esset, et nullo innititur argumento.

Rectam viam mediam tenuit AUGUSTINUS (6). Iustos limites, e contra, praetergressus est ORIGENES (cf. *De Principiis* 4, 20-26 *PG* 11, 385-400), quem sequuti quidam theologi protestantes saec. XVII *figuristae* appellati sunt, quod in omnibus *figuras* invenirent (cf. supra n. **48**, et CORNELY, *Introd.*² 1, p. 741).

3) *Habenturne typi etiam in Novo Testamento?* Iuxta verba S. Thomae: « Lex vetus figura est novae legis, et ipsa *nova lex est*

(1) GREG. DE VALENTIA, in *Sum.* 1; disp. 1, q. 1 punct. 5 § 3: « Scripturam s. habere non modo sensum litteralem, sed etiam spiritualem... assertio est certissima de fide »; MUNCUNILL, *Tract. de Locis theol.*, Barcinone 1906, p. 101: « Quod... adsit sensus spiritualis... indubitatum est ». Vide CORNELY, *Introd.* 1, p. 556 ss. Cf. quae habet EUGENIUS IV in decreto pro Iacobitis: « Firmiter credit, profitetur et docet (sc. Sancta Romana Ecclesia) legalia Veteris Testamenti, seu Mosaicae legis... quia *significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta*, licet divino cultui illa aetate congruerent, significato per illa Domino nostro Iesu Christo adveniente, cessasse, et Novi Testamenti sacramenta coepisse ». DENZ.-B. n. 712.

(2) Mt. 2, 15; Ioh. 19, 36; 1 Petr. 3, 20 s.

(3) Gal. 4, 22 ss.; Hebr. 9, 9 ss.

(4) Mt. 12, 39 s.; Ioh. 3, 14 s.

(5) De festis Iudaeorum ait quod erant « umbra futurorum » (Col. 2, 16 s.); de Lege, quod « umbram (erat) habens lex futurorum bonorum » (Hebr. 10, 1).

(6) « Non sane omnia, quae gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt: sed propter illa, quae aliquid significant, etiam ea, quae nihil significant attexuntur ». (*De civ. Dei* 16, 2, 3 *PL* 41, 479). « Mihi autem sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud praeter id quod eo modo gestae sunt significare arbitrantur; ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt » (*De civ. Dei* 17, 3, 2 *PL* 41, 526).

figura futurae gloriae » (1, q. 1, a. 10) dicendum est posse quidem inveniri in N. T. typos *anagogicos*, seu relate ad vitam futuram; non autem typos stricte *messianicos*, qui, cum ad Messiam referantur, oportet ut illius adventum praecesserint.

78. Vis probativa. — 1) Sensui typico *quatenus* est sensus vere a Deo intentus *inest vis probandi*, et illo apostoli ad dogmata demonstranda et confirmanda usi sunt (1). 2) Attamen ut probet, certo constare debet quid et sub qua ratione significet typus (2). 3) Etiam hoc posito in praxi usus sensus typici ad demonstrationem stricte theologicam *non est magnae utilitatis;* nam sensus typicus aut certo constat, et tunc iam supponitur declaratio ss. auctorum vel magisterii ecclesiastici; aut est dubius, et tunc nullum fieri potest argumentum. Praeterea cum nihil per sensum typicum doceat Scriptura quod non alibi per sensum litteralem aperte declaret, ut scite advertit, post S. Augustinum, S. Thomas (3), iam in hoc altero loco habetur efficacior probatio.

CAPUT III

De sensu pleniori, consequenti, accommodato

79. Sensus plenior. — Deus claritate infinite maiori quam hagiographus omnia cognoscit, non tamen hac infinita claritate vult, immo nec potest illa hominibus manifestare. Verum quaeri potest num *Deus per hagiographi verba intendat aliquando sensum abundantiorem, pleniorem illo, quem ipse hagiographus intellexit et exprimere voluit.* Agitur non de duobus sensibus disparatis, sed de sensu quodam ampliori, qui potestate vocis contineatur, quique a scriptore sacro non omnino ignoretur.

---

(1) S. Paulus, Hebr. 1, 5, ut probet Christum esse angelis superiorem adducit illa verba « ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium » (2 Reg. 7, 14), quae iuxta contextum referuntur sensu litterali ad Salomonem.

(2) Hinc S. Thomas: « Non est propter defectum auctoritatis, quod ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum, sed ex ipsa natura similitudinis, in qua fundatur spiritualis sensus; una enim res pluribus similis esse potest » (Quodl. VII, a. 14 ad 4; cf. S. Th. I, q. 1, a. 10 ad 1).

(3) S. THOMAS, *Quodl.* 7, a. 14 ad 3; *Sum.* 1, q. 1, a. 10 ad 1; « nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat ».

Quaestioni hoc modo propositae *affirmative* est respondendum. Rem exemplo illustrabimus. Deus per varios prophetas varia descripsit lineamenta futuri regni messianici. Iam, quemadmodum in imagine vel in templo, de integra singularum partium vi et pulchritudine plenum iudicium ferri nequit nisi omnes simul partes, scilicet ipsa imago vel ipsum templum conspiciantur; ita prae oculis habeatur oportet integra regni messianici imago, ut plenus singulorum lineamentorum sensus percipiatur. Id autem indoli prophetiarum optime congruit. Porro prophetiae dabantur non pro iis tantum, qui regnum messianicum exspectabant, sed etiam pro iis, qui illud conspecturi erant. Iamvero, cum quis prophetiam videt adimpletam, multa, quae in illa erant obscura, longe clarius intellegit, et illius sensum plenius percipit. Quin vero Deus hunc sensum pleniorem intenderit et verbis hagiographi exprimere voluerit nullum potest esse dubium. Hunc vero sensum illis sententiis subesse nos concludimus *non tantum* ex verbis ipsis, sed ex multis aliis textibus inter se collatis; immo forsan aliquando recurrendum erit, ut ait Pesch, *De inspir.* n. 501, « ad traditionem Ecclesiae, cui Deus cum Scriptura dedit charisma rectae expositionis ».

Igitur sensum ab auctore primario intentum latius nonnumquam patere sensu auctoris secundarii, omnino est concedendum; non tamen datur diversitas, sed potius identitas, cum obiectum expressum a Deo et ab hagiographo idem sit, neque discrimen habeatur nisi in gradu claritatis, quo illud exprimere intendunt. Ad rem S. Thomas: « Sciendum quod, quia mens prophetae est instrumentum deficiens, etiam veri prophetae non omnia cognoscunt, quae in eorum visis aut verbis aut factis Spiritus Sanctus intendit » (2, 2, q. 173, a. 4). Quae autem dicuntur de prophetiis applicari etiam possunt quibusdam doctrinis, quae insinuantur in V. T., ex. gr. doctrinae de *Sapientia divina* (Prov., Eccli.), ubi mysterium SS. Trinitatis certe adumbratur, cuius tamen sensus *plenior* nonnisi post longum tempus erat percipiendus.

80. Sensus consequens ille communiter dicitur, qui *ex verbis auctoris ratiocinando educitur*, quique proinde aequiparari potest conclusioni *theologicae*, quae fluit ex duabus praemissis, quarum altera *revelata* altera mere *rationalis*. Inde patet sensum consequen-

tem *non esse proprie sensum divinum seu biblicum*, cum non contineatur *formaliter* verbis S. Scripturae. Neque refert Spiritum Sanctum praevidisse immo et providisse illum sensum; nam, ut vere litteralis sensus biblicus habeatur, oportet ut Deus illum *verbis hagiographi exprimere intenderit*. Cf. n. **74** nota 2.

Attamen *sensu lato ita vocari potest*, cum Deus unam praemissam posuerit et aliam ponendam praeviderit. Atque hac ratione, et quidem iure, S. Paulus sensum consequentem tribuit S. Scripturae, e. gr. cum, adductis verbis Deut. 25, 4 « Non alligabis os bovi trituranti », et alia praemissa adhibita, nempe « Numquid de bobus cura est Deo? » — quae valet: Longe maior cura est Deo de hominibus quam de bobus — concludit, apostolos ius habere, ut a fidelibus alantur (1 Cor. 9, 7 ss.) (1). Quod vero hanc conclusionem tribuat S. Scripturae patet ex formula ab ipso adhibita: « Numquid secundum hominem haec dico? An et lex haec non dicit? ». Plura fortasse ex libris sacris hac ratione explicari poterunt. Non mediocris igitur utilitatis est sensus, qui *consequens* dicitur.

81. Sensus accommodatus. — Hic sensus habetur cum verba S. Scripturae *accommodantur*, aptantur rei diversae ab illa, quam auctor sacer significare intendit. Inde iam patet non esse sensum *biblicum*, neque invocari posse ad *probandum;* multum tamen valet ad *illustrandum*, si recte adhibeatur.

Id vero ut fiat, haec prae oculis habere iuvabit (2):

1) *Optima* est accommodatio, quae fit per *extensionem*, cum ex. gr. ea quae Eccli. dicit de Noe (« inventus est perfectus, iustus,

(1) Sunt qui haec sensu *typico* intellegant: sed probabilius habetur sensus consequens. Cf. CORNELY, *Introd.* 1, p. 552. — Illud « Qui gloriatur in Domino glorietur » (1 Cor. 1, 31) non est sensus consequens deductus ex Ier. 9, 23 s., sed citatio sensu *stricte litterali*, licet non omnino *ad verbum*. — Ipse Dominus noster sensu consequenti usus est (Mt. 22, 31 s.): Praemittitur Scriptura: « Ego sum Deus Abraham... » (Ex. 3, 6). Additur: « Non est Deus mortuorum, sed viventium ». Inde conclusio: Ergo Patriarchae vivunt et resurgent.

(2) De modo recte faciendi accommodationem necnon de pluribus textibus biblicis, qui inepte, in contionibus praesertim, adhibentur, cf. optimum libellum BAINVEL, *Les contresens bibliques des prédicateurs*[2], Paris 1906 (versio germanica: Rottenburg 1912; italica: Siena 1899); MAN. PARDINILLA, *De la literatura bíblica*, Ciudad-Real 1896, in appendice « De la Biblia y los predicadores », p. 283-302; FILLION, *L'étude de la Bible*, p. 100-102. Plura invenies in commentariis *Verbum Domini* 1 (1921) 54-56. 239 s. 327-329. 330-332; 2 (1922) 238-240 et passim. De ratione qua sententiae biblicae accommodantur *Stationibus Quadragesimalibus in Urbe*, ibid. 5 (1925) 83-90. 120-128. Cf. VÁZQUEZ, in *Sum* 1; q. 1, disp. 14, c. 1-4.

et in tempore iracundiae factus est reconciliatio » [44, 17]), vel de Abraham (« non est inventus similis illi, qui conservavit legem Excelsi » [44, 20]), *extenduntur* ad sanctos Confessores, ut facit Ecclesia in sacra liturgia.

2) *Parum laudanda*, cum fit tantum per *allusionem*, id est, cum habetur similitudo in solis verbis, ex. gr. si quis transferat ad *bonorum vel malorum hominum consortium* illam sententiam « cum sancto sanctus eris... cum perverso perverteris » (Ps. 17, 26 s.), qua Psalmista significare voluit *Deum erga homines se gerere iuxta propria eorum merita;* vel cum illa verba « ego... merces tua magna nimis » (Gen. 15, 1) applicantur *aeternae mercedi* sanctorum in caelo; hac enim agendi ratione violentia textui sacro infertur. Cf. *Verb. Dom.* 1 (1921) 25-27. Nemo non videt hanc accommodationem ad dignitatem S. Scripturae non conferre; immo, si saepe repetatur, fieri posse ridiculam. Cf. ibid. p. 146 s.

3) *Reprobanda* accommodatio, quae innitatur in *falsa* interpretatione S. Scripturae, ex. gr. cum commendatur efficacia *timoris* Dei ad *confirmandos* in bono animos hominum, illa Psalmistae verba adducendo: « Posuisti firmamentum eius formidinem » (Ps. 88 [89], 41); dum in contexu significant: *redegisti munitiones eius in ruinam.*

82. Scholion 1. — An sit admittendus sensus **supra-litteralis?**

Hanc denominationem invexit recenter P. Lagrange (*Rev. Bibl.* 1900 p. 141 s.) (1) ex verbis Encyclicae *Providentissimus Deus:* « Eorum [librorum sacrorum] enim verbis, auctore Spiritu sancto, res multae subiiciuntur, quae humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quae cum illis continentur alia multa; idque nonnumquam ampliore quadam et reconditiore sententia, quam exprimere littera et hermeneuticae leges indicare videantur » (2); quibus in verbis cernit Lagr. allusionem ad sensum « quodammodo supra-litteralem », qui tantum a suprema auctoritate (Christo, Apostolis, Ecclesia) determinari possit.

(1) Cf. Mangenot, *Dict. de Théol. cath.* VII 2, col. 2342; Egger, *Absolute...* (vide infra n. 83 nota 1) p. 282 s.

(2) F. Cavallera, *Thesaurus doctrinae catholicae ex documentis magisterii ecclesiastici*, Parisiis 1920, n. 71; Cornely, *Comp.* n. 16. Cf. supra n. 58 nota.

At vero illa Pontificis verba non plus innuunt quam sensum, quem supra (n. 79) diximus *pleniorem*; ad hunc enim eruendum profecto oportebit, praeter philologiae regulas, ad alia subsidia appellare; tamen is revera *inest litterae*; neque vero sensus litteralis idem esse putandus est ac sensus mere grammaticalis aut sensus obvius. Ipse Summus Pontifex satis clare innuit, agere se de sensu litterali, cum statim adiungat: « alios praeterea sensus vel ad dogmata illustranda, vel ad commendanda praecepta vitae, ipse litteralis sensus profecto adsciscit ».

Quod si vocabulum *supra-litteralis* eo sensu accipiatur, quem diximus, ut illud videtur sumere Lagr., denominatio nihil continet falsi, est tamen abusiva et potest in errorem inducere.

83. Scholion 2. — QUID SENTIENDUM DE DISTINCTIONE A NONNULLIS INDUCTA INTER SENSUM **historicum** ET **dogmaticum?** (1)

Sunt qui distinguant in una eademque sententia sensum *historicum* et sensum *dogmaticum*, quorum prior dicitur genuinus, ab auctore sacro intentus, cuius investigatio ad criticos spectet; alter vero, ab Ecclesia declaratus, cuius investigatio non criticorum sed theologorum sit. Hac ratione quaedam statuitur oppositio theologiam inter et scientiam criticam, cuius omnimoda libertas vindicatur (2). De qua re haec sunt animadvertenda:

1) Si sensus historicus vocetur ille, qui ope criteriorum *mere litterariorum;* dogmaticus vero, qui criteriis *dogmaticis* eruitur, vera quidem et realis ponitur distinctio, quae tamen non sensum ipsum afficit, sed rationem illum inveniendi.

2) Quod si sensus ipse consideretur, possumus ratione *materiae* sensum historicum a dogmatico quodammodo distinguere. Ita ex. gr. in verbis institutionis S. Eucharistiae habetur *narratio de facto* et *dogma transubstantiationis.* At iisdem verbis quibus traditur factum, exprimitur etiam dogma. Uterque sensus est litteralis, genuinus, ab auctore sacro intentus.

3) Neque agitur de duobus sensibus ad invicem distinctis,

(1) Cf. si placet de hac re *The historical and the dogmatic sense in Holy Scripture*, in *Ecclesiastical Review* 33 (1905) 113-127; A. CELLINI, *Critica e Fede nella esegesi biblica*, Firenze 1906, p. 106-126; F. EGGER, *Absolute oder relative Wahrheit der heiligen Schrift?*, Brixen 1909, p. 282-292.

(2) LOISY, *Autour d'un petit livre*, p. 50-54. Cf. G. BONACCORSI, *Questioni Bibliche*, p. 196.

sed de uno sensu sub *diverso aspectu*, vel etiam *partialiter* et *totaliter* considerato.

4) Ecclesia sensum a sententia biblica alienum minime inducit, sed illum sensum, qui vere ibi adest, *declarat*.

5) Ut verus S. Scripturae sensus plene attingatur, oportet ut et theologus regulas critices, et criticus criteria dogmatica prae oculis habeant. Nulla igitur oppositio inter criticum et theologum, inter scientiam theologicam et scientiam criticam (1).

84. Scholion 3. — An sensus hagiographi sit etiam semper sensus Dei?

1) Si agitur de sensu *typico*, hagiographus illum ignorat nisi Deus ipsi revelet.

2) Si vero de sensu *litterali*, universim dicendum, propter intimam unionem inter causam principalem et instrumentalem, *unum eumdemque* esse auctoris primarii et auctoris secundarii sensum.

3) Non tamen est necessarium, ut hagiographus sensum *pleniorem* a Deo intentum semper intellegat, id quod potissimum obtinet in prophetiis. Cf. n. **79**.

4) Etiam cum auctor sacer *dubium* exprimit, sensus ab illo expressus est vere sensus a Deo etiam intentus (sc. Deus exprimit dubium hagiographi) ac proinde verus sensus biblicus, non aliter ac cum de assertione vel negatione agitur.Cf. n. **162**.

5) Tandem, non est negandum Deum posse, si velit, sensum ab hagiographi sensu diversum intendere; id quod e Joh. 11, 49-52 quodammodo illustrare licet. Cum Caiphas *prophetans* dixit: « Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat », Deus illis verbis sensum a Caiphae sensu diversum intendebat. Iam, ponamus aliquem prophetantem dicere aliquid in se verum, Deum tamen illis verbis, praeter sensum loquentis, alium etiam sensum diversum intendere: non apparet cur non possit Deus illum inspirare, ut quae dixit scribat; tunc haberetur sensus biblicus ab hagiographo et a Deo intentus; praeterea sensus etiam biblicus, a Deo quidem intentus, sed hagiographo ignotus (2).

---

(1) Vide *Prov. Deus*, Cav., *Thes.* n. 86.
(2) Cfr. supra n. **71**; *Ecclesiastical Review* 33 (1905) 124 s.

SECTIO II

Qua ratione sensus genuinus sit inveniendus

(Heuristica)

85. Cum S. Scriptura liber sit *divinus* simul et *humanus*, normas seu criteria in sensu illius investigando adhibere oportet, quae huiusmodi duplici aspectui respondeant. Inde criteria **litteraria** (respondentia aspectui *humano*) (1), et criteria **dogmatica** (respondentia aspectui *divino*).

CAPUT I

De criteriis litterariis

S. P. LEO XIII in litteris *Prov. Deus* haec habet: « Cum studio perpendendi quid ipsa verba valeant, quid consecutio rerum velit, quid locorum similitudo aut talia cetera, externa quoque appositae eruditionis illustratio societur » (2); quae quidem verba satis indicant quaenam prae oculis nobis habenda sint, ut causis difficultatis obviam eamus « quae in quibusvis antiquorum libris intellegendis fere occurrunt » (3). Scilicet, oportet 1) *perpendere vim nativam vocabulorum et locutionum, si in seipsis spectentur* (« quid ipsa verba valeant »); 2) *dignoscere quam significationem* — ex pluribus, quas ex natura sua possent forsan habere — *in loco definito induant;* id quod discemus *a*) ex *contextu* (« quid consecutio rerum velit »), *b*) ex *locis parallelis* (« quid locorum similitudo »): ad hanc autem cognitionem multum praeterea iuvabit, 3) *coram habere quaecumque externa possint clariorem tradere notitiam tum de auctore tum de auctoris doctrina;* uno verbo, *condicionem historicam, intellectualem et religiosam libri, quem interpretandum suscepimus* (« externa quoque appositae eruditionis illustratio »). Quo-

(1) Quare S. Scriptura, cum de criteriis litterariis agitur, non consideratur quatenus est liber inspiratus. Attamen ratio est habenda inspirationis, ne quid cum ea pugnans affirmetur; proinde inspiratio etiam hic est quodammodo criterium, sed tantummodo *negativum*, non positivum.

(2) CAV., *Thes.* n. 70; CORNELY, *Comp.*, n. 15.

(3) CAV., n. 71; CORN., n. 16.

niam autem sensus singularum sententiarum multum pendet a genere litterario totius libri, 4) de *generibus litterariis* est agendum. Tandem, sermo erit, 5) de *mente auctoris in describendis propriis actibus*, cum hac in re specialis habeatur difficultas.

Art. 1. – Vis nativa vocabulorum et locutionum perpendenda

86. Tum vocabula tum locutiones duplicem possunt habere vim: *grammaticalem* et *rhetoricam*.

§ 1. – De vi grammaticali

Cum libri sacri conscripti fuerint lingua *hebraica* (cf. l. 2, n. 5-7) (etiam *aramaica* [Esd., Dan.]) et *graeca*, et versio authentica Ecclesiae sit Vulgata *latina*, has linguas interpres sciat oportet; et quidem quoad *lexicon*, *grammaticam*, atque etiam indolem seu *ingenium* proprium linguae.

« Quamvis... ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca eluceat sententia » (*Prov. Deus*, Cav., *Thes.* n. 69), attamen in rebus minoris momenti versionem latinam non semper esse omni ex parte fidelem, textum autem hebraicum nonnumquam retractandum esse ad normam versionis graecae omnes norunt. Quare ipse Leo XIII: « Sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere, quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati » (*Prov. Deus*, Cav., *Thes.* n. 83). Cf. S. August., *De doctr. christ.* 2, 11 *PL* 34, 42)

Maximae sunt praeterea utilitatis linguae praecipuarum versionum, praesertim *syriaca*, quae multum inservit ad criticam textus; *arabica*, quae certe confert ad profundiorem idiomatis hebraici cognitionem, et *babylonico-assyriaca*, cum ex monumentis cuneiformibus S. Scriptura non parum illustretur (1).

87. Non levem saepe creat difficultatem indoles **hebraici** sermonis, imprimis *constructio sententiarum*, quae fit coordinatione potius quam subordinatione, et *temporum consecutio* in usu verbi. Sane propositiones saepe coniunguntur particula *wau* = *et*, quae non habet tantummodo officium copulandi, sed plures, iuxta contextum, significationes induit (wau *consecutivum*, *explicativum*,

1) Pius X: « Alumni qui meliorem de se spem faciant, hebraeo sermone et graeco biblico, atque etiam, quoad eius fieri potest, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca et araba, erunt excolendi » (*Quoniam in re biblica*, 27 Martii 1906 n. X, in *Acta Pii X*, 3, 74).

apodosis, etc.) (1) quae quidem significationes nonnisi accurata linguae cognitione addiscuntur. Tempora vero, cum non habeant definitam significationem quam apud nos, multiplici modo reddi possunt, ita ut perfectum hebraicum (*qâtal*) respondeat pro varietate adiunctorum nostro perfecto et imperfecto, immo et futuro; id quod valet etiam de imperfecto hebr. (*yiqtol*); unde magna difficultas in definiendo qua ratione sententia hebraica sit vertenda (2).

Ceterum lingua hebraica non eumdem perfectionis gradum attingit in omnibus libris: in aliis (ex. gr. Sam., Reg., Is., etc. est purior, deterior in aliis (ex. gr. Par., Eccle. etc.); texere autem accuratam huius linguae historiam (3) difficillimum est, cum et non de omnibus libris possit cum certitudine definiri quo tempore fuerunt conscripti, et extra canonem pauca (4) admodum sint monumenta hebraica antiquiora (5).

88. Lingua **graeca** a scriptoribus N. T. adhibita non est purus ille et classicus sermo, quem apud auctores profanos invenimus, sed potius « sermo graecus vulgaris (κοινή omnibus communis), qui permixtis dialectis per imperium macedonicum, pro variis provinciis ob singulares ex nativis linguis admissos barbarismos aliquantulum diversus, in quotidianae vitae usu fuit » (6). Cum autem

---

(1) Cf. P. JOÜON, *Grammaire de l'hébreu biblique*, § 176-177; GESENIUS-KAUTZSCH, *Hebr. Gramm.*, § 154.

(2) Cf. imprimis JOÜON, l. c. § 111 ss.

(3) Cf. de hac re: JOÜON, l. c., p. 4-6; GESENIUS-K., l. c. p. 8-19; VIGOUROUX, *Dict. Bibl.* 3, 499-504.

(4) Ea sunt: **Inscriptio Siloe** saec. 8 (inventa anno 1880 in cuniculo perforato a rege Ezechia, 2 Par. 32, 30; Eccli. 48, 19; cf. bibliographiam copiosam in *Rev. Archéologique* 19 [1924] 117-131), et **calendarium Gezer** saec. 8? (cf. *Rev. Bibl.* 1909 p. 243-269; FERNÁNDEZ, *Breve Introd. a la crítica text. y liter. del A. T.*, p. 37 s). **Ostraca Samariae** inventa anno 1910 (cf. supra lib. 2, tab. 1, 3), **sigilla** et **figulorum signa** (cf. VIGOUROUX, *Dict. Bibl.* 5, 1522 ss.), passim effossa in Palaestina (cf. BLISS-MACALISTER, *Excavations in Palestine*, p. 106-123, tab. 56) fere non continent nisi nomina propria. Ad historiam magis quam ad linguae hebraicae cognitionem faciunt finitimarum gentium inscriptiones, quas memoravimus n. **54**, quibus addenda est inscriptio phoenicia *Ahîram*. Cf. n. **131** nota 3 et lib. III n. **6**.

(5) De vi argumenti, quod ab indole sermonis hebr. in diversis libris frequenter ducitur ad ipsorum librorum aetatem definiendam, cf. R. D. WILSON, *Evidence in Hebrew Diction for the Dates of Documents*, in *The Princeton Theological Review*, 25 (1927) 353-388.

(6) CORNELY, *Introd.*[2] 1, p. 297. Cf. DEISSMANN, *Licht vom Osten.*[4] Tubingen 1923, p. 48 ss.; A. MAIDHOF, *Zur Begriffsbestimmung der Koine*, Würzburg 1912; VITEAU, *Etude sur le grec du N. T.: Le verbe*, Paris 1893, p. III-XLV; *Grec biblique* in VIGOUROUX, *Dict. Bibl.* 3, 312-331; F. M. ABEL, *Coup d'œil sur la* κοινή, in *Rev. Bibl.* 1926 p. 5-26. Vide supra n. **54**.

scriptores sacri essent hebraei et novas doctrinas exprimere deberent, nihil mirum quod multos induxerint *hebraismos* vel *aramaismos*, atque novas effinxerint voces, vel etiam vocibus usitatis novos tribuerint sensus (1). Influxit praeterea in eorum sermonem familiaris usus **versionis graecae septuagintaviralis** (LXX), de cuius indole vide in l. 2, n. **61**; bibliographiam ibid. n. **58. 60.**

89. S. Hieronymus in sua versione adornanda sermonem **latinum**, qui apud viros eruditos sui temporis in usu erat, adhibuit. Elegantia non caret, sed longe inferior est sermone, quem in aliis operibus S. Doctoris iure miremur. Id autem fecit ipse tum propter linguae hebraicae difficultatem, tum ut Veteri Latinae (Italae), et LXX interpretum consuetudini se accommodaret, tum etiam ut ingenuae simplicitati verbi divini consuleret. Cf. l. III, n. **106-109** et bibliographiam traditam ibi et n. **101.**

§ 2. De vi rhetorica

90. Voces et sententiae saepe adhibentur in sensu translato, quem quidem sensum dignoscere oportet, eo magis quod haec ratio dicendi apud orientales frequentior est et audacior quam apud occidentales, et non raro supponit consuetudines vitae domesticae et religiosae ac condiciones sociales a nostris longe diversas.

1) Frequentissimae sunt in S. Scriptura (2) imagines seu figurae sermonis (metaphora, synecdoche, metonymia, etc.) (3), et quidem

---

(1) Pauca accipe exempla: *hebraismi* et *aramaismi:* vocabula transumpta, ut ἀββᾶ (אַבָּא), *pater*, vel parce detorta, ut κόρος, βάτος, μνᾶ; locutiones et constructiones: καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἐλθεῖν αὐτὸν... καὶ αὐτοὶ ἦσαν etc. (Lc. 14, 1); frequens καὶ ἰδού interpositum narrationi: προσέθετο πέμψαι (Lc. 20, 11.12) pro "rursus misit"; *novae voces graecae:* ἀγνεαλόγητος, αἰτίωμα, αἱματεκχυσία, βαττολογέω, βολίζω; *novae significationes:* ἀνακλίνειν accumbere mensae, παρακαλεῖν consolari, ἐξομολογεῖσθαί τινι laudare, gratias agere, δύναμις prodigium. Plura id genus apud Cornely, *Introd.* 1, p. 298; *Dict. Bibl.* 3, 320 ss.; Székely, *Hermen.* p. 61-85; Abel, l. c. p. 16 nota.

(2) S. August., *De doctr. christ.* 3, 29 *PL* 34, 80 s..

(3) *Metaphora* est « de re propria ad rem non propriam verbi alicuius usurpata translatio » (S. August., *Contra mendacium*, c. 10, n. 24 *PL* 40, 533). *Synecdoche* habetur cum ponitur *pars pro toto*, vel *totum pro parte*. *Metonymia*, cum adhibetur *causa pro effectu*, *materia pro re effecta*, etc. — *Hyperbole*, cum res, si verba accipiantur ut sonant, ultra iustos limites exaggeratur. *Aposiopesis*, cum pars aliqua orationis reticetur. Plures alias figuras mittimus, quas non est huius loci enumerare.

eiusmodi indolis, ut a nostro ingenio non semel abhorreant; idque vel ob quamdam nimiam *exaggerationem* (ex. gr. « Montes exultaverunt [saltaverunt] ut arietes, et colles sicut agni ovium », Ps. 113, 4; « Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro », Cant. 4, 2); vel ob quamdam *apparentem indecentiam* (ex. gr. « Et facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae », Is. 64, 6 [hebr. v. 5]; « Et quando nata es... non est praecisus umbilicus tuus, et aqua non es lota.., nec sale salita, nec involuta pannis », Ez. 16, 4). Cavendum est ne de his iuxta nostra criteria moderna et occidentalia iudicium feramus.

2) Ex sacris auctoribus nonnulli *anthropomorphismis* delectantur, Deo tribuendo hominum sive *actiones* (ex. gr. « Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem », Gen. 3, 8), sive *sensa* (ex. gr. « poenituit eum [Dominum] quod hominem fecisset, ibid. 6,6). Satis patet quo sensu hae rationes dicendi sumendae sunt. LXX interpretes saepe hos anthropomorphismos conati sunt vitare (1).

3) Num sensu proprio an translato voces et locutiones sint accipiendae, ut plurimum claret ex ipso argumento, atque etiam ex locis parallelis. Universim loquendo *ad sensum translatum recurrendum non est, cum locutio, propria significatione retenta, aptum reddit sensum* (2).

ART. 2. – Sensus et vocis et sententiae, prout in loco definito sunt, accurate discernendus

§ 1. – DE CONTEXTU ORATIONIS

91. S. HIERONYMUS monet lectorem ut « consideret priora, media et sequentia, et nectat sibi universa, quae scripta sunt» (3),

(1) Cf. Ex. 4, 16; 15, 3; 24, 10 etc. Vide H. B. SWETE, *An Introd. to the Old Test. in Greek*[2], Cambridge 1914, p. 327; Z. FRANKEL, *Vorstudien zu der Septuaginta*, Leipzig 1841, p. 178; *Ueber den Einfluss der palästinischen Exegese auf die alexandrinische Hermeneutik*, Leipzig 1851, p. 30 ss.

(2) S. AUGUST.: « Servabitur ergo in locutionibus figuratis regula huiusmodi, ut tamdiu versetur diligenti consideratione quod legitur, donec ad regnum charitatis perducatur. Si autem hoc iam *proprie sonat, nulla putetur figurata locutio* » (*De doctr. christ.* 3, 15 *PL* 34, 74). « A litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere » (*Prov. Deus*, CAV., *Thes.* n. 76).

(3) *In Mt.* 25, 13 *PL* 26, 186.

scil. ut rationem habeat contextus. Contextus autem est: *Partium orationis mutuus nexus et ad invicem relatio.*

Est *proximus* et *remotus*. Uterque potest esse: 1) *grammaticus*, 2) *logicus*, 3) *psychologicus*, 4) *opticus*. Huc pertinet 5) *forma* librorum vel pericoparum *poetica*: a) *parallelismus membrorum*, b) *stropharum*, c) *dispositio metrica*.

92. 1) Contextus **grammaticus** est *mutua relatio* inter vocem quamdam aut sententiam et alias voces aut sententias eiusdem libri, vel etiam eiusdem auctoris, ad *vim lexicalem* et *syntacticam constructionem* quod attinet. Attente perspiciendum quo sensu aliqua vox adhibeatur in contextu proximo, non enim duplex significatio in una eademque pericopa sine gravi ratione admittenda est; et in contextu remoto, nempe in aliis partibus eiusdem libri, vel etiam in aliis scriptis eiusdem auctoris, immo, magna tamen adhibita cautela, eiusdem aetatis. Idem dicito de locutionibus. Hac ratione magna erit probabilitas attingendi sensum vocabuli vel sententiae in illo definito loco. Contra vero, parum valent ad sensum definiendum exempla ex auctoribus disparatis atque aetatis diversae desumpta; vis enim tam vocum quam locutionum simul cum tempore saepe mutatur.

93. 2) Contextus **logicus** est *mutua relatio* inter quamdam sententiam et alias sententias eiusdem libri, vel etiam eiusdem auctoris, ad *consequentiam idearum* quod attinet. *a*) Existimandum est auctorem sibi constare et leges recte cogitandi servare, nisi contrarium probatur. Loca igitur obscuriora, si quae sint, ita sunt interpretanda, ut aliis clarioribus non contradicant, et unitas doctrinae, quoad eius fieri potest, servetur. *b*) Non semel accidit, ut auctor eamdem rem, in diversis scriptis vel in diversis libri partibus, sub diverso aspectu considerans, sententias proferat, quae videantur sibi contradicere, cum tamen re quidem vera inter se amice componantur. *c*) Doctrina unius auctoris sacri ex iis, quae de eodem argumento ab aliis auctoribus sacris proponuntur, illustrari potest ac debet. Vide plura de hac re infra n. **99** s.

94. 3) Contextus **psychologici** nomine intellegimus *animi dispositionem tum quoad ideas, tum praesertim quoad affectus.* Saepe usu-

venit ut, notione quadam vividiore vel affectu vehementiore perculsi, in alias feramur notiones, quae cum praecedentibus non videantur connecti; vel in quosdam prorumpamus affectus, qui homini, cuius animus tranquillus sit et pacatus, non videantur adiunctis et loci et temporis respondere. Inde maximi est momenti in mentem auctoris penetrare, rationem, qua ipse res considerat, attente perspicere, intima illius sensa induere; uno verbo, in condicione intellectuali et psychologica scriptoris nosmetipsos collocare; ibi enim ratio et quasi vinculum invenitur, quo eiusmodi notiones et affectus inter se connectuntur, quae ceteroquin ab invicem aliena videri possunt. Id vero potissimum obtinet in poesi lyrica, in orationibus vehementioribus, et universim ubi concitati sunt affectus; hinc longe frequentius in Psalmis et in Prophetis.

95. 4) Nomine contextus **optici** — qui et *propheticus* dicitur, quoniam apud prophetas locum habet — intellegitur *apparens coniunctio chronologica duorum vel plurium eventuum, qui re vera diversis temporibus sunt perficiendi.* Hoc autem fit vel *a*) quia eventus simul proponuntur intimo nexu inter se coniuncti (ex. gr. oratio eschatologica de *excidio Ierusalem*, de *altero Domini adventu*, de *supremo iudicio*, Mt. 24); vel etiam *b*) quia eventus futuri commonstrantur prophetae, nulla temporis intervalli, quod deinde reapse intercedet, indicatione facta; unde propheta eadem fere ratione ac quis varias a longe montium series prospicit, tanquam si una tantum haberetur, illos eventus contemplatur, atque ita describit: cf. Is. 40 ss., ubi *adventus Cyri*, *reditus ab exsilio*, *aetas messianica* quasi uno intuitu ac prospectu, absque temporis intervallo, describi videntur (1). Huius contextus optici ratio est omnino habenda, ne putentur simul absque temporis intervallo *complenda* quae Deus prophetis proposuit absque temporis intervallo *conspicienda.* Cf. n. **154.**

96. 5) **Forma** librorum vel pericoparum **poetica:**

a) *Parallelismus membrorum.* Hoc parallelismo seu *rhythmo sententiarum* magnopere delectantur auctores sacri, ita ut non immerito dixeris hanc esse praecipuam poeseos hebraicae legem.

---

(1) Cf. Cornely, *Introd.* II 2, p. 298-300.

Parallelismus est SYNONYMUS, si in utraque sententia i d e m diversis tamen verbis exprimitur:

« *Asperges me hyssopo, et mundabor;*
lavabis me, et super nivem dealbabor » (Ps. 50, 9)

ANTITHETICUS, cum c o n t r a r i u m prorsus opponitur:

« *Deposuit potentes de sede,*
et exaltavit humiles » (Lc. 1, 52)

SYNTHETICUS seu PROGRESSIVUS, cum notio prioris sententiae in altera e v o l v i t u r:

« *Voce mea ad Dominum clamavi,*
et exaudivit me de monte sancto suo » (Ps. 3, 5).

Sed hic tertius modus vix meretur nomen parallelismi (1).

Nemo non videt quantae sit utilitatis ad sensum inveniendum haec ratio construendi sententias apud Hebraeos; nam, cum membra parallela mutuo compleantur, et sibi invicem vel per synonymiam vel per antithesim apprime respondeant, patet sensum unius obscurum lucidiori alterius sensu illustrari posse. Cf. CORNELY, *Introd.* II 2, p. 10 s. Vide plura apud A. VACCARI, *De utilitate parallelismi poetici ad intellegentiam Sacrorum Librorum*, in *Verb. Dom.* 1 (1921) 184-189; I. M. BOVER, *Ibid.* 7 (1927) 257-266.

Huc trahi potest divisio in **cola** et **commata** (2) (i. e. in membra eiusdem fere longitudinis, quae vicissim in breviora membra subdividuntur), quam divisionem multi in scriptis N. T. deprehendunt (3).

Nullum est dubium, quin quaedam rhythmica membrorum dispositio non raro inveniatur etiam in scriptis N. T. Haec tamen dispositio non videtur poetica dici posse; exsulat enim, ut plurimum, parallelismus tum synonymus tum antitheticus: quod si non raro invenitur qui syntheticus dicitur, iam monuimus hunc vix nomen parallelismi mereri. Haec rhyth-

---

(1) SZÉKELY, l. c. p. 124-126, praeter synonymum et antitheticum, distinguit parallelismum *comparativum*, *syntheticum* et *analyticum*. Res parvi est momenti. Plura ibidem invenies exempla. Cf. etiam CORNELY, *Introd.* II 2, p. 3-11.

(2) Cf. S. HIERON., *Praef. in Is. PL* 28, 825; et lib. 2 n. 39.

(3) Cf. de hac re BLASS, *Die rhythmische Komposition des Hebräerbriefes*, in *Theol. Stud. und Krit.* 1902, p. 420-461; CLADDER, *Die Anlage des Jakobusbriefes*, et *Der formale Aufbau des Jakobusbriefes*, in *Zeits. f. kath. Theol.* 28 (1904) 37-57. 295-330; *Strophical structure in St. Jude's epistle*, in *The Journal of Theol. Studies* 5 (1903-04) 589-601.

mica sententiarum constructio certe alicuius, parvae tamen utilitatis est ad sensum inveniendum, cum in illa adhibenda auctores maxima utantur libertate.

97. *b*) *Strophae* (1). Apud hebraeos non tantum duae, vel plures sententiae coniunguntur, ut versum constituant; sed plures vicissim versus ita coadunantur, ut varias forment unitate quadam praeditas series, quas communiter strophas vocamus.

Earum *exsistentia*, in prophetis praesertim et in libris didacticis, certa est (2); *indoles* vero (quaenam sit definita earum dispositio, quas normas auctores sequuti fuerint) incerta (3). Aliquam exsistere inter ipsas strophas concinnitatem iam inde quodammodo concludere licet quod, cum Hebraei parallelismo tantopere delectarentur, verisimile est hunc parallelismum etiam ad strophas extendisse. At sunt qui longe ulterius progrediantur; affirmant nempe duas haberi communiter *strophas symmetras* (stropham et antistropham), quas excipit stropha *alternans*, ubi vehementior eminet lyrismus, quam *duae* iterum *strophae symmetrae* sequuntur (4).

Distributio poematis in strophas, si certa sit ac definita, plurimum valet ad sensum accurate definiendum; sed caute agere oportet, ne divisionem *nostram* potius quam auctoris inducamus. Cf. *Breve Introd.* p. 126-129.

98. *c*) *Dispositio metrica* (5). Ad sensum inveniendum, imprimis vero ad criticam textualem exercendam, alicuius potest

---

(1) Cf. CARD. M. V. FAULHABER, *Die Strophentechnik der biblischen Poesie* in *Festschrift Georg von Hertling*, München 1913, p. 1-22; * BUDDE, in HASTINGS *Dict. of the Bible* 4, 7-9.

(2) Cf. ex. gr. Ps. 41-42 (42-43) constituentes unum poema, ubi intervallis aequalibus ter (41, 6.12; 42,5) repetitur versus: « Quare tristis es anima mea... »; et Ps. 118 (119), ubi strophae omnino inter se distinctae nova littera alphabeti inchoantur. Res sub oculos ponitur in editionibus tum Vulgatae tum TM. Vide plura exempla apud CORNELY, *Introd.* II 2, p. 12-14.

(3) « Nulla hactenus habetur theoria de arte stropharum, quae omnino satisfaciat » ait Card. FAULHABER, l. c. p. 1.

(4) De *strophis* in Hebraeorum poesi plura dicuntur in altero volumine, ubi de libris didacticis est sermo. Inter alios auctores cf. C. ZENNER, *Die Chorgesänge im Buche der Psalmen*, Freiburg i. B. 1896; A. CONDAMIN, *Les chants lyriques des prophètes: Strophes et chœurs*, in *Rev. Bibl.* 1901 p. 352 ss.; *Le livre d'Isaïe*, Paris 1905, p. V-XII; *Le livre de Jérémie*, Paris 1920, XXXVII ss et alibi. In aliam sententiam cf. *Scuola Cattolica* 1925 p. 149; LAGRANGE, *Rev. Bibl.* 1905 p. 277 s.; PODECHARD, ibid. 1925 p. 25-31.

(5) Cf. * J. LEY *Grundzüge des Rythmus, des Vers- und Strophenbaues in der hebräischen Poesie*, Halle 1875; F. ZORELL, *De arte rhythmica hebraeorum* 1910 (Appendix ad *Comm. in Prov.* [*Cursus Script. Sacrae*]); SCHLOEGL, *Die echte biblisch-hebräische Metrik* (*Bibl. Stud.* 17 [1912]); TOUZARD *Le vers hébreu*, in *Dict. de la Bible* 3, 490 s. Alios auctores vide in FERNÁNDEZ, *Rreve Introd. a la crítica text. y liter. del A. T.* p. 110 s.

esse utilitatis rhythmus metricus; at caute admodum est adhibendus, cum normae, quibus ipse regitur, valde sint incertae. (1) Arbitrario porsus egit * Eduard Sievers (2), qui fere in omnibus libris etiam historicis versus deprehendit; neque intra iustos limites se continet V. Zapletal in *Das Buch der Richter*, Münster 1923, ubi arti metricae ad textum instaurandum nimium tribuit.

§ 2. – De locis parallelis

99. Hoc nomine veniunt hic illi S. Scripturae textus, ubi vel de eodem *argumento* — historico, didactico etc. — agitur (parallelismus *realis*), vel eadem *vocabula* aut *locutiones* inveniuntur (parallelismus *verbalis*).

Quanta in locis parallelis adhibendis sit utilitas patet ex testimonio Patrum (3) et ex ipsa rei natura, cum potestas unius vocis melius dignoscatur, variis textibus inter se collatis, ubi vox occurrit; et clarior appareat narratio, si cum alio textu conferatur, in quo idem factum aliis illustratum adiunctis traditur; et doctrina clarius intellegatur, si prae oculis habeantur alii loci, ubi de eodem argumento fusius vel sub diverso aspectu agitur (4).

Ad usum quod attinet:

1) Parallelismus verbalis ad sensum potissimum quidem *verborum*, at etiam sententiarum definiendum inservit, quippe quod vis totius sententiae cum vi singulorum verborum intime connectitur.

2) Vicissim parallelismus realis potest multum conferre ad potestatem unius vocis accuratius dignoscendam, licet imprimis iuvet ad sensum totius orationis declarandum.

---

(1) Plurium sententiarum brevem conspectum de iisque iudicium, vide in *Breve Introd.* p. 112 ss. – Quod *aliquis* rhythmus metricus exstiterit apud hebraeos facile sibi persuadebit qui legerit Ps. 111 (hebr.). Plura de hac re dicuntur in v. 2 l. 3 n. 2-8, ubi de libris didacticis est sermo. De rhythmo in genere cf. M. Jousse, *Le Style oral rythmique et mnémotechnique chez les Verbo-moteurs; Etudes de Psychologie linguistique*, Paris, 1925. Cf. *Etudes* 183 (1925 II), 685-705; L. de Grandmaison, *Jésus- Christ*, v. 1 p. 201-209, Paris 1928.

(2) *Metrische Studien*, Leipzig 1901–1905. Cf. *Breve Introd.* p. 121–126.

(3) S. August.: « In ea quae obscura sunt aperienda et discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem incerti auferant » (*De doctr. christ.* 2, 9 *PL* 34, 42); « Ubi autem apertius ponuntur, ibi discendum est quomodo in locis intellegantur obscuris » (ibid. 3, 26 *PL* 34, 79).

(4) Ad locos parallelos inveniendos inserviunt imprimis *Concordantiae* quae dicuntur. Praecipuas indicavimus supra, n. **54** et lib. 2 n. **58**, **101**. Cf. Vigouroux, *Dict. Bible*, art. *Concordances de la Bible*, 2, 892ss.; *Verbum Domini* 4 (1924) 245 ss.

3) Utriusque parallelismi usus efficacior exsistit, cum agitur de uno eodemque libro, vel etiam de libris unius eiusdemque auctoris, cum singuli auctores propriam sibi vindicent rationem dicendi, atque in doctrina tradenda quibusdam delectentur aspectibus vel proprium soleant habere modum illam proponendi.

4) Quoniam vero Scripturarum ss. unus principalis auctor est Deus, patet nos ad locum unius libri illustrandum posse adhibere textus a quocumque alio libro sacro desumptos, nam, ut ait S. August., « ita sibi omnia in canonica auctoritate concordant, ut tamquam uno ore dicta iustissima pietate credantur, et serenissimo intellectu inveniantur et solertissima diligentia demonstrentur » (*c. Faust.* 11, 6 *PL* 42, 249). Cf. supra n. **93**.

100. Scholion. — Ad contextum remotum facile revocatur aliud criterium: **unitas et indoles progressiva revelationis.** Cum unus sit auctor revelationis, Deus, et progressus fuerit in revelatione facienda, licet, immo et plurimum iuvabit, unam doctrinam illustrare ex doctrinis alibi propositis, vel etiam ex eadem doctrina alibi clarius enuntiata; omnia enim sibi cohaerent et sese mutuo complent; nam « tota scriptura, ut pulchre ait S. Bonaventura (1), est quasi una cithara, et inferior chorda per se non facit harmoniam, sed cum aliis; similiter unus locus scripturae dependet ab alio, immo unum locum respiciunt mille loca ». Quae igitur Deus initio revelavit, ex revelationibus quae deinde secutae sunt, utiliter declarantur, et universim quae in V. T. subobscure indicata fuerunt, ex N. T. clariora redduntur.

Id vero ut recte fiat, singulis locis ille claritatis gradus servandus est, quem ex seipsis habent. Sunt, ut metaphora Doctoris Seraphici utamur, multae chordae, quarum singulae suum proprium reddunt sonum. Sonus unius non alteri tribuendus est, sed ex concentu omnium melius percipitur uniuscuiusque sonus. Ita ex. gr. de *Sapientia Dei* fit sermo in V. T. (Prov., Sap., Eccli.): eadem doctrina, sed longe clarius, traditur initio evang. S. Iohannis. Hoc evangelium prae oculis habentes possumus quidem intimius introspicere locos V. T., et doctrinam ibi leviter tantum delineatam

(1) *In Hexaemeron*, collatio 19 n. 7; *Opera omnia*, ad Claras Aquas 1891, v. 5, p. 421.

penitius cognoscere; at vehementer erraret qui exinde concluderet doctrinam de secunda Persona B. Trinitatis eadem in V. T. exprimi claritate ac in prologo S. Iohannis.

Haec si quis neglegat, et viam sibi praecludit ad historiam revelationis texendam, et plures offendit difficultates in dogmate proponendo vel propugnando; quae quidem difficultates magna ex parte evanescent, si accurate singulis S. Scripturae textibus illa iusta vis probandi tribuatur, quae, secundum maiorem vel minorem claritatis gradum, illis re vera inest.

Art. 3. — Externa quaeque, unde sacri Libri illustrari possint, sollerter sunt investiganda

Plura sunt adiuncta, quorum cognitio multum iuvat ad libros sacros rite et facilius interpretandos; quae, quoniam sunt omnibus obvia neque difficultatem habent, nos breviter enumerabimus potius quam illustrabimus.

101. Auctor. — Propriam singuli homines habent *indolem:* placidam et mitem (S. Iohannes Ev.), vel ardentem et concitatam (S. Paulus); *institutionem* socialem et intellectualem: expolitam (Isaias) vel rudiorem (Amos). Huic condicionum diversitati respondet, ut plurimum, diversa ratio dicendi, immo aliquando et concipiendi. Unde qui auctoris ingenium et institutionem, atque etiam alia ipsius adiuncta uti patriam, genus, aetatem, fata, perspecta habuerit, facilius de illius scriptis iudicabit, atque illam sententiis tribuet vim, quam auctor intendit; neque impossibile statim declarabit quidquid *propriae* condicioni non convenire videatur (1). Certe litteras S. Pauli longe melius intelleges, si cognoveris illius vitam, indolem, rabbinicam institutionem, mirabilem conversionem (2).

Quae de auctore libri diximus applicare licet iis, qui in libro inducuntur loquentes, puta Rabsaces (Is. 36), Sennacherib (ibid.

(1) Vide prudentem animadversionem in * A. Allwohn, *Die Ehe des Propheten Hosea in psycho-analytischer Beleuchtung* (Beihefte z. Zeits. f. alttest. Wiss. 44) Giessen 1926, p. 2 s.

(2) Huc videntur quodammodo spectare quae U. Holzmeister habet de sensu, quem *praecisivum* vocat (*Sensus exclusivus et praecisivus in S. Scriptura*, in *Biblica* 7 [1926] 170–182). Nos, scilicet, dum dicimus ex. gr. « Iter faciendo, *duos* comites habui », intendimus significare: « duos *tantum* habui », excludendo numerum maiorem; unde sensus *exclusivus*. Hebraei, contra, eiusmodi erant

37, 10-13), Achior (Iudith, 5. 5-25), Cyrus (Esd. 1, 2-4), Demetrius argentarius (Act. 19. 25-27), etc.; quorum ingenii, condicionis, institutionis sane ratio est habenda, quo facilius sensus percipiatur eorum, quae ipsi dicunt.

Quo modo dignoscendum est quaenam sit persona loquens sive in toto libro sive in singulis libri partibus non est huius loci ostendere. Illud primum ad introductionem pertinet specialem; alterum ad tractatum de generibus litterariis vel etiam ad exegesim.

102. Occasio libri scribendi; **scopus** seu **consilium** auctoris; **ad quos** liber scriptus fuerit. — Maximae est utilitatis haec cognoscere, nam ex nota scribendi *occasione* multae intelleguntur allusiones et explicantur rationes dicendi: *scopo* vero, quem auctor sibi praestituit, exsistimandum est aptari quae ipse dicit, omniaque in finem sibi propositum tendere; tandem, cum scriptor sacer prae oculis imprimis haberet eos, *ad quos* scribebat, verisimile est res proposuisse modo illorum condicioni accommodato. Horum omnium praeclarum exstat exemplum in Evangeliis, quorum singula et occasionem, et scopum et lectores habuerunt proprios; necnon in S. Paulo, qui in diversis occasionibus, et multiplici scopo sibi proposito, suas litteras ad plures ecclesias scripsit (1).

103. Condicio temporum: historica, intellectualis, religiosa. — Cum quis libros historicos — vel etiam propheticos, ubi plures eventus tum populi Israel tum aliarum gentium attinguntur — suscipit interpretandos, oportet ut ea, quae in *ipso Israel* proxime praecesserunt et successerunt, necnon historiam *populorum finitimorum* prae oculis habeat.

Ita, ex. gr. quo facilius Esdrae et Nehemiae libros intellegas iuvabit perspectum habere quo tempore, quibus de causis, qua ratione populus in exsilium abductus fuit; praeterea, quo modo imperium babylonicum eversum est, eique successit regnum Persarum; quaenam fuerint huius regni vicissitudines, chronologia, varia regum indoles, atque id genus alia. Alia exempla quilibet per seipsum facile invenire poterit.

praediti mentis habitudine, ut eamdem sententiam proferendo, intenderent significare: «duos *saltem* habui», praescindendo utrum essent plures necne; unde sensus *praecisivus*. Inde non paucas Holzm. solvit difficultates.

(1) Ex. gr. *occasione* falsae opinionis, quae apud Thessalonicenses exorta erat, mittit ad *illos* Paulus alteram epistolam, *eo consilio*, ut veram de adventu Domini doctrinam tradat (2 Thess. 2). Ratio loquendi polemica in ep. ad Galatas (5, 12) plane intellegitur, si prae oculis habeatur has litteras, potius quam contra ipsos Galatas, fuisse scriptas contra adversarios impudentes, qui Ecclesiam conturbabant (Gal. 1, 6 s.). Cf. 1 Cor. 1, 11; 7, 1; 2 Cor. 1, 15-17; Act. 15, 24 etc.

Cum vero agitur de libris didacticis (Iob, Prov., Eccle., etc.) — etiam de propheticis, immo nonnunquam et de historicis — investigandum est quaenam fuerit tam apud *Israel* quam apud *ceteros populos* (1) animi cultura et religio, seu complexus notionum et sensuum, quae spectant et mentis expolitionem et hominis ad Deum habitudinem; nam haec omnia non parum alia ex aliis mutuo illustrantur; ex. gr. ratio efferendi veritates morales per sententias et apothegmata, qua tantopere Aegyptii delectabantur, non nullius erit utilitatis ad illustrandum librum *Proverbiorum* (2); philosophia graeca, praesertim ut docebatur in scholis Alexandriae, non parum inserviet ad melius intellegendos nonnullos ex iis libris, qui aetate postexsilica fuerunt scripti (3).

104. Consuetudines et **mores** Israel; **Palaestina** et **regiones vicinae** ab interprete accurate cognoscantur oportet, cum in libris sacris sermo sit frequentissimus de *terra palaestinensi* et de *regionibus adiacentibus* (Moab, Ammon, Edom, Syria; etiam Babylonia, Aegypto, etc.), necnon de *rebus* et *usibus* Hebraeorum, immo et aliarum gentium. Saepissime res consortium civile et religionem populi spectantes leviter et subobscure attinguntur, quas certe nequit commode intellegere qui antiquitates domesticas, sociales et religiosas non noverit. **Archaeologia** igitur et **geographia** non solum utiles sunt, sed quam maxime necessariae.

105. Tandem requiritur **solida in sacra Theologia institutio**, qua qui non fuerit praeditus nullatenus paratus erit ad libros sacros recte interpretandos, quippe qui doctrinam continent altissimam (4) Dei nempe mysteria, consilia, opera; illud autem praeclare asserit Leo XIII: « Huius (S. Scripturae) igitur disciplinae magister hac etiam laude floreat oportet, ut omnem theologiam egregie teneat, atque in commentariis versatus sit SS. Patrum Doctorumque et

(1) Praesertim apud Assyro-Babylonios, qui in ratione concipiendi et loquendi multum conveniebant cum Hebraeis. Nec mirum, cum Abraham oriundus esset ex Ur Chaldaeorum.

(2) De similitudine inter librum *Proverbiorum* et *Doctrinam Amen-em-ope* cf. *Biblica* 8 (1927) 3-30; *Zeits. f. alttest. Wiss.* 42 (1924) 272-296; *Bibl. Zeits.* 17 (1925) 43-50; *Inst. Bibl* v. 2 l. 3 n. 54, ubi etiam amplior bibliographia traditur.

(3) Utilis est Ch. F. Jean, *Le milieu biblique avant Jésus-Christ;* II. *La littérature*, Paris 1923. Cf. *Biblica* 7 (1926) 224.

(4) Cf. *Prov. Deus*, Ench. B. n. 93; Cav., *Thes.* n. 49.

interpretum optimorum » (1). Sane, de tractatione ubi multa dicerentur de religione, puta Aegyptiorum vel Babyloniorum, iudicium minime ferre posset qui notionibus de religione illorum populorum sufficienter non esset imbutus. Hinc patet quam deficiens et manca sit institutio interpretum non catholicorum, qui theologiam plerumque ignorant; graviter autem illi errant qui, cum sacros libros interpretantur, intra limites criticae, historiae, archaeologiae, etc., sese continent, doctrina theologica neglecta, vel etiam forsan spreta.

APPENDIX

Subsidia litteraria (2)

A) *Philologia*

106 I. **Lingua Hebraica.** — 1) GRAMMATICAE: Ad elementa linguae addiscenda: VOSEN-KAULEN, *Rudimenta linguae hebraicae* (Herder, Friburgi Br. 1899). – V. ZAPLETAL., *Grammatica linguae hebraicae cum exercitiis et glossario* [2] (Paderborn 1921). — F. SCERBO, *Grammatica della lingua ebraica* [3] (Firenze, 1925). – B. UBACH, *Legisne Toram?* Grammatica practica linguae hebraicae [2] (Herder, Roma 1926). – ANT. RAMÌREZ, *Nociones de gramática hebrea y crestomatía bíblica* (Bilbao 1924). Plenior est: TOUZARD, *Grammaire hébraïque* (Lecoffre, Paris 1911). – Completae dici possunt et optimae: JOÜON, *Grammaire de l'Hébreu biblique* (P. Ist. Bibl. Romae 1923). – *GESENIUS-KAUTZSCH, *Hebräische Grammatik* [28] (Vogel Leipzig 1909)

2) LEXICA – Manualia: LEOPOLD, *Lexicon hebraicum et chaldaicum* (Lipsiae). – F. SCERBO, *Dizionario ebraico e caldaico* (Firenze 1912); *Lessico dei nomi propri ebraici del Vecchio Test.* (ibid. 1913). — Sat completum: *ED KÖNIG, *Hebräisches und aramäisches Wörterbuch zum Alten Test.* [3] (Leipzig 1922). – Completa: *GESENIUS-BUHL, *Hebräisches und aramäisches Handwörterbuch* (Leipzig 1921). – *BROWN-DRIVER-BRIGGS, *A Hebrew and English lexicon of the Old Testament* (Oxford 1907). – Lexica specialia in singulos libros eduntur in collectione *Einzelwörterbücher zum A. T.* inde a 1924 (Töpelmann in Giessen). Hactenus prodierunt: in *Gen.*, in *Is.*, in *Ier.*, in *Ps.*

II. **Lingua Aramaica.** — * K. MARTI, *Kurzgefasste Grammatik der biblisch-aramäischen Sprache. Literatur, Paradigmen, Texte und Glossar* [2]

---

(1) CAV., *Thes.* n. 74. Vide etiam n. 79.

(2) Non est in animo copiosam bibliographiam tradere, sed breves tantum indicationes. Ceterum cf. lib. III, n. **73-93** de linguis orientalibus; n. **101-107** de latina Vulgatae; FILLION, *L'étude de la Bible* (Letouzey et Ané, Paris, 1922), p. 344-363; *Biblica* (Elenchus bibliographicus in singulis fasciculis.

(Berlin 1911). – H. STRACK *Grammatik des Biblisch–Aramäischen*[5] (München 1911) cum textibus emendatis e codd. et lexico. – *E. KAUTZSCH, *id.*, Leipzig 1884. – H. BAUER u. P. LEANDER, *id.* Halle 1927. – *H. H. ROWLEY, *The Aramaic of the O. T.*, Oxford 1929. Cf. lib. III n. **73.**

De ARAMAISMIS in V. T. cf. *E. KAUTZSCH, *Die Aramaismen im Alt. Test.* (Max Niemeyer, Halle 1902). Opus frequentissime citatum. – R. DICK WILSON, *Aramaisms in the Old Test.*, in *The Princeton Theological Review* 23 (1925) 234-265. Optima commentatio, ubi multa ex opere Kautzsch impugnantur, et argumentum a pluribus ductum ex aramaismis pro seriore aetate nonnullorum librorum V. T. parum firmum ostenditur.

III. **Lingua Graeca.** — 1) GRAMMATICAE: Scholis accommodatae: A. BOATTI, *Grammatica del Greco del Nuovo Testamento* (Libreria Emiliana, Venezia 1910). – ROBERTSON-BONACCORSI, *Breve grammatica del Nuovo Test. greco* (Libr. editr. fiorentina, Firenze 1920). – *A. T. ROBERTSON, *Grammaire du grec du Nouv. Testament*, trad. de l'anglais (Paris, 1911). – *A. T. ROBERTSON, *A Grammar of the Greek New Testament in the Light of the historical Research* (New York 1914). Tantum ad consulendum (p. XL-1360). – *F. BLASS-DEBRUNNER, *Grammatik des neutestamentlichen Griechisch*[6] (Göttingen 1931). – F. M. ABEL, *Grammaire du Grec Biblique*, Paris 1927.

Pro versione LXX. Cf. lib. III, n. **58.**

2) LEXICA: Maxime commendandum: F. ZORELL, *Novi Testamenti Lexicon graecum*[2] (in « Cursus Script. S. »; Paris 1931). – *H. CREMER-I. KÖGEL, *Biblisch-theol. Wörterbuch der neutest. Gräzität*[10] (Gotha 1915). – *GRIMM-THAYER, *A Greek-English Lexicon of the New Testament*[4] (Edinburgh 1908). – *W. BAUER, *Griechisch-Deutsches Worterbuch zu d. Schriften des N. T.*, Giessen 1928. – J. H. MOULTON and G. MILLIGAN, *The Vocabulary of the Greek Testament illustrated from the Papyri*, London 1914-1929.

IV. **Concordantiae.** — 1) HEBRAICAE: *S. MANDELKERN, *Veteris Test. Concordantiae hebraicae atque chaldaicae*[2] (Lipsiae 1925). – Id., *Vet. Test. Conc. hebr. et chald.* (ibid.). Est praecedentis operis editio minor et manualis, exemplis omissis.

2) GRAECAE: *a*) N. T.: *C. H. BRUDER, *Concordantiae omnium vocum Novi Test. graeci*[6] (Göttingen 1904). – W. F. MOULTON and A. S. GEDEN, *A Concordance to the Greek Testament* (Edinburgh 1897). – Manuales: *SCHMOLLER, *Handkonkordanz zum griech. Neuen Test*[4]. (Bertelsmann, Gütersloh 1913). – *b*) LXX: *A Handy Concordance of the Septuagint* (Bagster, London). – E. HATCH and H. A. REDPATH, *A Concordance to the Septuagint and the other Greek versions of the O. T.* (Oxford 1897-1906). Opus ingens, ubi etiam traditur quaenam voces hebraicae respondeant singulis vocabulis graecis, et vicissim.

3) LATINAE: PEULTIER, ETIENNE, GANTOIS, *Concordantiarum universae Scrip. S. Thesaurus* (Lethielleux, Parisiis 1897). Opus in folio, valde completum. – Manuales: DE RAZE, *Concordantiarum S. Scripturae*

Manuale[16] (Gabalda, Parisiis 1908). – V. Coornaert, *Concordantiae librorum Vet. et Novi Testamenti* (von Stokar, Regensburg 1909). Cf. supra lib. III n. **101**, et *Verbum Domini* 4 (1924) 245 ss.

B) *Aliae scientiae auxiliares*

I. **Historia Biblica.** — 1) Hist. Vet. Test.: H. Zschokke-J. Döller, *Historia sacra Veteris Testamenti*[7] (Vindobonae-Lipsiae 1920). Scholis accommodata. – Aem. Schöpfer, *Geschichte des Alten Testaments*[6] München 1923). Sat scientifica et completa. – J. B. Pelt, *Histoire de l'Ancien Testament*[7] (Paris 1922). Versio italica (Ferrari, Roma 1908). – Plurimum iuvat ad illustrandam historiam Vet. Test.: F. Vigouroux, *La Bible et les découvertes modernes*[6], 5 voll. (Paris 1896). – *Rud Kittel, *Geschichte des Volkes Israel* 1. 2 vol.[5.6] Gotha 1925; 3 vol.[1.2] Stuttgart 1927. Est sat completa, et minus imbuta rationalismo quam opera Stade, Guthe etc. – Fillion, *Histoire d'Israël peuple de Dieu*. Paris 1927-8. Opus, constans tribus vol., non stricte scientificum, su tamen non parvae utilitatis. – J. Vandervost, *Israel et l'Ancien Orient* [2] Bruxelles 1929. – F. Feldmann, *Geschichte der Offenbarung des A. T. bis zum Bab. Exil* Bonn 1930. – L. Desnoyers, *Histoire du peuple hébreu des Juges à la captivité;* hucusque 3 voll. Paris 1922-1930. – G. Ricciotti, *Storia d'Israele dalle origini all'esiglio,* Torino 1932.

2) Hist. Novi Test.: J. Felten, *Neutestamentliche Zeitgeschichte*[2.3] (Regensburg 1925). Versio italica (Libr. editr. internaz., Torino 1913). – Multum iuvant ad illustrandam historiam Novi Test.: F. Vigouroux, *Le Nouveau Testament et les découvertes archéologiques*[2] (Paris 1896). – R. Fernández Valbuena, *La arqueología greco-latina ilustrando el Evangelio,* vol. 1 (Rafael Gómez, Toledo 1909). – *E. Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi*[4], 3 voll. (Leipzig 1901-1909). Opus valde completum, sed spiritu rationalistico imbutum; unde cum magna cautela adhibendum.

3) Hist. aevi apostolici: E. Le Camus, *L'œuvre des Apôtres,* 3 voll. (Oudin, Paris 1905). Versio italica (Libr. editr. Queriniana, Brescia 1912). – C. Fouard, *Saint Paul*[10]; *Saint Pierre*[10]; *Saint Jean*[5] (Paris 1908). – L. Murillo, *Paulus et Pauli scripta.* Prima pars: *Paulus* (Romae 1926). – F. Prat, *Saint Paul*[8] (Paris 1923).

Omnia (1-3) complectitur I. Schuster u. J. B. Holzammer, *Handbuch zur bibl. Geschichte*[8], Freiburgi B. 1925.

II. **Geographia Biblica.** — 1) L. Szczepański, *Geographia historica Palaestinae antiquae* (Romae 1926). – *F. Bühl, *Geographie des alten Palästina* (Leipzig 1896). – A. Brüll, *Bibelkunde*[19] (Herder, Freiburg i. B. 1921). – M. Lago, *Manual de Estudios bíblicos* (Herder, Friburgo de Br. 1911). Haec duo ultima opera sunt manualia omnino elementaria, quae continent etiam notiones de *Archaeologia* et *introd.* in V. et N. Test. – *G. A. Smith, *Historical Geography of the Holy Land* [25] (London 1931).

2) Descriptiones Terrae Sanctae: *La Palestine, la Syrie centrale, la Basse Egypte, Naples, Athènes, l'Archipel, Constantinople.*

Guide historique et pratique... par des PROFESSEURS *de Notre Dame de France à Jérusalem* (Paris, rue Bayard 5, 1922). – B. MEISTERMANN O. F. M., *Guide de Terre Sainte* (Picard, Paris 1923). – *K. BAEDEKER, *Palästina und Syrien*[7] (Leipzig 1910). – *Ies. PRESS *Palästina und Südsyrien* (Jerusalem 1921). – *Syrie-Palestine* (Les guides bleus), Paris, Hachette 1932.

3) ATLANTES BIBL. GEOGR.: R. RIESS - L. HEIDET, *Atlas Scripturae S.* (Herder, Friburgi i. Br. 1924). – M. HAGEN, *Atlas biblicus* (Lethielleux, Parisiis 1907). – L.-CL. FILLION - H. NICOLE, *Atlas géographique de la Bible* (Delhomme et Briguet, Paris 1890). – L. GRAMATICA, *Testo Atlante di Geografia Sacra* (Arti grafiche, Bergamo 1902); *Atlas geographiae biblicae, addita brevi notitia regionum et locorum* (Arti grafiche, Bergomi 1921). – *H. GUTHE, *Bibelatlas*[2] (Leipzig 1926). – *G. AD. SMITH, *Atlas of historical geography of the Holy Land* (Hodder and Stoughton, London 1915). Omnium completissimum.

4) CHARTAE GEOGR. BIBL. MURALES: RICH. KIEPERT, *Neue Wandkarte von Palestina* (Dietrich Reimer, Berlin). – K. MOMMERT und WAGNER, *Schuldwandkarte von Palestina zur bibl. Geschichte* (Verlag der geograph. Anstalt von Wagner und Debes, Leipzig). – A. LÉGENDRE *Carte de la Palestine Ancienne et Moderne* (Letouzey et Ané, Paris). – *Carta di Palestina* (De Agostini, Novara-Roma). – **Philip's Comparative Series of Wall Atlases: Bible Lands* (Georg Philip and Son, London). Collectio 8 chartarum, valde utilis pro scholarum usu.

III. **Archaeologia biblica.** — 1) F. X. KORTLEITNER, *Archaeologia biblica.* Nova editio (Libr. acad. Wagneriana, Oeniponte 1917; p. XVIII-824 praeter tabulas). – E. KALT, *Biblische Archäologie* (Herder, Freiburg i. Br. 1924). Sat completum, nec tamen diffusum (p. XII-157). – M. BELLI, *Brevis antiquitatum iudaicarum notitia*[2] (Romae 1909). Tractatio certe utilis, sed nonnihil ieiuna (p. 135). – *I. BENZINGER, *Hebräische Archäologie*[3] (Leipzig 1927). – BRÜLL; LAGO (cf. supra: Geogr. bibl.) – M.-B. SCHWALM, *La vie privée du Peuple Juif à l'epoque de Jésus-Christ* (Gabalda, Paris 1910). – *A. EDERSHEIM, *La société juive à l'époque de Jésus-Christ* (Fischbacher, Paris 1896).

2) ATLANTES BIBL. ARCHAEOL.: VERDUNOY, *Album biblique: Explication des textes sacrés par l'image* (Letouzey et Ané, Paris 1925). – E. HUBER, *Biblischer Bilderatlas* (Isaria Verlag, München 1913). – *FROHNMEYER-BENZINGER, *Bilderatlas zur Bibelkunde* (Benzinger, Stuttgart 1905). Versio gallica liberior: *Vues et documents bibliques* (Fischbacher, Paris). – L.-CL. FILLION, *Atlas archéologique de la Bible* (Delhomme et Briguet, Paris 1883). – V. ANCESSI. *Atlas géogr. et archéol. pour l'étude de l'Ancien et du Nouveau Test.* (Lethielleux, Paris 1876). – Huc pertinent: *[1] 825 ausgewählte Lichtbilder zur Geographie und Geschichte des Vorderen Orients, besonders Palaestinas* (Benzinger, Stuttgart). – A. MÜLLER, *Erläuterungen zu 126 ausgewählten Lichtbildern für den Religionsunterricht* (Pustet, München).

IV. **Chronologia biblica.** — A. DEIMEL, *Vet. Test. chronologia monumentis babylonico-assyriis illustrata* (Romae 1912). – E. RUFFINI, *Chronologia Veteris et Novi Test. in aeram nostram collata* (Romae 1924). – Fr. X. KUGLER, *Von Moses bis Paulus*, Münster i. W. 1922.

ART. 4. — Genus litterarium a scriptore sacro adhibitum prae oculis est habendum

107. Nomine *generis litterarii* venit quaedam forma seu ratio scribendi apud homines communiter recepta, quae menti et consilio scriptoris respondet. Sermo est vulgo de genere *historico*, *poetico*, *didactico*, etc., neque ullus est, qui vim horum vocabulorum non plane intellegat.

Brevis introductio historico-bibliographica (1)

Ut viam solutioni difficultatum in S. Scriptura complanaret CARD. NEWMAN (*On the Inspiration of Scripture* (2), in *The Nineteenth Century* 1884 p. 185-199) sententiam proposuit nonnulla minoris momenti in ss. libris — « obiter dicta » — non esse inspirata; quam sententiam deinde ita retractavit M. D'HULST (*La question biblique* (2), in *Le Correspondant* 1893 I p. 201-261) ut diceret esse illa quidem inspirata, sed ab errore non necessario immunia.

Utramque sententiam reiecit LEO XIII in encycl. *Providentissimus Deus* (18 Nov. 1893): « nefas omnino fuerit aut inspirationem ad aliquas tantum Sacrae Scripturae partes coangustare aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem »; « tantum vero abest, ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse » (DENZ-B. n. 1950 s.). Cf. n. **60**.

Commentaria de hac encycl.: J. BRUCKER, *L'apologie biblique d'après l'encyclique « Providentissimus Deus »*, in *Etudes* 61 (1894 I) 545-565; 62 (1894 II) 619-641; I. LAGRANGE, *A propos de l'encyclique « Providentissimus »*, in *Rev. Bibl.* 1895 p. 48-64 (ad trutinam revocantur opiniones Brucker, Robert et Didiot); I. NISIUS, *Die Encyclica « Providentissimus Deus » und die Inspiration*, in *Zeits. f. kath. Theol.* 18 (1894)

(1) Cf. supra n. **59-64**.

(2) Seorsim: *L'Inspiration de l'Ecriture Sainte* par le CARD. NEWMAN, traduit de l'anglais par M. l'abbé BEURLIER, Paris 1884; M. D'HULST, *La question biblique*, Paris 1893.

627-686; SELBST, *Das päpstliche Rundschreiben « Providentissimus Deus » über das Studium der hl. Schrift*, in *Der Katholik* 74 (1894 I) 97-115. 193-212. 289-311; I. KNABENBAUER, *Zur päpstlichen Encyklika « Providentissimus Deus »*, in *Stimmen aus Maria-Laach* 46 (1894) 125-143; *Leone XIII e la questione biblica*, in *Civiltà Cattolica* 1894 I p. 401-415. 652-665; S. BRANDI, *La question biblique et l'encyclique « Providentissimus Deus »*, traduit de l'italien par PH. MAZOYER, Paris; MURILLO, *Las letras apostólicas de* S.S. LEÓN XIII *sobre los estudios bíblicos y la exégesis contemporánea*, in *Razón y Fe* 5 (1903 I) 417-430. Liceat addere commentarium scriptum occasione anni XXV ab encycl. edita: *Venticinque anni dopo l'enciclica « Providentissimus »*, in *Civ. Catt.* 1918 IV p. 361-374; 1919 I p. 278-290. 364-372.

108. Hac via praeclusa, aliam viri catholici conati sunt invenire rationem, qua posset affirmari non omnia in ss. libris esse vera, quin tamen ullus admitteretur error. Hanc autem rationem multi visi sunt sibi invenisse in theoria, quae dicitur de *generibus litterariis*, asserentes hagiographos aliquando eiusmodi ratione scribendi usos esse, quae non exigat convenientiam propositionis cum realitate obiectiva, ac proinde veritatem ibi non absolutam sed tantummodo relativam quaerendam esse.

In hunc fere sensum plura scripserunt: I. LAGRANGE, *La méthode historique*[2], Paris 1904; *L'inspiration et les exigences de la critique*, in *Rev. Bibl.* 1896 p. 496-518; *L'innocence et le péché*, in *Rev. Bibl.* 1897 p. 341-379; A. DURAND, *L'autorité de la Bible en matière d'histoire*, in *Rev. du Clergé Français* 33 (1902-1903) 5-30; *Critique Biblique*, in *Diction. Apolog. de la Foi Cath.* 1, 760-819; *Inerrance biblique*, ibid. 2, 752-787; *L'état présent des études bibliques en France*, in *Etudes* 89 (1901 IV) 433-464; 90 (1902 I) 330-358; F. PRAT, *Les historiens inspirés et leurs sources*, in *Etudes* 86 (1901 I) 474-500; *Progrès et tradition en exégèse*, ibid. 93 (1902 IV) 289-312. 610-633; *La Bible et l'histoire*, Paris 1908; N. PETERS, *Die grundsätzliche Stellung der katholischen Kirche zur Bibelforschung*, oder *die Grenzen der Bibelkritik nach katholischer Lehre*, Paderborn 1905; *Der heutige Stand der biblischen Frage in unserer Kirche*, in *Theologie und Glaube* 16 (1924) 337-355 (1); G. BONACCORSI, *Questioni Bibliche*, Bologna 1904; I. GÖTTSBERGER, *Autour de la question biblique*, in *Bibl. Zeits.* 3 (1905) 225-250; F. von HUMMELAUER, *Exegetisches zur Inspirationsfrage*, in *Bibl. Studien* 9

(1) In hac dissertatione auctor explanat et videtur mitigare nonnullas sententias, quas in aliis scriptis expresserat. Cf. PESCH, *Supplementum...*, p. 58 nota.

(1904), ubi auctor integrum argumentum ampliori modo tractavit et ad methodum strictiorem redegit.

109. In veriorem sensum de iisdem egerunt: Chr. Pesch, *De inspiratione Sacrae Scripturae*, Friburgi Brisgoviae 1925, n. 480-542 et passim; *Supplementum continens disputationes recentiores et decreta de inspiratione Sacrae Scripturae* operi suo de inspiratione sacrae scripturae addidit Chr. Pesch, Friburgi Brisg. 1926. Auctor tradit « brevem conspectum progressus doctrinae de inspiratione, quattuor circiter his lustris ab anno 1904 usque ad annum 1924 facti ». (Prooemium). De hac opella cf. *Biblica* 8 (1927), 226 s. *Zur neuesten Geschichte der katholischen Inspirationslehre*, in *Theologische Zeitfragen*, Dritte Folge, Freiburg i. Br. 1902. Huius operis versio habetur latina a F. Pignataro, *Apparatus ad historiam coaevam doctrinae inspirationis penes catholicos*, Romae 1903; I. Brucker, *Questions actuelles d'Ecriture Sainte*, Paris 1895; *L'Eglise et la critique biblique*, Paris 1907; *L'inspiration et l'infallibilité de la Bible en matière historique*, in *Etudes* 94 (1903 I) 222-233; L. Murillo, *El movimiento reformista y la exégesis*, in *Razón y Fe* 10 (1904 III) 446-462; 11 (1905 I) 20-35. 141-158. 300-314. 421-432; eadem fere in *Crítica y exégesis*, Madrid 1905 (Mur. ad trutinam accurate revocat sententias propositas in opere *Exegetisches zur Inspirationsfrage*); A.-J. Delattre, *Autour de la question biblique*, Liège 1904. Auctor impugnat *La méthode historique;* respondit Lagrange, *Eclaircissement sur la « Méthode historique »*, Paris 1905 (Pro manuscripto); cui rursum responsum dedit Delattre, *Le criterium à l'usage de la nouvelle exégèse biblique*, Liège 1907; F. Egger, *Absolute oder relative Wahrheit der heiligen Schrift?*, Brixen 1909; L. Fonck, *Der Kampf um die Wahrheit der hl. Schrift seit 25 Jahren*, Innsbruck 1905; *Die Irrtumslosigkeit der Bibel...*, in *Moderne Bibelfragen*, Einsiedeln 1917, p. 1-92; Card. Billot, *De inspiratione S. Scripturae*[2], Romae 1906, p. 111-156; Aem. Dorsch, *De inspiratione S. Scripturae*[2], Oeniponte 1927, p. 277-441; *Die Wahrheit der biblischen Geschichte in den Anschauungen der alten christlichen Kirche*, in *Zeits. f. kath. Theol.* 29 (1905) 631-653; 30 (1906) 57-107. 227-265. 430-453. 671-692; 31 (1907) 86-101. 229-266; I. Linder, *Die absolute Wahrheit der hl.*

Schrift nach der Lehre der Encyklika Papst BENEDIKT'S XV *Spir. Paracl.*, in *Zeits. f. kath. Theol.* 46 (1922) 254-277; MANGENOT, *Inspiration de l'Ecriture*, in *Diction. de Théol. cath.* VII 2 (1923) 2207-2266, ubi recentiorum disputationum historia erudite ac scite traditur.

110. *Praen. I.* — Unumquodque genus litterarium suam sibi propriam vindicat veritatem, quae sola est in illo quaerenda

Historiae veritas non eadem est ac veritas parabolae: in *historia* narrantur facta, quae scriptor tradit tamquam realitati obiectivae respondentia; in *parabola* vero eventus proponuntur non (necessario) reales, per quos auctor sensum intendit exprimere altiorem. Idem dic de genere *poetico:* in *Cantico canticorum* historia minime narratur eodem modo ac in libris *Regum;* neque in allocutione Ioatham de lignis euntibus, ut ungerent super se regem (Iud. 9, 8-15) eadem veritatis ratio quaerenda est ac in sermone Iephte ad regem Ammon (Iud. 11, 12-27); neque descriptio animalium in Iob. 39-40 descriptioni, quae in tractatu de zoologia fieri solet, est aequiparanda.

Haec perspicua sunt, neque opus est in iis fusius immorari. Tamquam firmum igitur ac generale principium tenendum est *sententias cuiusvis libri iuxta indolem litterariam eiusdem libri esse intellegendas* (1). Quare maximi est momenti hanc indolem litterariam seu genus dicendi probe cognoscere. At valde cavendum ne huius principii *veri* applicatio *falsa* fiat.

111. *Praen. 2.* — An quodcumque genus litterarium inveniri possit in S. Scriptura?

Distinctione opus est: Si agatur de quacumque ratione scribendi, quae alicubi forsan invaluerit, vel de illis formis litterariis, quas

(1) Hanc doctrinam tenent universim auctores: PESCH, *De inspir.* n. 490 ss.; MURILLO, *Crit. y exég.* p. 18; HÖPFL, *De inspir.* p. 61; BRUCKER, *L'Eglise...* p. 49 ss.; DORSCH, *De inspir*[2]. p. 316 s. Quod si quis discrepare videatur, distinctione facta inter *principium* et eius *applicationem*, invenies discrepantiam opinionum haberi non in principio admittendo, sed in illo applicando. Ea distinctione, ut videtur, neglecta, P. HÖPFL, *De inspir.* p. 60, putat a pluribus ac nominatim a CARD. BILLOT (*De inspir. S. Scr.*[2] p. 143) principium ipsum reici (cf. etiam BONACCORSI, l. c. p. 104). At Em.[mus] auctor loquitur « de formis litterariis quas ipsi (imprimis Loisy, cuius verba saepe citat p. 137. 141. 145) fingunt »; unde nobis, qui loquimur de generibus litterariis *universim sumptis*, non contradicit.

nonnulli recenter finxerunt (cf. n. **126**), negative respondendum est; cum eiusmodi formae litterariae nequeant dici ab errore omnino immunes. Si vero de generibus litterariis agitur, quae *neque errorem includant neque in errorem ex sua ipsorum natura inducant* — quae quidem genera possumus *legitima* vel *honesta* vocare — affirmative est respondendum (1).

§ 1. — S. Scriptura eiusmodi est indolis, ut S. auctor minime intendat intimam adspectabilium rerum constitutionem docere

112. Bibliographia. — Pesch, *De inspir.* n. 502-511; Dorsch, *De inspir.* p. 317-325; Brucker, *Questions...* p. 99 ss.; Fonck, *Die Irrtumslosigkeit...* p. 45-64; Murillo, *Crít. y exég.* p. 67-85; Lagrange, *La méth. hist.* p. 96-145; Durand, *Dict. Apol.* 2, 774-776; N. Peters, *Bibel u. Naturwissenschaft nach den Grundsätzen der katholischen Theologie*, Paderborn 1906. — Cf. praeterea Al. Konrad, *Das Weltbild in der Bibel*, Wien 1917; G. Schiaparelli, *Scritti sulla storia della Astronomia antica*, Parte 1, v. 1, Bologna 1925 (L'Astronomia nell'Antico Testamento, p. 147-323. Editum etiam in collectione *Manuali Hoepli:* serie scientifica 332; Milano 1903); S. Oppenheim, *Das astronomische Weltbild im Wandel der Zeit*[3], Leipzig 1920 (vide praesertim p. 16-19); I. E. Hagen, *Astronomische « Irrtümer » in der Bibel*, in *Zeits. f. kath. Theol.* 31 (1907) 750-755.

Ita disertis verbis docuit S. Augustinus: « Non legitur in Evangelio Dominum dixisse: Mitto vobis Paracletum, qui vos doceat de cursu solis et lunae. Christianos enim facere volebat, non mathematicos » (2). Quam doctrinam sua suprema auctoritate sancivit Leo XIII in encycl. *Prov. Deus:* « In consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius " Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura " (S. Aug., *De Gen. ad litt.* II, 9,20) (3); quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum

(1) Cf. Schiffini, *Divinitas Scripturarum*, Aug. Taurin. 1905, p. 101; Brucker, *L'Eglise...* p. 49.

(2) *De actis cum Felice manichaeo* 1, 10 *PL* 42, 525.

(3) *PL* 34, 270 s.

ea primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) " ea secutus est, quae sensibiliter apparent " (1, q. 70, a. 1 ad 3), seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more » (1).

Iuxta hoc principium Pont. Comm. Biblica, decreto 30 Iunii 1909, normam quamdam tradidit prae oculis habendam in capite primo Geneseos interpretando: « VII. Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico more docere, sed potius suae genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo ferebat per ea tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, sit in horum interpretatione adamussim semperque investiganda scientifici sermonis proprietas? — Resp. Negative » (2).

Tandem hanc doctrinam confirmavit Benedictus XV in litteris *Spiritus Paraclitus*, simul ostendens cur *nulla inde falsi labes divinis Litteris adspergatur*. Dicit decessorem suum declarasse hagiographum in naturalibus rebus secundum externam speciem loqui, et addit: « Neque enim ab externa rerum specie, cuius rationem esse habendam Leo XIII, praeeuntibus Augustino et Thoma Aquinate, sapientissime edixit, ulla falsi labes divinis Litteris adspergitur, quandoquidem sensus in iis rebus proxime cognoscendis, quarum sit propria ipsorum cognitio, minime decipi, dogma est sanae philosophiae » (*Acta Ap. Sedis* 12 [1920] 394 s.).

113. Profecto habitudo scribentis aut loquentis ad ea, quae scientias naturales spectant, est diversa in diversis. Aliter se habet qui *dedita opera*, de *re scientifica* tractat, qui nempe *intimam rerum naturam* perscrutari intendit, ac ille, qui, cum de alio prorsus argumento agat, *res naturales quasi per transennam tantum attingit, parum curans de intima earum natura*, quippe quae ad suum scopum perinde se habet. Rem iam satis per se notam exemplum illustrabit: *Astronomus* qui, agens de habitudine solis

(1) Denzinger-Bannwart, *Enchiridion symbolorum* [13], Friburgi Brisgoviae 1921, n. 1947; Cav., *Thes.* n. 86; Corn., *Comp.* n. 28.
(2) Denz.-B. n. 2127.

ad terram, dicit *solem circa terram moveri*, huiusmodi motum certe affirmat, nam in illum fertur eius et iudicium et assertio. Ille vero, qui, loquens de rebus in vitae familiari usu venientibus, ait se surrexisse *ante ortum solis*, vel cubitum ivisse *post solis occasum;* vel dicit tali die *solem oriri hora quinta* vel *occumbere hora sexta*, minime intendit iudicium ferre de quaestione an sol vero motu obiectivo circa terram moveatur: mens illius, saltem implicita, est significare non quod in rerum natura re vera habetur, sed quod oculis apparet, quod tamen est aliquid obiective verum (1). Nec quidquam refert antiquioris aevi homines credidisse solem reapse moveri, terram stare; nam licet *hoc iudicium in animo haberent, illud tamen minime intendebant exprimere* (2). Id quemque nostrum intima sui ipsius experientia docet.

Iam, ut ad S. Scripturam veniamus, tota quaestio in hoc uno posita est, *num auctor sacer virum scientificum ageret, qui intimam rerum naturam et perscrutari et declarare intenderet, necne.* Id certe facere potuit; attamen ex ipsa rei natura parum verisimile est auctorem sacrum voluisse docere res mere scientificas, quae nullum cum hominum salute nexum habeant. Quod autem ipsa ratio suadet, traditio et Ecclesiae auctoritas confirmarunt. Consequenter, cum agitur de rebus naturae, non est iudicandum de effatis auctoris sacri tanquam si S. Scriptura esset tractatio scientifica, id quod ab illius genere litterario esset prorsus alienum. Cum igitur hagiographus in rebus naturalibus describendis sequeretur externam speciem, et rem prout sensibus apparet intenderet exponere, pervium est propositionem suam, quae *huiusmodi externae speciei et sensibili apparentiae respondeat*, omnino esse veram, cum habeatur *conformitas inter propositionem et illius obiectum formale.*

---

(1) Sunt qui dicant (LAGRANGE, *La méth. hist.* p. 105 s.) in his adiunctis propositionem neque veram esse neque falsam, cum nulla detur propositio. — Nulla sane datur propositio de *intima rei natura*, sed quidem de *iis, quae apparent.* Cum quis dicit: « Sol oritur » aliquid certe intendit affirmare; habetur igitur propositio, quae respectu *rei ipsius* (le fond) non est vera neque falsa, cum rem ipsam minime attingat; at respectu *phaenomeni* dicenda est simpliciter vera. Cf. EGGER, *Absolute..* p. 119 s.

(2) Cf. PESCH, *De inspir.* n. 510.

114. Scholion 1. — De ratione practica interpretandi, iuxta principia exposita, quae in Sacris Litteris ad res naturae pertinent

Haec principia sunt: 1) Sensus translatus (« quodam translationis modo »); 2) Externa apparentia (« ea secutus est, quae sensibiliter apparent »); 3) Accommodatio auctoris rationi loquendi populari (« ...tradere notitiam popularem, prout communis sermo ferebat per ea tempora »). Ad applicationem pauca sufficiant exempla selecta:

Ex astronomia. Sol ponitur se *movens*, terra autem *stans*, Ios. 10, 12-14.

Solves e 2° principio. Nam auctor narrat Deum miraculoso modo effecisse ut *dies produceretur;* id autem expressit iuxta ea quae *oculis apparent*, dicendo ex communi usu loquendi solem et lunam non peregisse consuetum eorum cursum, sed stetisse per aliquod tempus (1). Nec refert quod antiqui hac ratione dicendi forte in *intimo animo* putabant se indicare etiam modum, quo illud miraculum effectum fuit. Etenim noster auctor sacer tale iudicium non expressit. Cf. supra n. **113**.

Ex cosmographia. Firmamentum describitur tamquam *fornix firma*, Iob. 37, 18; columnis *innititur*, ibid. 26,11. — Haec *poetice* videntur dicta. Si quis autem contenderit has locutiones non esse mere poeticas, sed respondere rationi qua hebraei (2) — et ceteri populi (3) — materialem mundi constitutionem sibi fingebant, dicendum est auctorem sacrum secutum esse quae sensibiliter apparent, vel sese accommodasse notioni populari, prout communis sermo ferebat per ea tempora.

Ex botanica. Semen sinapis dicitur minimum omnium seminum, Mt. 13, 32; Mc. 4, 31. — « In huiusmodi sententiis non solemus philosophice et subtiliter, sed populariter et ex vulgi opinione loqui ». (Maldonatus, *in Mt.* Similiter Knab.-Merk, *in loc.*). Dici etiam potest comparationem institui cum seminibus tantum *olerum*. Cf. Knab.-Merk, ibid.; Fonck, *Die Irrtumslosigkeit....* p. 54 s.

---

(1) Haec explicatio non est merum effugium excogitatum postquam invaluit certitudo, terram circa solem moveri. Haec enim certitudo non fuit *causa* novae interpretationis inducendae, sed *occasio* tantum, quae *ansam praebuit* subtilius inquirendi in mentem hagiographorum, et accuratius eorum intimam animi dispositionem investigandi. Cf. inferius n. **178** quae dicemus de condemnatione Galilaei Galilei, qua multi abusi sunt.

(2) Cf. Schiaparelli, l. c. p. 170; Konrad, l. c. p. 29 s. Cf. n. **112**.

(3) De babyloniis cf. Konrad, l. c. p. 29; de aliis populis, P. G. Boffito, *Cosmografia primitiva, classica e patristica*, in *Memorie della Pont. Accademia dei Nuovi Lincei* 19 (1901) 301-353; 20 (1903) 113-146; S. Oppenheim, *Das astronomische Weltbild l. c.*

Ex zoologia. Lepus recensetur inter animantia *ruminantia*, Lev. 11, 4-6; Deut. 14, 7.

Legislator, numerans leporem inter ruminantia, tradit *notionem popularem*. Classem quidem *ruminantium* bene definit, aptissime ea vocando *ma'alê haggerah*=facientes ascendere cibum. Cum autem populus leporem, etsi falso, huic classi adscriberet, ob apparentiam externam motus maxillarum similis illi, qui in ruminantibus observatur, legislator, cuius non erat classificationem scientificam proponere sed *prohibere manducationem eorum animalium, quae a populo inter ruminantia numerabantur*, notitiae populari se accommodavit. Ipse ab errore immunis est (1).

Eadem fere ratione solves quae obiciuntur de *struthione* (Iob. 39, 14); de *vipera*, quae dicitur occidere lingua (ibid. 20, 16); de serpente *volante* (Is. 14, 29). Vide praeterea Gen. 7, 11 s.; Iob. 38, 22; 26,10; Ier. 10,13; Ps. 134,7 etc.

115. Scholion 2. — Potestne dici in S. Scriptura contineri propositiones **falsas** de rebus **naturae**?

Minime sane, contra quod Peters, *Bibel u. Naturw.* p. 39, videtur affirmare. Nam talis propositio, iuxta usum loquendi, ita communiter intellegitur, ut significet auctorem falsa dixisse, id quod certe non est simpliciter concedendum. Licet quidem dicere propositiones inveniri in S. Scriptura, ex quibus, si ratio habeatur condicionum historicarum, in quibus fuerunt scriptae, iure concludimus auctores *falsas in animo habuisse conceptiones* de rebus naturae; sed de his conceptionibus *nullum illi expresserunt iudicium*; (cf. supra dicta n. **113**).

116. Scholion 3. — Num saltem **errores materiales** dici possint esse in S. Scriptura?

Cf. Pesch, *De inspir.* n. 372. 516; Durand, *Dict. Apol.* 2, 756-761. 767; Kortleitner, *Herm. bibl.* p. 106; Brucker, *Etudes* 94 (1903 I) 232; Vacant, *Etudes théol.* 1, n. 498.

Errores materiales dicuntur propositiones quae, si praecisione facta a mente auctoris, illarum significationem et sensum determinante, sumantur prout materialiter sonant, erroneae deprehenduntur.

Haec si ita definiantur, concedi potest esse in S. Scriptura errores materiales. Denominatio tamen ipsa *erroris materialis*

(1) Falso contrarium asserit A. Schulz, *Der Hase als Wiederkäuer*, in *Bibl. Zeits.* 9 (1911) 12-18.

minus placet, cum sit impropria atque ambiguitati obnoxia. Etenim veritas aut falsitas cuiusvis propositionis determinanda est ex mente auctoris sufficienter expressa (supra n. **110**). Illius vero significationis, quam verba materialia independenter a mente auctoris possunt induere, nulla est ratio habenda.

Cum distinctio inter errorem *formalem* et *materialem* non ab omnibus eodem modo tradatur (cf. Pesch et Kortleitner, ll. cc.), iuvabit claritatis gratia varios loquendi modos breviter indicare.

Error materialis ergo dicitur: 1) Cum quis rem falsam affirmat, sed non docet. De hac distinctione dicemus inferius n. **125**. – 2) Cum quis rem falsam affirmat, putans esse veram. Est mendacium materiale, de quo moralistae: non pertinet ad praesentem quaestionem. – 3) Quando locutio metaphorica, si sensu proprio sumeretur, falsa esset. Ita saepe Origenes (cf. n. **8**). Neque hoc facit ad rem. – 4) Cum quis refert alterius dicta, quae falsa sunt. Hoc sensu certe sunt errores materiales in S. Scriptura; sed eius veritas tunc attendenda est ex veritate relationis.

N. B. – Johann Fischer, *Zur Frage nach der Irrtumlosigkeit der Heiligen Schrift*, in *Bonner Zeitschrift f. Theol. u. Seelsorge* 5 (1928) 20-31 distinguit (p. 27 et passim) notionem erroris *popularem* a notione, quam tradit Leo XIII in *Prov. Deus*; et ait, cum de sermone iuxta apparentias agitur, secundum notionem popularem haberi in Scriptura errorem *obiectivum*, non vero errorem subiectivum; ac proinde recte dici posse ipsum auctorem sacrum non errasse.

Fieri potest ut mens D. Fischer sit recta; at certe ratio dicendi est minus apta. Auctor sacer non intendit exprimere, neque re vera exprimit realitatem obiectivam; unde veritas illius propositionis non est dimetienda per hanc realitatem. Datur conformitas sententiae cum suo obiecto, in qua quidem conformitate consistit veritas. Ergo inepte dicitur haberi errorum obiectivum.

§ 2. Genus historicum

A) *An principium stabilitum pro iis, quae spectant res naturae, valeat in rebus historicis?*

117. Diximus, in rebus scientias naturales spectantibus verba s. auctoris ideo carere errore, quia referuntur ad phaenomena, prouti sensibus obiciuntur, non ad intimam rerum naturam. Quaeritur, num quid simile dici possit in rebus historicis?

Affirmative responderunt, non quidem simpliciter, sed cum aliqua restrictione, *mutatis mutandis*, (cf. *Rev. Bibl.* 1895 p. 53 s.); Hummelauer, *Exeg. zur Inspir.* p. 58; Lagrange, *La méth. hist.* p. 104-109; *Eclaircissement...* p. 7-18 (sententiam de *ratione interpretandi*

encycl. *Prov. Deus* mutavit deinde Lagr., *Rev. Bibl.* 1919 p. 598); Peters, *Die grund. Stellung...* p. 45 ss.; Durand, *Dict. Apol.* 2, 777. 779; Prat, *La Bible et l'histoire* p. 27; Göttsberger, *Bibl. Zeits.* 3 (1905) 244-246, qui tamen fatetur (p. 245) suam sententiam non fuisse formaliter propositam a Leone XIII in *Prov. Deus.*

Negant Pesch, *De inspir.* n. 512-515; Fonck, *Die Irrtumslosigkeit...* p. 65-72; Mangenot, l. c. VII 2, 2253 s., qui valde eruditam habet sententiarum expositionem, col. 2244-2255; Murillo, *Crit. y exég.* p. 79-81; Egger, l. c. p. 126-135; Delattre, *Autour...* p. 13-51; *Le Criterium...* p. 8-16; Dorsch, *De inspir*². p. 334-340.

Argumenta affirmantium petuntur ex *ipsa natura* rei, ex *doctrina Patrum* imprimis S. Hieronymi, et ex *ipso* Leonis XIII *testimonio.*

1) Qui historiam tradit, potest saltem aliquando ea sequi quae vulgo feruntur, sive *apparentias historicas*, quin de eorum veritate obiectiva ullum ferat iudicium, non aliter ac cum de rebus naturae agitur; eadem enim est ratio. — 2) Hanc certe doctrinam tenuit S. Hieron. (1): *a*) « quasi non multa in Scripturis Sanctis dicantur, iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur et non iuxta quod rei veritas continebat » (*in Ier.* 28, 10 *PL* 24, 855). *b*) « Consuetudinis Scripturarum est ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur » (*in Mt.* 14, 9 *PL* 26, 98). *c*) « Hoc autem generaliter observandum, quod, ubicumque sancti apostoli aut apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis abutuntur, quae iam fuerant in gentibus divulgata » (*Hebr. quaest. in Gen.* (46, 26 ss. *PL* 23, 1002). — 3) Haec autem sententia S. Hieronymi probata et confirmata fuit a Leone XIII in *Prov. Deus*, cum paulo post illa verba: « Scriptor sacer ea secutus est, quae sensibiliter apparent » Summus Pontifex addat: « Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim iuvabit transferre » (Denz-B. n. 1947. 1949; Cav., *Thes.* n. 86. 88; Ench. B. n. 108).

(1) Cf. praesertim D. Léon Sanders, *Etudes sur Saint Jérôme*, Paris 1903; *Rev. Bibl.* 1903 p. 636 s.; quem impugnant L. Schade, *Die Inspirationslehre des heiligen Hieronymus*, in *Bibl. Stud.* 15 (1910), praesertim p. 66-77, ubi historia disputationis traditur, et plures habentur indicationes bibliographicae; Delattre, *Autour...* p. 52-181; (cf. *Rev. Bibl.* 1905 p. 284 ss.); Pesch, *De inspir.* n. 525-528.

118. Haec argumenta minime valent. Ad 1) Si res attente perspiciatur, facile deprehenditur magnum inter ea, quae scientias naturales et ea quae historiam spectant, discrimen intercedere; quod discrimen egregie effert BENEDICTUS XV: « Quae est enim rerum naturalium cum historia similitudo, quando physica in iis versantur quae " sensibiliter apparent " ideoque cum phaenomenis concordare debent, cum, contra, lex historiae praecipua haec sit, scripta cum rebus gestis, uti gestae reapse sunt, congruere oportere? » (*Spir. Par.*, DENZ.-B. n. 2187; Ench. B. n. 470). Porro, unusquisque ex intima experientia novit mentem aliter se habere ad veritatem obiectivam cum dicit: *Sol oritur*, ac cum dicit: *Petrus occidit Paulum*. Cum priorem sententiam profert, illius iudicium sua sponte et ex ipsa rei natura fertur in ea, quae oculis apparent, in phaenomenon naturale, idque intendit exprimere; cum vero alteram, fertur in rem ipsam, in eventum realem. Ita fert usus loquendi, atque ita homines illas duas sententias communiter intellegunt. Ut iudicium ferretur directe non in occisionem sed in *opinionem* vulgi de occisione, deberet loquens vel disertis verbis dicere: *Aiunt Petrum occidisse Paulum*, vel saltem alio modo suam mentem sufficienter manifestare.

119. Ad 2) Quod attinet sententiam S. HIERONYMI, agitur non de factis sed de *appellationibus*, ut contextus facile demonstrat; quare iuvabit pericopas proponere integras, unde apparebit quinam sit genuinus illarum sensus:

a) « Et tulit *Ananias propheta* catenam ...de collo Ieremiae prophetae, et confregit eam. Et ait Ananias in conspectu omnis populi dicens: — Haec dicit Dominus: Sic confringam iugum Nabuchodonosor regis Babylonis duobus annis dierum de collo omnium gentium. Et abiit Ieremias in viam suam ». *Duos annos* non transtulerunt Septuaginta. *Prophetam* quoque non dixere Ananiam; ne scilicet prophetam viderentur dicere, qui propheta non erat: quasi non multa in Scripturis sanctis dicantur, iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat. Denique et Ioseph in Evangelio pater Domini vocatur: et ipsa Maria, quae sciebat se de Spiritu sancto concepisse, et responderat angelo: *Quomodo erit istud, quoniam virum non cognosco?* (Luc. 1, 34) loquitur ad Filium: *Fili, quid fecisti nobis sic? ecce ego et pater tuus dolentes quaerebamus te* (Luc. 2,48) » (*PL* 24,855).

b) « Et contristatus est rex ». Consuetudinis Scripturarum est ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Ioseph ab ipsa

quoque Maria appellabatur pater Jesu (Luc. 2,48), ita et nunc Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant. Dissimulator enim mentis suae et artifex homicidii tristitiam praeferebat in facie, cum laetitiam haberet in mente » (*PL* 26,98).

c) « ...Quod si e contrario nobis illud opponitur, quomodo in Actibus apostolorum [7], in concione Stephani dicatur ad populum, septuaginta quinque animas ingressas esse Aegyptum; facilis excusatio est. Non enim debuit sanctus Lucas, qui ipsius historiae scriptor est, in gentes Actuum apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere adversus eam Scripturam, quae iam fuerat gentibus divulgata... Hoc autem generaliter observandum, quod, ubicumque sancti apostoli aut apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis abutuntur, quae iam fuerant in gentibus divulgata » (*PL* 23, 1002).

Patet quod in *a*) et *b*) sermo fit de *ratione loquendi* communi et usitata, cui auctor sacer se accommodat (1). Num Beatissima Virgo errorem commisit cum Ioseph vocabat patrem Iesu? Ceterum ex ipso contextu satis patet neque Hananiam fuisse verum prophetam, neque Ioseph genuisse Iesum. Cum filia Herodiadis caput petivit Iohannis Baptistae, Herodes signa dedit tristitiae, unde omnes iure concluserunt illum vere tristatum esse. Iam, verba *contristatus est rex* ex natura sua et ex communi usu loquendi hanc habent vim: Ea signa externa dedit rex, ut iure concludi posset illum interne tristatum esse. Haec autem sententia est vera, licet rex in intimo animo laetaretur. In *c*) *testimonia*, quibus sancti apostoli dicuntur abuti, minime sunt *narrationes*, « récits », sed *versio septuagintaviralis*, quae ab illis in Veteri Testamento citando adhibebatur; idque tam pervium est ut nulla ampliori indigeat probatione. Inde patet mentem Doctoris Max. in his scribendis aliam prorsus fuisse ab illa, quae ipsi obtruditur (2).

120. Ad 3) Verba Leonis XIII « Haec ipsa deinde... » minime referuntur ad *principium de apparentiis*, ut evidenter patet ex verbis quae sequuntur: « Dolendum *enim* multos esse, qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta, similiumque rerum

(1) Hanc interpretationem verborum S. Hieronymi authentice tradidit Benedictus XV in *Spir. Par.*: « Quis est qui non videat, hoc Hieronymum dicere, hagiographum non in rebus gestis enarrandis, veritatis ignarum, ad falsam se vulgi opinionem accommodare, sed in nomine personis et rebus imponendo communem sequi loquendi modum? » (*Acta Ap. S.* 12 [1920] 396; Ench. B. n. 472).

(2) De nonnullis aliis Patribus (Augustino, Chrysostomo, Gregorio Nysseno) cf. Delattre, *Autour*... p. 115-142; Pesch, *De inspir.* n. 529 s.

testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet ». Particula *enim* nectit haec verba cum iis, quae praecedunt; at certe agitur de contextu *immediate* praecedenti, ubi fit sermo de defensione Scripturae sanctae contra physicorum scriptores, qui terminos disciplinae suae transgrediuntur (1). Aliter nullum aptum sensum verba reddunt, ut cuique legenti facile patebit. Ceterum sententiae LEONIS XIII authentica habetur interpretatio in encycl. *Spir. Par.*, ubi BENEDICTUS XV ait: « Quodsi (decessor Noster) affirmat ad historiam cognatasque disciplinas eadem principia transferri utiliter posse, quae in physicis locum habent, id quidem non universe statuit, sed auctor tantummodo est, ut haud dissimili ratione utamur ad refellendas adversariorum fallacias et ad historicam Sacrae Scripturae fidem ab eorum impugnationibus tuendam» (DENZ.-B. n. 2187; *Acta Ap. S.*, l. c. p. 395 s.; Ench. B. n. 471).

121. Concludendum igitur principium de rebus naturae a multis recentioribus ad historiam indebito modo extendi. Attamen *quodam sensu* dici potest cum CORNELY, *Introd.*[3] 1, p. 603 s.: « Quod de rebus naturalibus docet S. Augustinus, id eodem modo de historicis, verum est », quatenus nempe Deus non intendit tradere nobis in S. Scriptura « chronologiae et historiae sacrae et profanae compendium », unde bene intellegitur quod « ne ipsam quidem populi electi historiam integram narrent libri sacri, sed illa sola facta... quae, ut salutis oeconomiam intellegeremus, Spiritus S. necessaria vel utilia iudicavit » (2) (cf. etiam PESCH, *De inspir.* n. 520).

122. Scholion 1. — QUID SENTIENDUM DE VERITATE SIC DICTA **relativa** VEL ETIAM SECUNDUM APPARENTIAS IN S. SCRIPTURA?

Cf. MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.* VII 2, 2255-2260; DURAND, *Dict. Apol.* 2, 766 s., quorum prior sat completam, alter vero brevem

(1) Cf. DENZ.-B. n. 1948 s.; CAV., *Thes.* n. 87 s. Vide *Civ. Catt.* 1919 I p. 281 ss.; PESCH, *Supplementum* n. 29-31; Ench. B. n. 472).

(2) LAGRANGE, *La méth. hist.* p. 106-108 et PETERS, *Die grund. Stellung.*. p. 49 verba Cornely ad suam propriam trahunt sententiam. At MANGENOT, l. c. 2245 optime ostendit aliam prorsus fuisse Cornely mentem, id quod pervium est, si integer prae oculis habeatur contextus.

sententiarum expositionem historicam tradunt; Pesch, *De inspir.* n. 516-519. 497; *Supplementum* n. 13-20; Egger, l. c. p. 148 ss.; Schiffini, *Divinitas Script.* p. 108-110; Kortleitner, *Herm. bibl.* p. 80 s., ubi plures auctores commemorantur; p. 110-113; Prat, *Etudes* 93 (1902 IV) 302; Brucker, *L'Eglise....* p. 45-49; *Etudes* 94 (1903 I) 232 s.; Göttsberger, *Bibl. Zeits.* 3 (1905) 244-250; Peters, *Die grund. Stellung...* p. 56 ss.; Zanecchia, *Scriptor s.* p. 84-91; Loisy, *Etudes bibliques*, p. 157 ss.

S. Scriptura multiplici sensu relative non absolute vera dici potest: 1) quatenus non habet omnem perfectionem, 2) non continet omnes veritates, sed quas Deus tradere intendit; 3) quatenus ratio est habenda diversi generis dicendi; 4) quatenus hagiographus multos eventus omisit, 5) multa compendio tradidit, 6) notas chronologicas saepe neglexit; et id genus alia (1).

At vero, qui hanc denominationem ad difficultates solvendas induxerunt sensu prorsus diverso illam intellegunt. Sententiam clare proposuit Göttsberger, l. c., quam tenent etiam Peters, l. c. (2) et Zanecchia l. c.

Quaevis hominum aetas, ait, suas proprias habet conceptiones, idque in omnibus, quae culturam spectant, consequenter etiam relate ad historiam et ceteras scientias; quae quidem conceptiones in hominum consortio necessario adhibentur et supponuntur; plures autem ex illis sunt certe falsae. Iam, etiam hagiographi conceptionibus sui temporis usi sunt: aliter eorum aequales illos non intellexissent. Multa proinde tradiderunt *relative* vera, i. e. relate ad condicionem et communes opiniones illius temporis; sed *absolute*, i. e. in seipsis, falsa. Haec tamen hagiographus non *docebat*, cum huiusmodi assertiones non essent nisi medium et quasi canalis, quo illa communicabatur doctrina, quam Deus intendebat hominibus tradere. Unde licet auctores sacri quaedam assererent falsa, nequit tamen dici eos umquam errorem *docuisse* (3).

Talis explanatio est reicienda. Obiectum historiae sunt eventus, non opinio vulgi de eventibus, ut iam supra n. **118** s. dictum est: historiographi igitur sacri, nisi ipsi aliter moneant, censendi

---

(1) Cf. Pesch, l. c.; Mangenot, l. c. 2259; Dorsch, *De inspir.* p. 309 s.

(2) Vide recentiorem explanationem in *Theologie und Glaube* 16 (1924) 349.

(3) Hanc doctrinam, audacius tamen, iam antea proposuerat Loisy, *Etudes bibliques* p. 136 s., 157 s. Veritatem relativam vocat etiam *oeconomicam* (p. 168) et *proportionatam*, « proportionnelle » (p. 169).

sunt eventus ipsos voluisse nobis tradere ac proinde eorum realitatem obiectivam affirmare (1). Iam, si auctor sacer eventum falsum tamquam verum tradit, errorem procul dubio committit. Aliter res se habet, cum agitur de rebus naturae. Ceterum doctrinam propositam plane damnavit BENEDICTUS XV in *Spir. Par.*: « Neque minus ab Ecclesiae doctrina, Hieronymi testimonio ceterorumque Patrum comprobata, ii dissentiunt, qui partes Scripturarum historicas non factorum *absoluta* inniti veritate arbitrantur, sed tantummodo *relativa*, quam vocant, et concordi vulgi opinione » (DENZ.-B. n. 2187; *Acta. Ap. S.* 12 [1920] 395; Ench. B. n. 469).

123. Scholion 2. — QUO SENSU DICATUR DEUS INTENDERE ALIQUID **docere** VEL NON DOCERE

Cf. PESCH-PIGNATARO, *Apparatus...* p. 56 s.; EGGER, *Absolute...* p. 242 s. 249 s.; DIDIOT, cf. *Rev. Bibl.* 1895 p. 58; NISIUS, in *Zeits. f. kath. Theol.* 24 (1900) 678 s.; VACANT, *Etudes théol.* 1, p. 508-515, ubi impugnat assertiones Didiot.

Nonnulli, distinctione facta inter ea quae sacer auctor *affirmat* sed *non docet*, et ea quae *tum affirmat tum docet*, contenderunt, prioris generis dicta, quae s. auctor affirmat tantum et non docet, non esse necessario vera.

Haec distinctio, quatenus ad veritatem S. Scripturae pertinet, admitti nequit. Nam ad veritatem vel falsitatem alicuius propositionis nihil praeterea requiritur, quam convenientia vel disconvenientia affirmationis cum obiecto reali, praeclusa qualibet intentione superaddita. Hinc LEO XIII inspirationem coarctantes ad res fidei et morum (2) reprehendit «eo quod falso arbitrentur, de sententiarum veritate cum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam dixerit» (*Prov. Deus*, CAV., *Thes.* n. 89; cf. DENZ.-B. n. 1950). Quae BENEDICTUS XV confirmavit cum reprehendit eos, quorum sententia est

(1) Hoc quidem concedunt ii auctores, sed negant hagiographum illas notitias historicas voluisse *docere;* eas dicunt esse in S. Scriptura elementa *materialia*, non *formalia*. De utraque re cf. infra n. 123. 125.

(2) Qui verbo *docere* dicuntur abuti, admittunt quidem ea, quae non docentur esse inspirata; sed negant Deum pro eorum veritate se vadem constituisse; idque quia ea *non docet*.

« id unum, quod ad religionem spectat, a Deo in Scripturis intendi ac doceri; reliqua vero, quae ad profanas disciplinas pertineant et doctrinae revelatae, quasi quaedam externa divinae veritatis vestis, inserviant, permitti tantummodo et scriptoris imbecillitati relinqui » (*Spir. Par.*, DENZ.-B. n. 2186; *Acta. Ap. S.* l. c. p. 394; Ench. B. n. 467). Dicendum est ergo *necessario verum quidquid* auctor sacer *affirmat.*

124. Aliqua tamen distinctio inter ea quae Deus in Scripturis docere voluit et quae noluit docere, insinuatur illis verbis, quae ex Augustino citat LEO XIII (*Prov. Deus*, DENZ.-B. n. 1947; CAV., *Thes.* n. 86) « scriptores sacros... noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura ».

At ipsa ratio cur de quibusdam asserit S. Pontifex Deum ea non docere, scilicet quia « nulli saluti profutura » sunt, satis indicat *docere* in *Prov. Deus* idem valere ac tradere *propter se, ratione sui.* Nam Deus res, quae sunt saluti profuturae *docet*, i. e. tradit *propter se, rationi sui;* res autem naturae non docet, i. e. non tradit *propter se, rationi sui.* Etiam plures notitias historicas Deus tradit tantum ratione alterius. Relate autem ad veritatem rei, ut diximus, omnia perinde se habent: quidquid Deus tradit, eo modo quo per s. auctorem tradit, verum est (1).

125. Scholion 3. — QUID DICENDUM DE DISTINCTIONE INTER ELEMENTUM formale ET materiale, SIVE INTER substantiam ET vestem litterariam?

Cf. PESCH, *De inspir.* n.520. 478; KORTLEITNER. *Hermen.* p. 96 s.; VACANT, *Etudes théol.* 1, p. 503-507.

Discrimen certe intercedit *sententias* inter et *verba*, inter id quod dicitur et modum quo dicitur. Non est igitur reicienda quaecumque distinctio inter elementum *formale* et *materiale* in S. Scriptura, sed potius inquirendum quo sensu illa sit admittenda, i. e. quid sit elementum formale, quid vero materiale, qua in re duplex habetur sententia.

(1) Inde patet quam perperam concludat PETERS, *Die grund. Stellung...* p. 57 inerrantiam S. Scripturae non esse nisi *conditionatam*, quippe quod veracitas in singulis adiunctis etiam minutis non sit ad salutis scopum necessaria. Dicendum est necessario verum *quidquid auctor sacer affirmat.*

1) PETERS, *Die grund. Stellung...* p. 44, distinguit inter idealem medullam religiosam et vestem ipsius respondentem condicionibus historicis. Illa prior procedit a Deo, quare est absolute vera; altera vero respondet personalitati auctoris et condicionibus historicis, in quibus ipse adolevit et vivit, quare est tantum relative perfecta, tantum relative vera. Cf. etiam LAGRANGE, in *Rev. Bibl.* 1896 p. 515 s.

Haec sententia plane reici debet, ut patet ex iis quae paulo ante (n. **123**) diximus. Nam quidquid in ss. Litteris asseritur est necessario verum. Illa doctrina reiecta fuit a BENEDICTO XV in *Spir. Par.*, DENZ.-B. n. 2186: cf. supra n. **123**.

2) Omne id, quod hagiographus dicit, i. e. omnes conceptus, quos hagiographus exprimit, sumpti in sensu ab illo intento, constituunt elementum *formale* seu *substantiam;* ratio vero seu modus, quo illi conceptus exprimuntur, constituit elementum *materiale* seu *vestem litterariam.* Haec autem vestis litteraria non constat solum verbis proprie dictis vel nude sumptis, sed metaphoris, comparationibus et id genus aliis; ex. gr. cum dicitur: *Divinus pellicanus filios proprio sanguine alit*, exprimitur notio pellicani seipsum interimentis ut filios suo sanguine alat; at haec notio non ponitur tamquam conceptus scriptoris, sed ut mera ratio conceptum exprimendi. Idemque dicendum si loco metaphorae ponatur similitudo: *Quemadmodum pellicanus seipsum interimit, ut..., ita Christus...* (1) Omnes conceptus ab hagiographo expressi, sunt necessario veri — et quidem non relative, sed absolute — in eo sensu quo illos ipse hagiographus expressit; vestis autem litteraria non dicitur esse vera, sed *apta* ad conceptus exprimendos (2).

---

(1) Cf. *Études* 90 (1902 I) 345 nota; VACANT, l. c. p. 506 s. qui optime distinguit *enuntiata, effata* (énoncés) a *formis* locutionis, licet nonnulla ibi sint minus accurate vel obscure dicta.

(2) « Quaestio, quid pertineat ad substantiam narrationis per se intentam, et quid ad vestitum litterarium non per se intentum, non simpliciter secundum artem grammaticam et stilisticam, sed etiam secundum mores litterarios variorum temporum diiudicanda est... Neque tamen pro cuiusvis arbitrio ea, quae difficultatem aliquam parant, statim vestitus accidentalis declarari debent, sed rationes reddendae sunt, cur haec vel illa consideranda non sint ut ad substantiam narrationis pertinentia ». PESCH, l. c. n. 520. Forsan clarius dixeris: cur haec vel illa consideranda non sint *ut conceptus auctoris, sed ut mera ratio exprimendi conceptus.*

B) *An sint plura historiae genera, quibus diversa competat veritas?*

126. Bibliographia. — Vide auctores commemoratos sub n. **108-109**. praesertim vero HUM. *Exegetisches...* p. 1-49; in alium sensum MURILLO, *Crít. y exég.* p. 13-65; EGGER, *Absolute...* p. 35-55.

Ostendimus habitudinem scriptoris ad veritatem obiectivam sive ad intimam rerum naturam esse longe diversam in historia ac in iis, quae scientias naturales spectant. Sane, in genere *historico* quaerenda est *convenientia narrationis non cum vulgi opinione, sed cum eventibus*, qui narrantur, iuxta illud Ciceronis: « Quis nescit primam esse historiae legem, ne *quid falsi dicere audeat?* deinde ne quid veri non audeat? » (*De Oratore*, II 15).

Verum sunt qui censeant haec intellegenda esse de historia *stricte* dicta; ceterum alia esse historiae genera, quibus diversa competat veritas, quaeque propria sortiantur nomina. Cum de re agatur magni momenti, singula quae dicuntur historiae genera recensebimus, rationem sequuti, qua patroni huius theoriae, praesertim vero F. v. HUMMELAUER in opere *Exegetisches zur Inspirationsfrage* p. 9-43, illa enumerant et describunt, eaque ad trutinam revocabimus:

Historia religiosa: aiunt, legentium aedificationi eam inservire, atque in illa scribenda auctorem, quo finem suum melius assequatur, quadam uti libertate in modo narrandi, praesertim vero in orationibus aliorum reddendis;

Historia antiqua: eam, nulla methodologiae criticae, quae antiquis temporibus ignota esset, ratione habita, sibi proponere eventus artificioso et libero modo tradere;

Traditio popularis: illam sibi vindicare nuclei dumtaxat rerum historicam veritatem, additamentis minime historicis obvolutam;

Narratio liberior: auctorem in illa, sive delectationis sive aedificationis causa, adiuncta addere non historica, quae tamen ipsam eventuum substantiam minime attingunt;

Midrasch haggadicum: nihil esse aliud nisi liberiorem historiae biblicae expositionem ad veritatem moralem efficacius animo imprimendam (cf. n. **12** s.).

Haec omnia historiae genera in eo conveniunt, quod veste historiae propria induuntur facta ex integro vel ex parte non historica. Iam, theoria modo proposita potestne adhiberi ad sensum genuinum S. Scripturae discernendum? Huic quaestioni respondit P. Comm. Bibl. die 23 Iunii 1905 (DENZ-B. n. 1980):

Dubium. " Utrum admitti possit tamquam principium rectae exegeseos sententia quae tenet S. Scripturae libros, qui pro historicis habentur, sive totaliter sive ex parte non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum? "

Resp. " *Negative*, excepto tamen casu, non facile nec temere admittendo, in quo, Ecclesiae sensu non refragante eiusque salvo iudicio, solidis argumentis probetur Hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed sub specie et forma historiae parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere."

Iuxta hoc decretum: 1) Libri, qui pro historicis communiter habentur, — cuiusmodi sunt illi, qui in S. Scripturae canone *historici* vocantur — ut tales, universim loquendo, agnoscendi sunt. Idque optimo iure; nam omnis praesumptio stat pro hypothesi quod auctor, qui elegit genus historicum, id fecit ut vere et proprie scriberet historiam, ideoque pro indole vere historica libri standum est donec solida in contrarium argumenta proferantur.

2) Haec solida argumenta a priori non excluduntur; sed eiusmodi esse debent, ut evincant hagiographum noluisse veram et proprie dictam historiam tradere.

3) Duo sunt observanda: *a*) ne argumenta, de quibus agitur, temere ut probantia admittantur; *b*) ut ratio habeatur sensus Ecclesiae, eiusque salvum maneat iudicium. Sane, si ex doctrina Ecclesiae constat de indole historica alicuius libri, eo ipso contraria opinio est excludenda.

Nunc de singulis:

127. Auctores sacros in historia conscribenda *finem sibi proponere* **religiosum** omnes iure agnoscunt. Inde admitti potest in *argumento seligendo*, in *modo* contexendi historiam multa illis permitti, quae in alio historiographo merito reprehenderentur. Sic ex. gr. plura, licet aliunde magni momenti, omittunt, quae ad suum scopum non faciant; chronologiam aliquando neglegunt; eventus qui non uno tempore et loco peracti fuerunt, simul narrant; orationes, quae in diversis adiunctis prolatae fuerunt, in unum coniungunt; qui certe modus agendi illis minime est vitio vertendus, cum ea, quae recensuimus, non sint errores, et aliunde fini altiori quem auctor sibi proponit, inservire possint. Ita Evangelistas fecisse constat. At vero, scriptores sacros, quo melius veritatem religiosam vel moralem inculcarent, inseruisse nonnumquam narrationi factum aliquod minime historicum (1) omnino reiciendum est. Contra, amore veritatis ducti multos narrant eventus, qui aedificationi minime inservirent. Neque iuvat afferre testimonium S. Gregorii Nysseni (2), qui hoc tantum dicit, Scripturam divinam historiarum uti narratione, ut « historiae commemoratio ad altiorem quamdam considerationem referatur ».

Huc faciunt verba Benedicti XV, improbantis opinionem eorum « qui, inducto inter elementum Scripturae *primarium* seu religiosum et *secundarium* seu profanum discrimine, inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias, immo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed eius effectus, atque in primis erroris immunitatem absolutamque veritatem, ad elementum primarium seu religiosum contrahunt et coangustant » (*Spir. Par.*, Denz.-B. n. 2186). Et paulo inferius: « Praeterea decessor Noster (3), quovis inter elementum primarium et secundarium, uti vocant, remoto discrimine omnique ambiguitate sublata, luculenter ostendit, longissime a vero abesse illorum opinionem, qui arbitrantur « de veritate sententiarum cum agitur non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit » (*Acta Ap. S.* 12 [1920] 395; Ench. B. n. 468).

---

(1) Cf. Bonaccorsi, *Quest. bibl.* p. 124 s.
(2) *In psalmorum inscriptiones.* Tractatus secundus, c. 2 *PG* 44, 489.
(3) Leo XIII, *Prov. Deus.*, Cav., *Thes.* n. 89.

Proinde quae auctor sacer narrat, licet finem sibi religiosum praestituerit, vera sint oportet (1).

128. Ad **historiographos profanos antiquiores** quod attinet, admittendum est 1) illis non praesto fuisse omnia subsidia critica, quae nunc sunt; 2) his subsidiis deficientibus, saepe non potuisse vera a falsis discernere; 3) cuidam indulsisse libertati in orationibus reddendis; 4) forsan etiam fuisse, qui vel eventus historicos nimis ornarent, vel de ipsorum eventuum stricta veritate non satis curarent. At ex alia parte 1) illi auctores, universim loquendo, mentem habuerunt tradendi veritatem et curam illam investigandi, id quod patet ex ipsa eorum ratione dicendi (2); 2) si aliquando falsa scripserunt, contra eorum mentem hoc accidit, et contra genus litterarium, quod ipsi sibi proposuerant adhibere; 3) haec igitur ratio a vero recedendi propter defectum critices non est dicenda genus litterarium proprie dictum, sed potius methodus imperfectior scribendi historiam.

129. Ex quibus haec sequuntur: 1) Immerito ad historiam antiquam tamquam ad speciale genus litterarium appellatur, ut ab auctoribus sacris veritas stricte historica excludatur.

2) Huic veritati non detrahitur, si scriptor in orationibus referendis non ipsissima verba sed substantiam reddat, si eventus ornato modo narret, et id genus alia.

3) Auctores profani falli potuerunt tradendo tamquam certos eventus falsos; vel etiam nonnulli scriptores fortasse eventus incertos et mere probabiles, nulla distinctione facta, simul cum eventibus certis narrarunt. Utraque ratio agendi ab hagiographo excluditur, quippe quae vel errorem ab auctore assertum supponit, vel lectorem necessario in errorem inducit.

---

(1) Cf. Murillo, *Crit. y exég.* p. 30-34.

(2) Herodotus (*Historiarum libri IX*, editio Didot) haec habet: « Interroganti vero mihi, utrum vanum fictumque sit, an non, quod Graeci de bello ad Ilium gesto narrant, responderunt mihi haecce, quae ex ipsius Menelai narratione sibi cognita esse adfirmarunt » (II 118). « At hoc quidem non ex rei veritate dicunt. ». « Et haec quidem ita se habent » (III 2). « Narratur etiam alia fabula, mihi non credibilis » (III 3). Titus Livius (*Historiarum ab urbe condita libri*): « Haud nihil ambigam (quis enim rem tam veterem pro certo adfirmet?)... » (I 3). « Tenet fama... » (I 4). « Duplex inde fama est » (I 1). Tacitus (*Annalium*): « Sine ira et studio » (I 1). Fl. Josephus (*Ant.* I, 1): « ...edisserere coactus sum, ut eos revincerem, qui scriptis suis veritatem depravarunt ».

4) Patet quid sentiendum sit de argumentis HUM. *Exegetisches...* p. 12-22, PETERS, *Die grund. Stellung...* p. 52, BONACCORSI, l. c. p. 110 ss., scil. scriptores antiquiores egisse *poetam* non minus quam historiographum, *pictorem*, non photographum; historiam fuisse illis potius *artem* quam scientiam; hebraeos fuisse « *filios sui temporis* », etc. — Historiographis profanis etiam antiquioribus maior de veritate cura fuit quam contenditur: ceterum ab historiographis sacris omnis ratio scribendi excludenda est, quae vel errorem includat vel in errorem necessario inducat.

5) Uno verbo: si nomine *historiae antiquae* intellegitur ratio simplicior scribendi historiam, absque iis omnibus subsidiis criticis, quae nostris diebus adhiberi solent, ea potuerunt uti et revera usi sunt scriptores sacri. Si vero significetur historiographum antiquum, cum, deficientibus subsidiis criticis, saepe non posset eventus certos ab incertis discernere, utrosque eadem ratione simul narrasse, negandum est hagiographos talem rationem scribendi historiam tenuisse.

130. Historiae antiquae proxime affinis est ea, quam vocant **orientalem,** quae scil. ab auctoribus orientalibus est conscripta. Hi auctores dicuntur historiam ita texere, ut plures narrationes e diversis fontibus, nulla facta mutatione, inter se coniungant, quarum veritatis obiectivae se vades minime reddant, id quod apparet, aiunt, ex sententia, qua narrationem claudere solent: « Haec autem Deus scit melius quam nos » (1).

Scriptores orientales (2), immo et occidentales (3), saltem aliquando hunc modum tenuisse componendi historiam, scil. per iuxtapositionem documentorum, certum est. Praeterea, nonnullis parum fuisse curae de veritate non est cur negemus. At vero, hanc neglegentiam omnibus vel fere omnibus fuisse communem, eosque iudicium de obiectiva rerum condicione, ipsis nihil affirmantibus, lectoribus permisisse vel etiam falsas ob aliquem honestum finem induxisse narrationes, gratis asseritur.

---

(1) LAGRANGE, *Rev. Bibl.* 1901 p. 312; BONACCORSI, *Quest. bibl.* p. 109.

(2) Cf. IGNAZIO GUIDI, *L'historiographie chez les sémites*, in *Rev. Bibl.* 1906 p. 509-519.

(3) Cf. *Monumenta Germaniae historica. Scriptores* v. 22: MARTINUS POLONUS. *Chronicon Pontificum et Imperatorum.* Vide *Prooemium* p. 391-394. *Biblica* 1 (1920) 178 s.

Sententia « Haec autem Deus scit melius quam nos » nihil aliud est nisi humilis agnitio omniscientiae Dei, qui omnes errores etiam minimos, si qui contra scribentis consilium et voluntatem irrepserint — id quod etiam in historia ad normas strictissimae critices redacta locum habere potest — infinita claritate cognoscit.

Neque si quid vere dicatur de quodam populo orientali, puta Arabas, ad aliam gentem, ex. gr. ad Hebraeos licet statim illud transferre; neque quod affirmari potest de quadam aetate ad omnes alias aetates extendendum est, nisi solida praesto sint argumenta; nam et non parum discriminis inter populos, aliqua ceterum affinitate coniunctos, intercedere solet, et non levis interdum, tempore labente, fit in uno eodemque populo condicionis intellectualis mutatio.

Tandem, si historiographi orientales profani eam formam litterariam adhibuerunt, qua lectores fere necessario in errorem inducerentur, hoc negandum est de iis, qui Spiritu Sancto afflante historiam conscripserunt.

131. Traditiones populares (1), scilicet narrationes plus minusve historicas, quae per longum tempus in ore populi ferebantur, in usu est apud nos colligere easque posteris scripto transmittere. Auctor, qui eas colligit, minime intendit historiam proprie dictam tradere, idque omnibus est notum; quare neque auctor ipse errat neque in errorem inducit. Hoc igitur genus litterarium, si aliunde nihil inhonesti in ipsis traditionibus inest, tamquam legitimum et nulla reprehensione dignum iure habetur.

Inde concludes, universim loquendo, non pugnare cum charismate inspirationis quod ob finem honestum ex. gr. ad quasdam veritates morales inculcandas, traditiones populares tradantur, dummodo auctor inspiratus illas ut tales proponat, idque lectoribus innotescat.

Alia prorsus est quaestio, num hoc genus litterarium in ss. libris inveniatur. Huic autem quaestioni videtur respondendum:

---

(1) Cf. Hum., l. c. p. 22-36; Lagr., *La méth. hist.* p. 183-220; quos impugnant Murillo, *Crit. y exég.* p. 55-65; Egger, *Absolute...* p. 167-176.

1) Nullum praesto est nobis indicium certum quod S. Scriptura traditiones populares in *sensu recentiorum* contineat.

2) Similitudo quarumdam narrationum biblicarum (creationis, diluvii, etc.) cum traditionibus gentium solidum argumentum minime constituit. Nihil enim impedit, quominus etiam ea, quae habentur apud gentes, sint vere historica, quae tamen falsis notionibus religiosis et forsan etiam adiunctis fabulosis fuerint deturpata. Neque pro Gen. 2-11 quidquam valet usus vocis *toledoth* (1).

3) Neque licet arguere quosdam eventus per plura saecula ore tenus fuisse transmissos, quae ratio transmissionis fida ex integro non esset. Nam *a*) etiam memoriter multa fideliter retinentur (2); *b*) nulla est nobis certitudo de tempore quo ars scribendi inducta fuit: certe longe antiquior est quam credebatur (3); *c*) tandem, praeter actionem stricte supernaturalem, quaedam procul dubio fuit providentia specialis, quae non immerito a multis existimatur etiam ad modum scribendi historiam sese extendisse.

132. Quoniam inter narrationes, quas nonnulli perperam traditionibus popularibus adnumeratas volunt, recensentur tria priora capita Genesis, ubi initia et mundi et humani generis traduntur, iuvabit decretum de indole historica horum trium capitum a P. Comm. Bibl. die 30 Iunii 1909 editum (Denz.-B. n. 2121 ss.) partim saltem afferre:

I. « Utrum varia systemata exegetica, quae ad excludendum sensum litteralem historicum trium priorum capitum libri Geneseos excogitata et scientiae fuco propugnata sunt, solido fundamento fulciantur?

Resp. *Negative.*

II. Utrum non obstantibus indole et forma historica libri Geneseos, peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus

---

(1) Vox *toledoth* induit certe quamdam significationem sibi propriam, qua distinguitur ab aliis vocibus synonymis; at haec peculiaris significatio refertur non ad *modum* narrandi (strictius vel liberius), sed ad *obiectum* narrationis; agitur nempe de historia *familiarum*. Quod si in Gen. 2, 4 adhibetur de caelo et terra, vox sumitur in sensu quodam translato. Vide Hum., l. c. p. 26-32; Pesch, *Supplem.* n. 28.

(2) « Ita illi (Iudaei) a parva aetate, vernacula sui sermonis vocabula penitissimis sensibus imbiberunt, et ab exordio Adam usque ad extremum Zorobabel, omnium generationes ita memoriter velociterque percurrunt, ut eos suum pules referre nomen ». (S. Hieron., *in ep. ad Titum*, 3, 9 *PL* 36, 595). Cf. * J. Robertson, *The Early Religion of Israel* [3], London 1892, p. 80; * Heinr. Ewald, *The history of Israel*, vol. 1[3], London 1876, p. 20 ss. Vide etiam Robertson, l. c. p. 76 ss.; *Razón y Fe* 34 (1912 III) 15 s.; M. Jousse, supra p. 321, nota 1.

(3) Ad saeculum *decimum tertium* ante Chr. dicitur pertinere inscriptio phoenicia *Ahîram* inventa apud Byblum anno 1923: cf. *Syria* 5 (1924) 135-157; *Rev. Bibl.* 1925 p. 183-193 (vide animadversionem p. 192); *Orient. Literaturzeitung* 1925 p. 129-140; *Verb. Dom.* 4 (1924) 60-62, et supra lib. III n. 6. De inscriptionibus dictis *sinaiticis* cf. *Biblica* 6 (1925) 26-49. 156-164.

nexu, multiplici testimonio Scripturarum tum Veteris tum Novi Testamenti, unanimi fere sanctorum Patrum sententia ac traditionali sensu, quem, ab israelitico etiam populo transmissum, semper tenuit Ecclesia, doceri possit, praedicta tria capita Geneseos continere non rerum vere gestarum narrationes, quae scilicet obiectivae realitati et historicae veritati respondeant; sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticae accommodata; vel allegorias et symbola, fundamento obiectivae realitatis destituta, sub historiae specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita; vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte fictitias ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas?

Resp. *Negative* ad utramque partem.

III. Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt: uti sunt, inter cetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis; peculiaris creatio hominis; formatio primae mulieris ex primo homine; generis humani unitas; originalis protoparentum felicitas in statu iustitiae, integritatis et immortalitatis; praeceptum a Deo homini datum ad eius obedientiam probandam; divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio; protoparentum deiectio ab illo primaevo innocentiae statu; nec non Reparatoris promissio?

Resp. *Negative*».

133. Narratio liberior (1) potest speciale genus litterarium constituere, cui respondeat veritas non stricte historica. Ut autem hoc genus litterarium sit vere legitimum, oportet ut auctor suam mentem clare manifestaverit, neque lector in errorem necessario inducatur. Narratio igitur liberior, his condicionibus ornata, cum sit ab errore immunis neque in errorem inducat, dicenda est cum charismate inspirationis ex sua natura non pugnare.

Auctores sacros quamdam sibi vindicare libertatem certum est: alios eventus prae aliis in bona luce collocant (confer libros *Paralipomenon* cum libris *Regum*); Mt. 1, 8 praetermittit tria nomina regum inter Ioram et Oziam, eo probabiliter consilio ut triplicem seriem quattuordecim nominum (cf. 1, 17) obtineat; numeri rotundi, quos vocant — imprimis *quadraginta* et *septuaginta* — adhibentur; eventus tempore distincti, absque ulla temporis distinctione simul narrantur, etc. Haec autem omnia intra *meram*

(1) Cf. Hum., l. c. p. 36-39. In alium sensum: Egger, l. c. p. 176-181; Murillo, *Crit. y exég.* p. 24-30.

proponendi rationem continentur, atque integram relinquunt historiae veritatem.

Si quis autem contenderit hagiographos in libris, qui nunc pro historicis habentur, longe ulterius progressos esse, et amplificationes verisimiles quidem sed minime historicas induxisse, eo fere modo quo nonnulli auctores legendas et vitas sanctorum scripserunt, id est omnino negandum « excepto tamen casu... in quo, Ecclesiae sensu non refragante eiusque salvo iudicio, solidis argumentis probetur hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed sub specie et forma historiae... sensum aliquem ab... historica verborum significatione remotum ». (Cf. decret. P. C. B. die 23 Iunii 1905, supra n. **126**).

Prorsus insufficiens est argumentum a Hum., l. c. allatum: narrationem liberiorem aedificationi aptam esse; nam id est de quo agitur: *qua ratione* auctor voluerit aedificare, num historia stricte dicta an liberiori; id quod aliunde dignoscendum est. Ceterum quanto aptiora sunt ad animos movendos atque aedificandos exempla virtutum vera quam ficta!

134. Ficta narratio seu **fabula** sic dicta **romanensis** est narratio ex parte vel ex integro non historica, ubi verisimilia ab iis ut plurimum, quae apud homines communiter contingunt, desumpta, proponuntur. Huic generi litterario respondet non veritas stricte historica, sed moralis vel religiosa.

Huiusmodi genus eo sensu et modo, quo plures recentiores illud proponunt, a sacris Litteris omnino est excludendum. Si vero recte intellegatur, potest de illo dici cum Pesch, *De inspir.* n. 493: « Quia parabola potest esse historia ficta, patet *etiam fictas narrationes posse inspirari.* Si hoc valet de brevioribus narrationibus, potest etiam valere de longioribus. Supposito narrationem de Lazaro et Epulone non esse veram historiam sed meram parabolam, cur non potuit narratio extendi in libellum? Cur talis libellus non potuit inspirari? ». Ficta igitur narratio *ex sua ipsius natura* inspirationi non repugnat. Illud requiritur, et quidem tamquam condicio omnino necessaria, ut *eo modo* atque *in iis adiunctis* proponatur, ut homines universim possint dignoscere ibi agi non de eventibus historicis narrandis, sed de veritate morali vel religiosa in-

culcanda; ex quo fiat ut non in errorem necessario inducantur. Aliter cum inspiratione pugnaret.

135. Quod si quaeratur non iam de possibilitate, sed de *existentia* fictarum narrationum in S. Scriptura, licet non sit hic locus definiendi historicitatem vel non-historicitatem singulorum librorum, haec principia generalia proponi possunt:

1) Sedulo inquirendum num ex traditione, vel alias ex magisterio ecclesiastico, certo constet librum, de quo agatur, esse vere historicum. Quod si ita fuerit, historicitas libri omnino tenenda est. Aliter, ulteriori inquisitioni via patebit.

2) Cum de *maxima* parte librorum, qui pro historicis habentur, nemo dubitet eos vere indolis esse historicae, de nullo autem constet fictam esse narrationem; sequitur eos libros, de quibus aliqua ratio dubitandi exoriri possit — supposito quod nihil de illis statuatur sive traditione sive magisterio ecclesiastico — tamquam historicos esse habendos donec contrarium solidis probetur argumentis.

3) Tamquam indicium *prorsus insufficiens* habendum est quod narrentur eventus, qui nobis videantur esse parum verisimiles, vel historiae profanae contradicere; nam *a*) iudicium de verisimilitudine haud raro est valde subiectivum, neque pauci fuerunt in historia eventus, qui non verisimiles videntur; *b*) dissonantia vero ab historia profana facile oriri potest ex eo quod S. Scripturam minus recte interpretemur, vel quod adiuncta ad veram rerum condicionem perspiciendam necessaria ignoremus, vel tandem quod ipsa historia profana sit falsa.

Quaestioni de multiplici ratione scribendi historiam, accurato textuum examine innixi — ratione, ut par est, habita inspirationis tamquam normae negativae, cf. n. **85** — breviter, ut indoli tractationis convenit, respondimus. Omnia vero, quae aliquam habent difficultatem, singillatim percurrere non est huius loci; nam, ut optime animadvertit Pesch, *De inspir.* n. 542, « singulorum textuum expositio exegetis relinquenda est ».

C) *De citationibus in S. Scriptura*

136. Citatio (1) est allegatio documenti seu dicti alterius: est explicita, cum auctor *disertis verbis* dicit se citare; implicita, cum auctor citat *quin tamen disertis verbis hoc dicat* (2). Magni est momenti dignoscere quaenam fuerit habitudo animi auctoris ad ea, quae sive explicite sive implicite citat; an illa intenderit probare necne; licet enim sensus verborum, si in seipsis spectentur, in utroque casu idem videatur esse, a mente tamen auctoris sufficienter manifestata pendet an illa sint habenda tamquam necessario vera necne, ut ex mox dicendis patebit.

Cf. PRAT – qui theoriam de citationibus potissimum expolivit –, *Etudes* 86 (1901 I) 474 ss.; 93 (1902 IV) 614 ss.; *La Bible et l'histoire* p. 40 ss.; DURAND, *Dict. Apol.* 1, 801 s.; 2, 781 s., ubi vide ampliorem bibliographiam; *Rev. du Clergé Fr.* 33 (1902-3 I) 20 ss.; PESCH, *De inspir.* n. 532 ss.; *Supplem.* n. 21-26; MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.* VII 2, col. 2260 ss.; DORSCH, *De inspir.* p. 430 ss.

I. — Citationes explicitae

1. — De mente AUCTORIS IN HIS CITATIONIBUS FACIENDIS

137. Quamplures haberi in S. Scriptura citationes explicitas certum est, neque ullus est qui de hoc dubitet: nonnulla inferius trademus exempla.

1) In his citationibus auctor *expressis verbis* aliquando *approbat* rem citatam: « Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: " Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri ". *Testimonium hoc verum est* » (ad Tit. 1, 12-13); aliquando vero *improbat*, eo fere modo, quo Ieremias (28, 15) falsa decla-

(1) Card. BILLOT, *De inspir.* p. 149, animadvertit, et quidem recte, nomen *citatio* esse improprium, quippe quod testificationem in iudicio connotat. Attamen cum iam fuerit communiter usu receptum, non est cur ab illo abstineamus. Idem dici potest de vocabulo *allegatio*, quod ex se connotat etiam quodammodo iudicium et causae defensionem.

(2) Minus accurate VERDUNOY, *Manuel d'Ecriture Sainte*, (1925) 1, p. 71, cum ait: Citationes sunt *implicitae*, « quando nihil indicat aliud documentum adduci ». Si *nulla est indicatio*, numquam dignosci poterit adesse citationem implicitam. Auctor non *dicit* se citare; sed possunt haberi alia citationis indicia; quae interdum quidem aderunt, alias forsan desiderabuntur.

rat (1) ea, quae Hananias dixerat, quaeque ipse Ieremia (28, 1-4) citaverat. Cum res ita se habet, nulla est difficultas: auctor aperte *affirmat* vel *negat* rem citatam. In casu approbationis non solum sequitur verba esse recte et vere relata, i. e. ut fuerant historice dicta vel scripta ab eo, ex quo mutuantur (veritas *citationis*), sed etiam vera esse ea, quae a primo auctore dicebantur et ab auctore sacro transsumuntur (veritas *rei citatae*); in casu autem improbationis habetur quidem veritas citationis, at negatur veritas rei citatae.

2) Quando abest huiusmodi tum approbatio tum improbatio, auctor *directe* et *explicite* neque *affirmat* neque *negat* rem citatam, cum obiectum directum et explicitum illius assertionis sit citatio, non res citata. *Indirecte* tamen, i. e. ex adiunctis licet nonnumquam cum certitudine dignoscere quodnam fuerit illius iudicium sufficienter expressum. Ex eo quod Psalmista ait: « Dixit *impius* in corde suo », recte concludimus illum non approbare effatum impii: « Non est Deus ». Contra, cum in N. T. citatur sententia Domini nostri indubium est illam ab auctore omnino probari.

3) Quid vero cum huiusmodi indicia adeo pervia non habentur? *Per se* et secundum communiter contingentia concludendum est auctorem, cum aliquid citat, id quod citat, suum facere et approbare. Ita ex gr. non raro, immo frequenter, historiographi citant explicite documenta, quae ipsi plene approbant; citatio autem fit vel ad mere edocendos lectores ex quibus fontibus res relata hausta sit, vel etiam ad rei veritatem magis magisque firmandam. Eodem igitur modo per se de citationibus auctorum sacrorum iudicandum est (2). At cum semper maneat *possibilitas exceptionis*, singuli casus, si non primo statim intuitu clari sunt, singillatim sunt examinandi, atque ex tenore ipso citationis, ex fine quem auctor sibi proponit, uno verbo, ex variis adiunctis diiudicandum est num ipse intendat tradere veritatem solius citationis, an etiam rei citatae. Liceat id exemplis illustrare:

---

(1) « Audi Hanania; non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio ».

(2) Brevem de hac re hinc inde disputationem vide in *Rev. Bibl.* 1897 p. 370-371 (Lagrange); *Rev. du Clergé Fr.* 33 (1902-3 I) 20-22 (Durand); *Etudes* 94 (1903 I) 225-229 (Brucker).

138. *a*) Ieremias (29, 4 ss.) citat propriam suam epistolam, sane eam *approbando*. Huc etiam quodammodo pertinet — etsi forte non sit citatio proprie dicta — illud adeo frequens in libris *Regum:* « Reliqua... nonne haec scripta sunt in libro verborum dierum regum...? » (cf. 3 Reg. 22, 46; 4 Reg. 1, 18), quibus verbis indicantur fontes seu documenta, quae auctor sacer adhibuit, et ex quibus plura sumi possunt, quae ipse non ulterius persequitur. Nemo certe dixerit auctorem non facere sua ea, quae narrat, ex illis fontibus desumpta.

b) *Aliter* res se habet in citationibus Esdr. 4, 7 ss.; 5, 6 ss. (epistolae samaritanorum et Thathanai). Ex integro contextu patet auctorem velle quidem fideliter tradere tenorem litterarum, quas citat, minime autem veritatem eorum, quae ibi dicuntur. Idem videtur tenendum de Neh. 7, 6 ss., ubi inseritur census remigrantium, quem Nehemias invenit (v. 5).

c) Quid vero dicendum sit de duabus epistolis in 2 Mach. 1-2. 1-19, *non adeo in comperto est*. Quae ibi traduntur faciunt quidem ad scopum auctoris; attamen plures probati interpretes (1) existimant auctorem illa non facere sua; atque ita componunt antilogiam quae de morte Antiochi videtur exsistere inter 2 Mach. 1, 10-17 et 1 Mach. 6, 1-16.

NB. Sunt qui hoc extendant ad integrum librum 2 Mach., affirmantes verba auctoris (epitomatoris) (2) sat clare indicare se intendisse compendium operis IASONIS CYRENAEI fideliter tradere (2, 24), minime vero fidem illius in se suscipere (3).

Huic interpretationi videtur quodammodo favere versio latina (*veritatem...* auctoribus concedentes »); at minime textus graecus: « *Singula accurate persequi* (διαχριβουν) auctori permittentes... ». Quod vero hic agitur de cura non in veritate tradenda, sed in narratione *fusiori modo* texenda patet ex eodem v. 29, ubi epitomator ait se regulas sequi epitomes seu compendii; videlicet, suam rationem scribendi *compendiosam* opponit rationi Iasonis fusiori: cf. v. 24. 31 s. (4).

Ex hoc triplici exemplo arbitramur satis patere qua ratione procedere oporteat in iudicio ferendo de citationibus explicitis.

139. *Quid tenendum cum* **orationes** *aliorum ab auctore sacro citantur?* (5)

Hae orationes sunt duplicis generis: aliae *vere prolatae;* aliae *in ore aliorum positae*, quibus auctor sua propria sensa exprimit. De altero genere dicetur infra; nunc de primo.

---

(1) Cf. KNABENBAUER, *In duos libros Machabaeorum*, 1907 p. 289.

(2) « Veritatem quidem de singulis, auctoribus concedentes ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes » (2, 29).

(3) Haec sententia defenditur ab O. M(arcault) in *Rev. du Clergé Fr.* 31 (1902 III) 650 s.; * Ed. REUSS, *La Bible, in loc.*, et ab aliis.

(4) Cf. KNAB., *in loc.*; PRAT, *Etudes* 93 (1902 IV) 621-623.

(5) Cf. PESCH. *De inspir.* n. 438; DURAND, *Dict. Apol.* 2, 762 s.

Si oratio est alicuius personae, quam hagiographus iure censetur ut sanctam et veracem tenere; vel si ad propriam hagiographi sententiam confirmandam adducitur, tunc dicenda est ab auctore sacro probari saltem in iis, quae praecipua sunt, seu quae ad principale intentum faciunt. Ut alios omittam, orationes habuerunt *Achior* (Judith 5, 5-25), *S. Stephanus* (Act. 7, 1-53). In *prima* certum est auctorem probare conspectum historiae generalem atque illam rationem agendi tum populi tum Dei, de qua Achior; nequit vero affirmari hanc approbationem ad singula extendi, ex. gr. progenitores Israelis habitasse in Mesopotamia « *quoniam* noluerunt sequi deos patrum suorum » v. 7. Etiam in *altera* approbatio procul dubio habetur generalis, praesertim cum dicatur de Stephano quod « esset plenus Spiritu Sancto » v. 55; sed hanc approbationem singula etiam minutissima (1) *necessario* attingere plures auctores negant.

140. *Orationes, quarum sensus ab hagiographo probatur, suntne semper censendae* **ad verbum** *relatae?*

Constat magni nominis viros, qui fide digni habentur, in sermonibus aliorum referendis, non semper *ipsis verbis* se adstringere, sed potius *sententias* fideliter exprimere; neque ullus umquam vir cordatus illos falsitatis hoc ex capite accusavit. Iam ad auctores sacros quod attinet, cum in hac agendi ratione nullus sit error, *illam etiam ipsi tenere potuerunt* (2).

Mirabitur igitur nemo hagiographos, sive in V. sive in N. T., praesertim vero in Evangeliis, cum *unam eamdemque orationem* referant, *verba* tamen adhibere *diversa*. Certe fieri potest Dominum nostrum bis, vel ter, vel etiam pluries idem, diversis tamen verbis

(1) Illud « ...in sepulchro quod emit *Abraham* pretio argenti a filiis Hemor » (v. 16) videtur contradicere Gen. 33, 19-20, ubi *Jacob* non Abraham dicitur agrum emisse. Ut hanc difficultatem solvat Melchior Canus (*De locis theologicis* l. 2, c. 18) Bedam et Rabanum sequutus, ait Stephano accidisse, ut in quibusdam memoria lapsus fuerit; « Lucas vero historiae veritatem retinere volens, ne iota quidem immutavit, sed rem, ut a Stephano narrata erat, exposuit ». Plures interpretes recentiores (Knabenbauer, Crelier, Fillion, etc.) hanc solutionem reiciunt, dicunt tamen posse, incolumi inspiratione, admitti.

(2) Si tamen aliquando ex indiciis particularibus, puta, ex modo dicendi, vel ex ipso argumento sufficienter appareat auctorem sacrum non solum sententias, sed et *verba* tradere intendisse, *illa omnino eadem verba fuisse prolata admittendum est.*

dixisse, et has varias dicendi rationes evangelistas nobis tradidisse. Sed non minus est probabile, nonnumquam vero certum (1), illos, evangelistas nempe, sententiam semel dictam, *fideliter* quidem, *verbis* tamen *diversis* exprimere voluisse.

Huc faciunt verba S. Augustini (*De cons. evang.* 2, 12 *PL* 34, 1090 s.): « Si ergo quaeritur quae verba potius Ioannes Baptista dixerit, utrum quae Matthaeus (3, 3-12), an quae Lucas (3, 7-17) eum dixisse commemorat, an quae Marcus (1, 6-8) in ipsis paucis quae illum dixisse posuit, tacens cetera; nullo modo hinc laborandum esse iudicat, qui prudenter intellegit ipsas sententias esse necessarias cognoscendae veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatae. Quod enim alius *alium verborum ordinem* tenet, non est utique contrarium. Neque illud contrarium est, si alius dicit quod alius praetermittit. Ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat vel *brevius* vel *prolixius*, *eamdem* tamen explicare *sententiam*, ita eos explicasse manifestum est ». « ...non nos debere arbitrari mentiri quemquam, si pluribus rem quam audierunt vel viderunt reminiscentibus, *non eodem modo atque eisdem verbis*, *eadem tamen res* fuerit indicata ». « ...sive *ad illuminandam declarandamque sententiam*, *nihil quidem rerum*, *verborum tamen aliquid addat* ».

Ex verbis Augustini haec videntur sequi: 1) Nullus est tribuendus Domino conceptus, quem ipse non expresserit; non tamen debuerunt Evangelistae ipsissimis illius verbis uti. 2) Diversas adhibentes locutiones potuerunt sententiam Domini illuminare et declarare. 3) Haec declaratio pluribus fieri potuit verbis, seu amplificatione; quae tamen amplificatio eiusmodi sit oportet, ut « nihil quidem rerum, verborum tamen aliquid addat ». 4) Excludenda est exornatio, quae novos inducat conceptus, ita ut aquae e duobus fontibus manantes uno eodemque alveo sic hodie contineantur, ut nulla iam certa nota distingui inter se possint (2); sed ea potest admitti exornatio, quae conceptus, qui vere Domini sunt, in bona luce collocet, eorumque intellegentiam faciliorem reddat. 5) Inde non est negandum Evangelistas *potuisse* proprium

---

(1) Ex. gr. in verbis consecrationis (Mt. 26, 26-28; Mc. 14, 22-24; Lc. 22, 17-20). S. Paulus in sermone habito in Antiochia Pisidiae, inter alia, haec aiebat: « Cum impleret autem Johannes cursum suum, dicebat: " *Quem me arbitramini esse, non sum ego* " » (Act. 13, 25). Iam, *haec verba* nullibi in tribus locis parallelis (Mt. 3, 1-12; Mc. 1, 4-8; Joh. 1, 15-27) inveniuntur; sed fideliter *compendio* exprimunt quae fusius narrantur in Joh. 1, 19-21.

(2) Cf. *Spir. Par., Acta Ap. S.* 12 (1920) 397; Ench. B. n. 475.

inducere modum narrationis, proprium stylum (1); ea tamen condicione ut sensus a Christo intentus accurate retineatur (2).

141. Verum paulo post videtur Augustinus longe ulterius progredi, cum dicit: « Ita enim salubriter discimus, *nihil aliud esse quaerendum quam quid velit* ille qui loquitur », quibus verbis magnam forsan putaveris concedi hagiographo libertatem.

At ex integro contextu haec clarissime patent: 1) Augustinus removet ab Evangelistis omnem falsitatem, sive quae « mentiendo promitur », sive quae « obliviscendo ». 2) Quaerendum utrum sententiae *calceamenta portare* et *corrigiam calceamenti solvere* pertineant ad rem an tantum ad formam; utrum Iohannes his diversis sententiis intenderit diversa significare, an unum dumtaxat exprimere: excellentiam Christi et humilitatem propriam. Si diversa, Iohannes utramque sententiam protulit; si unum, sufficit ut alterutram dixerit: et ratio est quia evangelistae, licet diversis verbis, sensum Iohannis B. vere exprimunt (3). 3) Augustinus non declarat utra hypothesis sit praeferenda, sed principium statuit rationem esse habendam non tam vocabulorum, ut materialiter sonant, quam sensus, quem his vocabulis loquens exprimere voluit; hic vero sensus colligitur ex omnibus adiunctis, quae mentem auctoris nobis notam reddere possunt. 4) Tandem, ut verba Augustini iuxta ipsius mentem intellegamus, omnis interpretatio excludenda est, quae vel minimum errorem in sacras Litteras inducat.

Ut vero nullum de genuina Augustini mente dubium maneat, iuvabit integram hic transcribere pericopam:

« Quid ergo in his quae de narrationibus Evangelistarum collata proposui, putandum est esse contrarium? An quod alius dixit, *cuius non sum dignus calceamenta portare;* alii vero, *corrigiam calceamenti solvere?* Non enim verbis, aut verborum ordine, aut aliquo genere locutionis, sed etiam re ipsa videtur aliud esse calceamenta portare, aliud corrigiam

---

(1) **Quod vero reapse induxerint non est admittendum nisi probetur.**

(2) Damnata fuit a Pio X propositio modernistarum: « Narrationes Johannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; *sermones* in eius Evangelio contenti sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis historica veritate destitutae ». Decr. *Lamentabili* n. 16, Denz.-B n. 2016; Cav., *Thes.* n. 115. Cf. decretum Pont. Comm. Bibl., die 29 Maii 1907, de auctore et veritate historica quarti Evangelii, Dubium III (Denz.-B. n. 2112).

(3) **In prima hypothesi habentur duo** *conceptus* **diversi; in altera agitur solummodo de diversa** *ratione* **dicendi. Cf. supra n. 125.**

calceamenti solvere. Merito ergo quaeri potest quid Ioannes dixerit non se dignum esse; utrum calceamenta portare, an corrigiam calceamenti solvere. Si enim alterum horum dixit, ille verum videtur narrasse qui hoc potuit narrare quod dixit; qui autem aliud, et si non est mentitus, certe vel oblitus, aliud pro alio dixisse putabitur. Omnem autem falsitatem abesse ab Evangelistis decet non solum eam quae mentiendo promitur, sed etiam eam quae obliviscendo. Itaque si ad rem pertinet, aliquid aliud intellegere ex eo quod dictum est, *calceamenta portare;* et aliquid aliud ex eo quod dictum est, *corrigiam calceamenti solvere:* quid aliud accipiendum recte existimaveris, nisi Ioannem utrumque dixisse, sive aliud alio tempore, sive contextim? Potuit enim sic dicere. Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, nec calceamenta portare; ut unus Evangelistarum hinc aliud, alii vero aliud, omnes tamen verum narraverint. Si autem nihil intendit Ioannes, cum de calceamentis Domini diceret, nisi excellentiam eius et humilitatem suam; quodlibet horum dixerit, sive de solvenda corrigia calceamentorum, sive de portandis calceamentis, eamdem tamen sententiam tenuit, quisquis etiam verbis suis per calceamentorum commemorationem eamdem significationem humilitatis expressit, unde ab eadem voluntate non aberravit. Utilis igitur modus et memoriae maxime commendandus, cum de convenientia dicimus Evangelistarum, non esse mendacium, cum quisque etiam dicens aliquid aliud quod etiam ille non dixit de quo aliquid narrat, voluntatem tamen eius hanc explicat, quam etiam ille qui eius verba commemorat. Ita enim salubriter discimus, nihil aliud sese quaerendum, quam quid velit ille qui loquitur ». (ibid. col. 1091 s).

Nulla igitur, ad conceptus quod attinet, discordantia potest iuxta Augustinum dari in S. Scriptura.

2. — QUAENAM EST MENS SCRIPTORUM N. T. CUM citationes ex V. T. DEPROMUNT?

142. Inter citationes explicitas, de quibus nunc agimus, magni sunt momenti illae, quae in N. T. ex V. T. fiunt; quae quidem ad tria capita commode revocantur: 1) *Prophetiae, quae dicuntur impletae;* 2) *Sententiae, quae ad aliquam doctrinam confirmandam adducuntur;* 3) Tandem *citationes desumptae ex aliqua versione* (LXX), *quae a textu primigenio videatur recedere.*

1) *Prophetiae, quae dicuntur impletae.*

Prophetiae adimpletio diversimode indicatur: *ut adimpleretur; tunc adimpletum est; bene prophetavit* etc. Quaenam est harum formularum vis in ore scriptorum N. T.?

a) Nullum est dubium quin scriptores N. T., saltem pluries intendant affirmare prophetiam vere et proprie in N. T. fuisse

adimpletam, idque sensu vel litterali vel typico. Aliter explicari nequit cur adeo frequenter adhibeant formulas supra commemoratas.

b) Licet non desint probati auctores — quos inter ille vere insignis interpres Maldonatus — qui teneant non raro fieri dumtaxat accomodationem, quam sententiam proinde absolute damnare non audemus; attamen, cum in omnibus citationibus aliquis verus sensus (litteralis, vel typicus, vel saltem consequens) inveniri posse videatur, nos existimamus difficulter admittendum esse scriptores N. T., cum adhibent illas formulas (*ut adimpleretur* (1), vel *adimpletum est*, vel *bene prophetavit*) meram intendere accommodationem facere (2).

143. Nunc, speciminis instar, nonnulla trademus exempla:

α) Mt. 1, 22 « Hoc autem totum factum est, *ut* (ἵνα) *adimpleretur* quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit... » (Is. 7, 14). — De mente evangelistae nullum potest esse dubium. Prophetia adimpleta est sensu *litterali*, vel certe *typico*.

β) Ioh. 19, 36 « Facta sunt enim haec *ut* (ἵνα) *Scriptura impleretur:* Os non comminuetis ex eo » (Ex. 12, 46). — Haec verba libri Exodi referuntur sensu *litterali* ad agnum paschalem; sensu *typico* ad Iesum.

γ) Mt. 3, 3 « Hic est enim *qui dictus est per Isaiam prophetam* dicentem: Vox clamantis in deserto... » (Is. 40, 3). — Haec, sensu quasi incipienti et imperfecto, de reditu ab exsilio; sensu *pleniori*, de tempore messianico. Nisi dicere mavis etiam ibi haberi sensum typicum: Populus Israel, ex exsilio liberatus, est typus populi N. T. per Christum redempti: qui annuntiat redemptionem illam priorem, est typus S. Iohannis B. annuntiantis secundam.

Haec facilia sunt; difficiliora quae sequuntur:

δ) Mt. 15, 7-8 « Hypocritae, *bene prophetavit de vobis* Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me » (Is. 29, 13). — Ex toto contextu apparet: 1) Isaiam loqui non de quodam coetu hominum, sed de *populo in genere*, et quidem de illo qui *tunc* erat, i. e. de *suis aequalibus;* 2) eius verba esse *accusationem*. Tamen, Dominus noster ait: « *prophetavit* de *vobis* ». MALDONATUS (in loc.) ait agi de *accommodatione* per extensionem. Cf. supra n. **81**. Certe hac ratione omnis evanescit difficultas. Crediderim tamen aliquid amplius his verbis subesse. Scribae et pharisaei eodem modo peccabant ac aequales Isaiae. Iam, hoc peccatum scribarum Spiritus S. certe praeviderat, cum per prophetam illa verba pronuntiabat. Nonne censendus est etiam illud voluisse

(1) Parum refert particulam ἵνα accipi sensu *finali* (ut), vel *consecutivo* (ita ut): relatio inter duos terminos (prophetiam et eventum in quo illa adimpletur) eadem manet.

(2) Licet nonnihil mitius expressa, non multum differt haec sententia a conclusione CORNELY, *Introd.* 1, p. 568: « Quare nullum omnino vaticinium accommodari in Evangeliis dicendum videtur ».

his verbis significare? Quod si ita fuerit, habetur sensus *litteralis plenior*, i. e. qui in pluribus casibus sibi succedentibus verificatur: sin minus, saltem sensus *consequens*, qui nempe, ope praemissae adiectae (1), ex verbis S. Scripturae — sensu generaliori et principii instar intellectis — eruitur.

Eodem fere modo intellegendum est illud Mt. 13, 14 ss. « Et *adimpletur* in eis prophetia Isaiae (6, 9) dicentis: Auditu audietis et non intellegetis... ».

ε) Mt. 13, 34 s. « Sine parabolis non loquebatur eis; *ut* (ὅπως) *impleretur* quod dictum erat per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum; eructabo abscondita a constitutione mundi » (Ps. 77 [78], 2). — Psalmus tribuitur Asaph, et in illo commemoratur historia Israel usque ad tempora David. Nullus videtur deprehendi nexus inter hunc psalmum et parabolas Domini; unde forsan dixeris quod « Evangelista, ut solet, quod a Davide alio sensu dictum erat, non ad eundem, sed ad similem sensum accommodavit » (MALDONATUS, *in loc.*). Verum alia esse potuit et re vera fuisse videtur mens Evangelistae, cuius verba ita explicare licet. In Messia consocianda erant munera magnorum virorum V. T., regis nempe, prophetae, doctoris etc., et multa ex his, quae ab illis fiebant, ab ipso Messia modo perfectiori erant facienda. Psalmista igitur — qui simul et propheta — typus erat Messiae, *eiusque locutio in parabolis futuram Messiae etiam in parabolis locutionem praefigurabat.* Vide KNAB.-MERK in Mt. 13, 35. Habetur igitur in hoc loco sensus *typicus*.

ς) Mt. 8, 16 s. « Omnes male habentes curavit; *ut* (ὅπως) *adimpleretur* quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et aegrotationes portavit » (Is. 53, 4). — Propheta loquitur de languoribus quos Messia *in se suscepit;* evangelista vero de languoribus quos Iesu *ab aliis abstulit.* Certe utrobique agitur de languoribus *corporalibus;* sed non idem est *in se suscipere* ac *ab aliis auferre.* Habeturne igitur hic *mera accommodatio?* Textus aliam patitur interpretationem, et quidem duplicem: 1) Christus, iuxta Isaiam (53,5), dolores in se suscepit ut *peccata nostra expiaret.* Iam, peccata sunt fons et causa dolorum. « Evangelista igitur reddit rationem intimam, cur Christus mala illa, ex peccato orta, auferre et sanare possit, quia scilicet ille est, qui ipsa peccata, fontes malorum, sua expiatione et satisfactione aufert » (KNAB.-MERK, *in loc.*). 2) Cum Christus suscipit *in se* dolores *nostros*, eo ipso illos *a nobis* tollit. Terminus *ad quem* — si ita loqui fas est — connotat terminum *a quo*, illumque implicite includit. Si Christus dolores nostros in se suscepit; ergo illos a nobis abstulit. In utraque explicatione habetur, ut patet, sensus *consequens*.

2) *Sententiae, quae ad aliquam doctrinam confirmandam adducuntur.*

144. *a*) Certum est hagiographos nonnumquam cogitationes proprias verbis S. Scripturae exprimere, vel doctrinam aliquam

(1) Quae quidem praemissa hic est: Atqui tempore Domini nostri Iudaei eodem modo peccabant ac tempore Isaiae. Cf. supra n. 80.

sententiis a S. Scriptura desumptis *illustrare*. Ita ex. gr. S. Paulus (Rom. 10,18) praedicationem apostolorum in universum orbem pulchre exprimit verbis Ps. 18,5 « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum », quae quidem in Ps. dicuntur poetico modo de caelis enarrantibus gloriam Dei. Patet Apostolum meram facere *accommodationem* (1). De hac re hic non agimus; sed de illis tantum locis, ubi hagiographus doctrinam *argumento biblico firmat*.

b) Cum hoc praestat, duo sunt animadvertenda: 1) Certum est illum intendere verum S. Scripturae sensum tradere; nam aliter nullum daretur argumentum biblicum. In hoc sensu tradendo hagiographus falli non potest; argumentum enim proferre tamquam biblicum, cum revera non sit, error est certe dicendum. 2) Praeterea, argumentatio non tantum ex sensu litterali atque ex sensu typico, sed etiam — latiori tamen modo — ex sensu *consequenti* fieri potest; cf. supra n. **78. 80**.

c) Num auctor sacer *veram* ac proprie dictam *argumentationem* an tantum *accommodationem* instituere velit non semper patet (2). Nonnullos textus, ubi specialis habetur difficultas, exempli instar, ad trutinam revocabimus:

145. α) In ep. ad Hebr. 1, 7-8 legitur: « Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis; ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi ». S. Paulus vult probare Christum angelis superiorem esse; atque inter alia argumenta videtur hoc adducere, nempe *angelos* esse tantum *spiritus* mutabiles; Filium, contra, esse Deum immutabilem. Nunc vero, in Ps. 103 (104), 4, unde illa verba de angelis desumuntur, vocabulum *spiritus* (πνεύματα רוחות), si ad contextam orationem attenditur, non aliud videtur significare quam *ventos* (cf. Ps. 148, 8), qui poetice describuntur tamquam nuntii a Deo missi. Unde forsan concluserit quis S. Paulum, non quidem illustrando sed *arguendo*, verba Scripturae ad sensum detorquere a vero sensu alienum.

---

(1) Idem alias facit licet formula utatur: « sicut scriptum est »: καθὼς γέγραπται; cf. Rom. 15, 21; 2 Cor. 8, 15 etc.

(2) Cf. Rom. 10, 5-11, ubi Apostolus applicat legi evangelicae illud quod Moyses videtur dixisse de lege antiqua (Deut. 30, 11-14). Cornely (*Ep. ad Rom., in loc.*), Prat (*La théol. de S. Paul*, v. 1[11] p. 25) et alii bene multi — quos vide apud Cornely — tenent agi de *mera accommodatione;* dum alii plures, praesertim antiquiores, ad quos inclinat etiam Lagrange (*Ep. aux Rom., in loc.*) exsistimant haberi *argumentationem*.

Plures interpretes (Steenkiste, Drach, Fillion etc.) vertunt Ps. 103, 4: « Qui angelos suos facit veloces tamquam ventos », quae quidem interpretatio plane concordat versioni graecae. At vocabulum *angeli* non videtur ibi significare illas substantias spirituales, quae circumdant thronum Dei, sed *nuntios*, idque dici de ventis. Quare praeferenda est explanatio Knabenbauer, *in Psalmos*, et Pesch, *De inspir.* n. 449 nota 1: Nulli umquam angelorum datum est nomen *Filii*, nomen *Dei;* contra, nomen *angeli* datur etiam ventis: Christus igitur vel ex solo nomine superior est angelis. Illud autem « *ad angelos* quidem dicit » minime intellegendum est de allocutione directa, sed interpretandum: « *ad angelos quod attinet*, dicit ».

β) In ep. ad Eph. 4,7 dicitur: « Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi », et statim additur: « Propter quod (διὸ) dicit (Scriptura): " Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit (ἔδωκε) dona hominibus " » (v. 8). Iamvero, in Ps. 67 (68), 19, unde haec verba allegantur, non habetur *dedit*, sed *accepisti* (לקחתה), quae quidem lectio omnino convenit contextui; nam Deus poetice describitur tamquam triumphator, qui secum portat spolia belli et *accipit* dona ab hominibus, vel dona, quae sunt ipsi homines; i. e. traduntur illi adversarii debellati.

Variae propositae fuerunt solutiones: 1) Christus accepit dona a Patre pro hominibus, i. e. ut *daret* hominibus (Corn. a Lap., *in ep. ad Eph.*); 2) Hominibus, qui a Christo accepti sunt, ipsa hac acceptione collata sunt dona (Knab., *in ep. ad Eph.*); 3) Verbum לקח sensu praegnante significat aliquando *dare*, ex. gr. in 3 Reg. 17, 10; Gen. 15, 9; 18.5; 27, 9 etc., atque ita interpretatus est Targum, יהבתא dedisti. Hae solutiones, imprimis altera et tertia, suam habent probabilitatem (1).

Alia exempla brevitatis causa mittimus.

3) *Citationes desumptae ex aliqua versione (LXX), quae a textu primigenio videatur recedere.*

146. Scriptores N. T. saepe citant V. T. iuxta versionem LXX (2). Intenduntne illam lectionem tradere ut genuinam, *textui primigenio* respondentem; an potius in *auctoritate versionis* ita sistunt, ut eorum mens in hanc, non in illum feratur?

a) Qui sententiam biblicam ex versione citat eo consilio, ut *argumentum proprie scripturisticum* faciat, ille certe implicite asserit vel supponit lectionem propositam pertinere ad S. Scripturam; si enim sciret rem aliter se habere, illam procul dubio minime adduceret.

---

(1) Alias explanationes vide apud *Corn. a Lap.*, l. c. Cf. de hac re S. Augustinum, *De Trinitate* 15, 19 *PL* 42, 1084.

(2) Cf. Corn., *Introd.* 1, p. 68-71, et supra lib. III n. 62.

b) Non tamen necesse est, ut huiusmodi lectio in omnibus etiam minutissimis cum textu primigenio concordet, sed tantum in iis, quae ad propositum auctoris faciunt, quaeque necessaria sunt ad argumentum scripturisticum constituendum.

c) Si vero auctor lectionem adducit ad *illustrandum*, ita ut meram faciat accommodationem, iure censetur nolle ne implicite quidem asserere lectionem illam cum textu primigenio concordare; nam, licet ab hoc recedat, optime tamen inservit ad finem, quem auctor sibi proponit.

d) Huiusmodi principia applicare possumus et debemus scriptoribus N. T., haec duo prae oculis semper habentes: num proprie *arguant*, an potius *illustrent;* deinde, si quod est discrimen inter versionem et textum primigenium, num agatur de re *principali* an de *adiunctis*, quae ad argumentationem indifferentia sunt (1).

3. — Quaenam est mens hagiographi in etymologiis citandis?

147. Ad citationes explicitas quodammodo revocatur quaedam textuum categoria, ubi nempe etymologia nominis, sive personae sive loci, traditur. Cum huiusmodi etymologiae non videantur omnibus interpretibus scientifice accuratae, iuvat breviter exponere quaenam fuerit in illis tradendis hagiographi mens.

1) Non est hagiographus qui nomen imponat, sed nomen dicitur fuisse ab alio impositum; neque dicit hagiographus exsistere nexum stricte philologicum inter nomen et factum propter quod imponitur (2); cf. Gen. 16, 11 (Ismael); 21, 31; 26, 33 (Bersabee); 31, 47 (tumulus testis); 29, 32. 33. 34. 35; 30, 6. 8. 11. 13. 18. 20. 24 (filii Iacob); Ex. 2, 10 (Moyses); 15, 23 (Mara); 1 Reg. 1, 20 (Samuel) etc. De Hebr. 7, 2 (Melchisedech) hic non agimus.

2) Proinde, si etymologia non est scientifice accurata (3), id tribuendum est non auctori sacro, qui nullum de hac re expressit iudicium, sed iis, qui nomen imposuerunt. Fieri potest, ut hi attenderent in nomine imponendo ad aliquod adiunctum mere externum, puta sonum, eo consilio ut nomen auditum revocaret in memoriam ipsum factum.

---

(1) Vide plura apud Pesch, *De inspir.* n. 536 s., ubi res exemplis illustratur, imprimis illo notissimo de nomine *Cainan*, quod ponitur a Lc. 3,36 inter Sale et Arphaxad, desiderari autem videtur in Gen. 11, 12.

(2) In Gen. 19, 38 lectio Vulg. videtur contradicere: sed cf. TM.

(3) Cf *Fr. M. Th. Böhl, *Wortspiele im alten Testament*, in *The Journal of the Palestine Oriental Society*, 1926, fasc. 4, p. 196-212.

3) Contra, affirmatio auctoris fertur in nominis *impositionem*, et in *factum* seu *rationem* cur impositum fuit. Quare haec vera sint oportet. Quod si quis contrarium contenderet (1), probare solidis argumentis deberet hagiographum noluisse illa affirmare.

II. — Citationes implicitae (2)

148. Duplex de illis quaestio solvenda: 1) *An dentur?* 2) *An auctor ea, quae citat, sua faciat?*

De utraque P. Comm. Bibl. decretum die 13 Februarii 1905 edidit:

« Utrum ad enodandas difficultates quae occurrunt in nonnullis S. Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat Exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius adserta omnia auctor inspiratus minime adprobare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt?

Negative, excepto casu in quo, salvis sensu ac iudicio Ecclesiae, solidis argumentis probetur: 1. Hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2. eadem nec probare, nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui » (Denz.-B. n. 1979).

Iuxta huiusmodi decretum haec sunt tenenda:

1) Cum P. C. B. respondeat citationes implicitas, si quaedam adsint condiciones, a catholico exegeta admitti posse, iure conclu-

(1) A. Schulz, *Bibl. Zeits.* 7 (1909) 153 ss, deprehendit errorem in etymologia nominis *Haceldama* (ager sanguinis), quippe quae in Mt. 27, 6-8 ducatur a sanguine *Christi*, in Act. 1, 18-19 a sanguine *Iudae*. — Resp. 1) Etiam in Act. etymologia ducitur probabilissime a sanguine Christi (« Et hic [Iudas] possedit agrum [χωρίον] de mercede iniquitatis », i. e. pretio, quod Iudas acceperat pro sanguine *Christi*. « Ita ut appellaretur ager ille [τὸ χωρίον ἐκεῖνο] »). Ita sentiunt Sánchez, Belser, Camerlynck, Knabenbauer, *in loc.* 2) Licet etymologia duceretur in Act. a sanguine Iudae, nulla tamen inter Mt. et Lc. daretur contradictio. Nomen *Haceldama*, impositum propter sanguinem Christi (« emerunt ex illis [argenteis, pretio sanguinis Christi] agrum figuli », Mt. 27, 7), alii deinde interpretati sunt de sanguine Iudae (« et difusa sunt omnia viscera eius », Act. 1, 18). Verum omnino esset, propter utramque rationem locum illum fuisse vocatum *ager sanguinis*. Inde patet quam perperam concludat Schulz, l. c. p. 154, unam ex duabus sententiis non esse obiective veram.

(2) Pro **bibliographia** cf. supra n. **136**. Ibi etiam definitio cit. implic.

ditur tales citationes *dari posse*, ac proinde ex natura sua inspirationi non repugnare (1).

2) *Exsistentia* autem earum non est a priori ponenda, sed solidis argumentis probanda.

3) Quoniam vero ex eo solo quod quis documenta citet minime sequitur eum illa non probare, dicendum est auctorem huiusmodi documenta *vere sua facere, nisi contrarium solide demonstretur* (2).

4) Ratio est ubicumque habenda *sensus ac iudicii Ecclesiae*, ita ut illa semper salva maneant.

Haec quam sapienter ac prudenter stabilita sint facile quisque videt et ex sequentibus clarius patebit.

1. — De exsistentia citationum implicitarum

149. Ex ipso contextu vel ex comparatione locorum, qui paralleli dicuntur, exsistentia citationis implicitae non semel manifeste apparet. Ita ex. gr. cum in 2 Par. 5, 9 dicatur: « Fuit igitur arca (3) Dei ibi (in sanctuario) usque in praesentem diem », patet auctorem transcripsisse documentum praeexsilicum, scriptum quando templum adhuc exstabat, cum proinde vere dici poterat *usque in praesentem diem;* nam quo tempore libri Paralipomenon conscripti sunt, nempe post exsilium, sanctuarium non amplius exsistebat. Ex Is. 36-39 collato cum 4 Reg. 18-20, ubi eadem habetur narratio, recte concludimus unum auctorem ab alio illam esse mutuatum (4). Nullum igitur est dubium quin solida inveniantur argumenta,

---

(1) Hoc *videtur* negare Schiffini, *Divinitas Scripturarum* p. 162 ss. Sed re vera ipse loquitur non de citationibus tacitis in genere, sed de illis, quas auctor suas non faciat, quin tamen ullum praebeat suae mentis indicium. Idem dicas de Card. Billot, *De inspiratione...* p. 148 ss.

(2) Errat Bonaccorsi (*Quest. bibl.* p. 122 nota 1; p. 116 nota 1), qui oppositum statuit principium, scil. sumendum esse, auctorem *non* probare citata implicita, nisi contrarium demonstretur.

(3) Argumentum non ducitur ex vocabulo *arca*, quod non est authenticum (exsulat a TM et a LXX: subiectum verbi est potius *vectes*, « ...qui et fuerunt ibi... » 3 Reg. 8, 8), sed ex eo quod tunc exstiterit *templum*.

(4) Plures alii possent adduci loci paralleli, praesertim ex libris Par., si conferantur cum libris Reg.; cf. ex. gr. 2 Par. 18: 3 Reg. 22. Probabile est etiam plures genealogias esse citationes ex aliquo documento desumptas; ita ex. gr. in 1 Par. 1-9, ubi certe auctor non videtur genealogias (c. 1-8) et nominum catalogos (c. 9) tunc primum texuisse, sed aliunde transcripsisse.

quibus citationum implicitarum *exsistentia* in nonnullis locis S. Scripturae demonstretur. At cavendum est ne illae plus aequo multiplicentur (1).

2. — De mente auctoris in citatione implicita facienda

150. Difficilior est quaestio de **mente auctoris** in citatione facienda.

1) Illud imprimis excludendum est, auctorem, cum documenta citat, nihil *directe* intendere aliud nisi convenientiam suae narrationis cum illis documentis (2). Etenim historiographus, ex sua ipsius natura, tamquam obiectum directum sibi proponit veritatem historicam tradere; haec proinde mens *semper in illo supponenda est*, nisi contrarium solidis argumentis probetur.

2) Varia adducuntur argumenta ad probandum auctores sacros saepe non facere sua ea, quae implicite citant. Dicitur nempe *a*) plura inveniri in libris sacris *duplicata* (3), seu narrationes eiusdem facti historici, convenientes in asserenda substantia facti, diversas autem, aut etiam sibi contradicentes (4) quoad circumstantias; *b*) multas *antilogias* (5) in numeris et in nominibus genealogiarum; unde concludunt *c*) errores formales in libro inspirato esse agnoscendos, vel dicendum auctores sacros saepe adhibuisse documenta, quae non in omnibus probarent (6); idque confirmant asserentes *d*) hunc scribendi

---

(1) Indebitam citationum implicitarum extensionem reprehendunt PIUS X in encycl. *Pascendi:* « Quod cum affirmant (sc. modernistae) magis eos crederes orthodoxos quam recentiores alios, qui inspirationem aliquantum coangustant ut, exempli causa, cum *tacitas* sic dictas *citationes* invehunt » (Denz.-B. n. 2090), et BENEDICTUS XV in encycl. *Spir. Par.:* « In quos (scilicet Scripturae sanctae obtrectatores) Hieronymus, si adhuc viveret, utique acerrima illa sermonis sui tela coniceret, quod, sensu et iudicio Ecclesiae posthabito, nimis facile ad citationes quas vocant implicitas... confugiunt » (*Acta Ap. S.* 12 [1920] 397). Tales citationes perperam ponuntur a Bonaccorsi, l. c. p. 122 nota 1, in integra vel magna parte historiae biblicae.

(2) Ita HUM.: « Historiographus hebraicus quaerit *perfectionem historiae popularis in conformitate suae narrationis cum annalibus* » (*Exegetisches...* p. 61).

(3) Cf. A. SCHULZ, *Doppelberichte im Pentateuch*, in *Bibl. Stud.* 13 (1908).

(4) Etiamsi nulla habeatur contradictio, sunt tamen *duplicata;* sed huiusmodi duplicata ad argumentum non faciunt, cum auctor ea, quae in utraque narratione inveniuntur, potuerit affirmare.

(5) Cf. 4 Reg. 9, 29: 8, 25; 8, 16: 1, 17 Esd. 2: Neh. 7 in PRAT, *La Bible...* p. 51 s.

(6) PRAT, *La Bible...* p. 48 nota 2; cf. LAGRANGE, *Rev. Bibl.* 1897 p. 370 s.

modum in usu fuisse apud *historiographos orientales* (1), immo aliquando etiam apud occidentales.

Ad haec respondendum:

a) Ea, quae a multis dicuntur *duplicata*, ab aliis et sane optimis interpretibus tamquam narrationes habentur eventuum vere diversorum; et ubi multi documenta diversa in una eademque narratione inveniunt, alii nullum talis diversitatis indicium deprehendunt (2). *b*) Sacros codices in multis fuisse corruptos non est quidem leviter affirmandum; haec enim ratio tuendi veritatem S. Scripturae nec scientifica nec prudens esset, quippe quae integrum textum redderet incertum. Attamen nemo certe negabit numeros et genealogias corruptioni esse maxime obnoxia (3): aliqua est igitur ratio specialis cur diversitas, quae in his deprehenditur, neglegentiae scribarum tribuatur. *c*) Certum est non fore approbatione dignum, neque ab omni immunem errore historiographum, qui, absque ulla distinctione sive ex ipsa rei natura sive ab ipso facta, cum documentis ab ipso probatis alia misceret documenta, quae ipse minime sua faceret; error autem ab hagiographo est penitus excludendus. *d*) Si scriptores exstiterunt orientales vel occidentales, qui id praestiterint, dicendi sunt rationem tenuisse scribendi historiam non solum imperfectam sed prorsus erroneam. Ceterum argumentum ductum ex ratione agendi scriptorum orien-

---

(1) Bonaccorsi, l. c. p. 114 ss.

(2) Liceat unum ex multis adducere exemplum, c. 4 Iud. In hac narratione permulti auctores protestantes (Wellhausen, Stade, Budde, Nowack, Moore, Burney, Gautier etc.) deprehendunt plures inconcinnitates, immo et contradictiones, quas ut explicent appellant ad criticam litterariam, inducentes duo documenta sibi invicem parallela, quorum in alio dux Chananaeorum exhibetur *Iabin*, in alio vero *Sisara*, aliis differentiis minoris momenti omissis. — Iam, pace horum criticorum, nulla omnino est ratio inducendi duo documenta parallela: integra narratio est una, eiusque partes optime inter se cohaerent. Si placet, cf. *Biblica* 1 (1920) 191-195, ubi argumenta pro hac assertione proponuntur, cum non sit huius loci disputationem de hac re instituere.

Saepe potest apparens contradictio ex eo procedere quod textus sit corruptus, vel quod nos verum sensum non percipiamus, vel quod adiuncta quaedam desint, quae si noverimus, omnis contradictionis umbra evanesceret. De *duplicatis*, quae dicuntur, in Genesi cf. A. Allgeier, *Ueber Doppelberichte in der Genesis*, Freiburg 1911 (*Freiburger theologische Studien*, drittes Heft), ubi auctor ad trutinam revocat opus A. Schulz, *Doppelberichte im Pentateuch*.

(3) Multis aliis omissis cf. Esd. 8 ubi videntur e textu excidisse nomina *Zattu* in v. 5 et *Bani* in v. 10; 1 Par. 7, 20-21 ubi Hum. (*in loc.*) tria nomina delet; quae quidem exempla possent multiplicari.

talium pertinet potius ad ea, quae superius n. **128** ss. diximus de historia antiqua et orientali.

3) Sententia igitur plurium recentiorum de citationibus implicitis prorsus reiecta, nihil restat nisi ut, sapienti decreto Commissionis Bibl. obsequentes, casus singulos, cum occasio se offert, ad trutinam revocemus, ut dignoscamus num duplex condicio ab ipsa proposita vere habeatur. Solida vero argumenta petere licet, ut cuique patet, ex iis, quae in textu continentur, ex indole ipsa narrationis atque ex ratione, qua viri prudentes communiter agunt. In illis tamen duabus condicionibus asserendis, cum agatur de re adeo difficili, ubi rationes fucatae pro solidis argumentis facile sumi possunt, magna est adhibenda cautela. Neque obliviscendum methodum fore minime scientificam ad citationes implicitas, cum aliqua obstrusior occurrit difficultas, tamquam ad remedium quoddam universale confugere.

151. Scholion. — Ex iis, quae diximus, satis patet in quo vertatur cardo totius controversiae, quae hodieque inter catholicos de citationibus implicitis agitatur. Praeter paucos (1) qui aliter sentiunt, omnes (2) in eo conveniunt citationes implicitas *non esse a priori et absque solidis argumentis admittendas;* in eo vero dissentiunt quod dum alii *tamquam solida argumenta invocant tum rationem agendi, quam dicunt propriam historiographorum antiquiorum, imprimis orientalium, tum frequentes antilogias* (3), *quas ipsi in S. Scriptura deprehendere sibi videntur;* alii, contra, huiusmodi argumenta vel *nulla* vel certe *insufficientia esse affirmant* (4). Iam, cum tota vis argumenti, quod ab antilogiis ducitur, ab accurata et minutissima singularum pericoparum exegesi pendeat, ubi tot

---

(1) Cf. n. **148** nota 3.

(2) Etiam expressis verbis PRAT, *Études* 93 (1902 IV) 620 s. (cf. *Civ. Catt.* 1919 I p. 366); et DURAND, *Rev. du Clergé Fr.* 33 (1902-03 I) 21 s.

(3) Nisi adstruantur in S. Scriptura citationes implicitae, errores in illa sunt admittendi. Ita PRAT, *La Bible...* p. 48 nota 2, qui, licet principium teneat a P. C. B. positum, scil. citata implicita non esse absque solidis argumentis admittenda, videtur vim argumentorum nimis facile admittere, et exsistentiam citationum implicitarum plus iusto extendere. Ceterum illud argumentum multi haud immerito tamquam merum effugium habebunt.

(4) Ita cum multis aliis PESCH, *De inspir.* n. 534 s.

semper fuerunt et sunt sententiae; patet admodum difficile ex ipsa rei natura esse, ut unanime iudicium de vi et efficacia illius argumenti apud interpretes aliquando exsistat. Inde fit, ut, in praxi, theoria citationum implicitarum parvae admodum et fere nullius sit utilitatis pro scopo ad quem inducta fuit, scil. ad difficultates S. Scripturae solvendas (1). Illud principium religiose sancteque semper servandum, videlicet S. Scripturam ab omni vel minimo errore, neque nomine tantum sed re, penitus esse immunem.

§ 3. — Genus didacticum

152. Hoc genus nullam prae se fert difficultatem sibi propriam. Certe liber *Ecclesiastes* non facilem habet interpretationem, et multa inveniuntur obscura in libro *Proverbiorum;* hoc tamen pendet non ab indole generis litterarii, sed ab ipso argumento et ceteris adiunctis huiusmodi librorum.

Aliter dicendum quando genus didacticum cum aliis generibus litterariis, historico nempe ac poetico intermixtum invenitur; inde enim quaedam exoriri facile potest incertitudo quid auctor in singulis particulis libri re vera tradere voluerit. Exemplum habes in libro *Iob:* Omnes communiter admittunt hunc librum esse *didacticum;* in illo haberi elementum quoddam *historicum,* et multa proponi modo *poetico.* Adde doctrinam tradi per modum disputationis, ubi plures propriam dicunt sententiam. Ex his novum quasi genus litterarium efficitur, ubi non semper licet singula elementa cum certitudine ab invicem discernere. Quid auctor libri docere intenderit, concludamus oportet ex fine quem ipse sibi praestituit, atque ex verbis ipsius Dei, qui loquens inducitur. Auctor problema proponit, de quo fit disputatio, quodque ipse solvit (2). Quidquid igitur cum auctoris solutione convenit, ab illo certe, ac proinde ab ipso Deo probatur. Praeterea Deus de iis, quae a Iob et illius amicis dicta sunt suum exprimit iudicium (38, 2; 42, 7-8), quod tamen, utpote indolis generalioris, non omne tollit dubium.

---

(1) Nam, si ad illas multiplicandas adducatur ratio agendi scriptorum orientalium, inciditur in aliam quaestionem de historia antiqua et liberiori.

(2) Difficultas tamen est in hac solutione auctoris recte definienda. Cf. de integra re Cornely, *Introd.* II 2, p. 67-71, qui bene simul ac breviter hanc quaestionem tractat.

§ 4. — GENUS POETICUM

153. Quaedam poetis, etiam in eventibus historicis describendis, conceditur libertas. Multa inserviunt ad ornatum, multa ad sensus animi ciendos; unde non sunt omnia interpretanda eadem ratione ac in genere historico. Hoc principium ita universim propositum indubium est atque ab omnibus admissum. Cum vero de re particulari agitur, non semper statim apparet quid sit *conceptus* ab auctore expressus, quid *mera ratio* conceptum poetice exprimendi (cf. supra n. **125**).

Ita in psalmis historicis (1) et in libris propheticis non facile forsan poterit de nonnullis adiunctis cum certitudine definiri, num a psalmista posita sint tamquam historica, an potius tamquam ornatus poeticus descriptionis. Videndum erit num huiusmodi adiuncta in libris historicis inveniantur; num intentio auctoris feratur in singulas res particulares, vel potius in ideam modo magis concreto ac poetico exprimendam; uno verbo, an ratio ipsa dicendi mentem auctoris sufficienter indicet.

Exemplo sit Is. 10, 28-34. Propheta praedicit regis Sennacherib invasionem, victorias et tandem ruinam: adest igitur vera prophetia, quae apprime adimpleta fuit (cf. Is. 36-37). Sed descriptio itineris cum nominibus singularum urbium (Machmas, Gaba, Rama etc.), pertinet ad *rationem dicendi poeticam*. Unde ex eo quod deinde exercitus Assyriorum non e plaga septentrionali, ubi sunt illae urbes positae, sed ab occidente in Ierusalem venerit (Is. 36, 2), non licet arguere Isaiam deceptum fuisse; non enim intendebat praenuntiare quo itinere invasio facienda erat, sed articulata itineris descriptione invasionem praenuntiatam *poetico* ac vividiori modo proponere. In hac igitur pericopa — quae minime dicenda est mera fictio poetica — duo habentur elementa: propheticum et poeticum, quae ab interprete accurate distinguenda sunt (2).

§ 5. — GENUS PROPHETICUM

154. Illud praetermittimus de eloquentia, parallelismo, figuris, obscuritate prophetarum, ut duo tantum breviter commemoremus:

(1) Nonnulla in illis esse poetice, absque ulla tamen falsitatis labe, descripta omnes concedunt: « Neque quisquam, qui recte sapit, psalmos falsitatis arguet, si res gestae populi israelitici in iis poetice exornantur, neque ex locutionibus poeticis argumentabitur quasi ex dictis stricte historicis » (PESCH, *De inspir.* n. 494).

(2) Cf. KNAB.-ZORELL, *Com. in Is.*[2], v. 1, p. 291-294; G. DALMAN, *Palästinische Wege und die Bedrohung Jerusalems nach Isaja* 10, in *Palästinajahrbuch* 12 (1916) 37-57; A. CONDAMIN, *Prophétisme israélite*, in *Dict. Apol.* 4, 417 s.; CORN., *Introd.* II 2, p. 305.

1) *Res futurae saepe a prophetis tamquam praesentes vel etiam praeteritae nobis exhibentur*; unde apud grammaticos denominatio *perfecti prophetici* (1), cum ad significandos eventus futuros adhibeatur perfectum loco imperfecti. Causa huiusmodi usus loquendi quaerenda est non tam in firma persuasione prophetis insita, quod res certo fieret, quam in *modo* quo eventus futuri ipsis ostendebantur. « Mos enim hic est prophetarum omnium, de nondum factis ut de factis loqui. Quia enim mentalibus oculis videbant quae post multorum annorum curricula erant futura, idcirco quasi nunc ob oculos posita spectarent, ita cuncta narrabant » (S. Chrysostomus, *in cap.* 1 *Gen.*, hom. 10, 4 *PG* 53, 85) (2). Rem exprimebant ut illam conspiciebant, nempe *praesentem* (3).

2) *Duo interdum eventus tempore ab invicem remoti, sed natura inter se connexi, simul describuntur*, ita ut videantur eodem tempore adimpletum iri. Ita ex. gr. cum Isaias (40 ss.) coniungit *destructionem Babylonis, reditum exsulum, aetatem messianicam* (cf. supra n. 95). Id vero pendet ex ea causa, quam diximus, videlicet: propheta describebat illos eventus, prout ipsi conspiciendi proponebantur (4).

§ 6. — Varia alia genera dicendi: Pseudonymia, Allegoria, Parabola, Symbolum

155. Pseudonymia est *fictio quaedam litteraria, qua liber tribuitur auctori cuius re vera non est.* Huiusmodi scribendi genus dari potest in S. Scriptura, dummodo nullum secum ferat mendacium et lectores in errorem non inducat, scil. si sufficientia adsint indicia auctorem pseudonymia uti. Cf. Pesch, *De inspir.* n. 491.

---

(1) Cf. P. Joüon, *Grammaire de l'Hébreu biblique*, Rome 1923, § 112 h.

(2) Cf. Cornely, *Introd.* II 2, p. 295 ss.

(3) Liceat unum adhibere exemplum. Isaias 9, 2 (hebr. v. 1) haec habet iuxta Vulg.: « Populus qui ambulabat in tenebris, *vidit* lucem magnam: habitantibus in regione umbrae mortis, lux *orta est* eis ». Huic prophetae visioni non apprime respondet versio Crampon (*La Sainte Bible*); qui adhibet futurum (*videbit... splendebit* lux). Rectius Condamin (*Le livre d'Isaïe*) cum Vulgata vertit per praeteritum (*vidit...* lux *splenduit* eis). Sed forsan melius adhuc per tempus praesens diceretur (cum Riessler, *Die heil. Schrift des A. B.*): *videt* lucem magnam. . lux *splendet* eis.

(4) Cf. Pesch, *De inspir.* n. 494; Corn., *Introd.* II 2, p. 298-301; Durand, *Dict. Apol.* 2, 784. Plura de hac re dicentur in introd. spec. ad libros propheticos.

Haec autem indicia habentur, si talis fictio litteraria erat communiter nota et usu recepta, atque adiuncta libri erant eiusmodi, ut lectores facile possent ex illis dignoscere ibi haberi non verum auctoris nomen sed pseudonymum. Utrum detur in sacris Litteris usus pseudonymorum nostrum non est indagare. Communiter admittitur in *Sapientia Salomonis*, ubi videtur prima persona loqui ipse Salomon (7, 1 ss.; 9, 7 s.).

156. Allegoria est *metaphora continuata* (non *series* plurium metaphorarum, sed plus minusve longa de *eadem re* metaphorae *explicatio* et *continuatio*). Inde iam patet verba in allegoria sensu accipi *translato*. Quod si omnia omnino, habetur allegoria *pura* (ex. gr. Is. 5, 1-6); si vero nonnulla sensu proprio interserantur, allegoria *mixta* (ex. gr. Ioh. 15, 1-6; Ps. 79 [80], 9-19). Ut quis definiat quaenam sensu translato, quaenam sensu proprio accipienda sint, rationem habeat oportet non solum contextus proximi et remoti, sed etiam traditionis ecclesiasticae. Ita ex. gr. in interpretandis prioribus capitibus Genesis nefas est negligere quid senserint Patres de ratione qua Eva formata est, de indole arboris in medio paradiso positae etc., num haec sensu translato an proprio intellexerint. Cf. decr. P. C. B. 30 Iunii 1909 de primis cap. Genesis (DENZ.-B. n. 2121 ss.).

Ut plurimum, satis per se patet quid per allegoriam auctor significare velit; nonnumquam tamen ipse illud declarat, ex. gr. in Is. 5, 7: « *Vinea* enim Domini exercituum *domus Israel* est » (1).

157. Parabola (2) est *dictum in se completum, sensu obvio et proprio acceptum, per quod aliud diversum intellegitur;* seu *narratio*

---

(1) Minime confundenda est allegoria cum *sensu* sic dicto *allegorico;* hac enim denominatione indicatur *argumentum* quoddam speciale, vel etiam sensus mere *accommodatus*: contra, sensus metaphoricus allegoriae non restringitur ad argumentum speciale, et est sensus vere *litteralis*. Cf. quae diximus n. 67.

(2) Cf. P. D. BUZY, *Introduction aux Paraboles Evangéliques*, Paris 1912. Opus optimum, ubi auctor omnes quaestiones lucide, erudite, solide tractat. P. Leop. FONCK, *Die Parabeln des Herrn im Evangelium*[3], Innsbruck 1909. In introductione p. 3-66 optime agit de quaestionibus generalibus. (Versio anglica, New York 1915. Versio itala, Roma 1924). P. MANUEL SAINZ, *Las Parábolas del Evangelio y el Reino de Jesucristo que es la Iglesia*, Bilbao 1915. Quaestiones generaliores tractat in p. 3-53. 655-672. P. I. LAGRANGE, *La Parabole en dehors de l'Evangile*, in *Rev. Bibl.* 1909 p. 198-212. 342-367; *Le but des Paraboles d'après l'Evangile selon*

plus minusve producta (1), *qua per similitudinem veritas illustratur, cuiusque vocabula sensu proprio communiter accipiuntur.* Inde patet qua ratione parabola distinguatur ab *allegoria:* haec innititur in *metaphora*, vel potius ipsa est metaphora continuata, quae *directe* et *immediate* obiectum significatum attingit; contra, parabola innititur in *similitudine*, vel potius ipsa est similitudo continuata, quae *indirecte* et *mediate* obiectum illustratum attingit, quatenus nempe huiusmodi obiectum conspicitur in parabola. Aliis verbis, in parabola duo habentur termini, quorum alter *ex comparatione* cum altero illustratur.

Hoc discrimine certe efficitur, ut una eademque narratio nequeat esse parabola simul et allegoria; at minime impeditur quominus elementa quaedam allegorica in parabola interserantur.

In V. T. παραβολή respondet communiter voci hebraicae *mašal*, quae multiplicem induit sensum. Saepe idem valet ac *proverbium*, quo in casu agitur ut plurimum de parabola, ex. gr. *Num et Saul inter prophetas?* (1 Reg. 10, 12); *Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt* (Ez. 18, 2); non tamen semper, ut in Ez. 12, 22, ubi sententia: *In longum differentur dies, et peribit omnis visio* non est parabola, licet vocetur *mašal*. Plures inveniuntur in V. T. parabolae longiores, quae non designantur nomine *mašal*, ex. gr. illa, quam regi David proposuit Nathan (2 Reg. 12, 1-4). Num variae acceptiones vocabuli *mašal* revocari possint ad notionem *similitudinis* disputatur (cf. Buzy, l. c. p. 60 s.).

158. At *quo modo genuinum parabolarum sensum attingemus?* In parabola duplex considerandum est obiectum: *significativum*, quod est quasi cortex, quodque sensu obvio apparet; et *significatum*, quod est quasi medulla, quodque auctor parabolae re vera intendit (2). Ut primum cognoscamus ratio habenda est philologiae, archaeologiae, geographiae etc.; quid sit ex. gr. zizania, quinam

---

Saint Marc, ibid. 1910 p. 5-35. Liber classicus est: P. Alphonsi Salmeronis, S. I. *Sermones in Parabolas Evangelicas totius anni*, 1612. In tribus primis tractatibus p. 1-25 agit de parabolis in genere. Inter protestantes nominandus est Adolf Jülicher, *Die Gleichnisreden Jesu*, Tübingen 1910. Ampliorem bibliogr. vide apud Fonck et Sainz. Cf. licet sub alio respectu P. Holzmeister, *Das Kontrastbild in der Bibel*, in *Zeits. für kath. Theol.* 48 (1924) 533-565; etiam * J. Hempel. *Jahwegleichnisse der israelitischen Propheten*, in *Zeits. f. alttest. Wiss.* 42 (1924) 74-104.

(1) Potest esse sententia brevissima: « Utique dicetis mihi hanc similitudinem (παραβολήν): *Medice, cura te ipsum* » (Lc. 4, 23).

(2) In parabola de seminatore (Mt. 13, 3-23) obiectum *significativum* est illud, quod solet facere seminator (v. 3-8); obiectum *significatum* est illud, quod accidit in iis, qui diversa animi dispositione verbum regni audiunt (v. 9-23).

fuerit in Palaestina modus seminandi et id genus alia. Ut alterum vero, investigandum imprimis quam *praecipuam veritatem* auctor illustrare voluerit, id quod facile e contextu proximo et remoto patet, locis parallelis inter se collatis; nonnumquam etiam ex ipsa declaratione Domini, ex. gr. in parabola de *seminatore* (Mt. 13, 18-23). Id cum semel definitum fuerit, *adiuncta particularia* ea ratione interpretemur oportet, quae scopo principali respondeat. His tamen adiunctis — cum aliquando non ad *significandum* adhibeantur, sed ad *ornandum* — non semper exprimitur veritas superior; unde quaerenda est in illis non *veritas illustranda*, sed *apta et humanior ratio* parabolam proponendi (1).

159. *Quaenam erit norma distinguendi adiuncta significantia ab adiunctis mere ornantibus?* Constat quibusdam adiunctis Dominum intendisse sensum specialem tribuere, ex. gr. in parabola de seminatore modo citata. Contra, numero *centum* ovium (Lc. 15, 4) non videtur aliud voluisse significare nisi *multitudinem*, adhibuit tamen numerum definitum, ut res vividius ob oculos poneretur. Discretione igitur utendum est. Cum adiunctum aliquod apprime convenit scopo principali, et veritatem, quae in parabola eminet, apte illustrat, iure declarabitur *significans:* cum vero nullus cum huiusmodi scopo et veritate nexus apparet, optime tamen inservit ad rem humaniori modo proponendam, dicetur mere *ornans*. Aliquando dubii haerebimus, ex. gr. cum in parabola de *filio prodigo* dicitur: « misit illum in villam suam, ut pasceret porcos, et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, et nemo illi dabat » (Lc. 15, 15 s.), dubitare licet num Dominus voluerit indicare tantum *extremam miseriam*, an non potius quaedam nomina (*porcos*, *siliquis*) consilio adhibuerit, ut aliquid speciale significaret.

---

(1) Nostrum non est hic quaestionem tractare *cur* Dominus in parabolis loquebatur (Mt. 13, 10-17; cf. Mc. 4, 12; Lc. 8, 10). In duas sibi invicem oppositas sententias abeunt interpretes, quorum alii tuentur thesim, quam vocant *iustitiae*; alii, quae dicitur *misericordiae*. Cf. de hac re auctores supra citatos, quibus adde: DURAND, *Pourquoi Jésus-Christ a parlé en paraboles*, in *Etudes* 107 (1906 II) 756-771; PRAT, *Nature et but des Parab. Evang.*, in *Etudes* 135 (1913 II) 198-213; G. MORTARI, *Perchè Gesù parlò in parabole?* Verona 1922 (brev. dissert. p. 43); HADR. SIMÓN. *Prael. Bibl.*: *Nov. Test.* v. 1, altera ed., Taurini 1924, p. 204-206, ubi tractatiunculam habet aeque lucidam ac brevem.

160. Ad **discrimen** quod attinet inter *parabolam* et *fabulam:*

1) Si de parabolis *evangelicis* agitur, praecipuum discrimen inter illas et fabulas, quae apud nos feruntur, in eo est quod fabulae *moralem mere naturalem*, parabolae, contra, *moralem* aut *veritatem* — saltem aliquo modo — *supernaturalem* semper illustrent.

Hoc tamen discrimen, cum attingat *argumentum* propositum non autem *modum* proponendi, non pertinet proprie ad rationem dicendi seu ad genus litterarium; quare non videtur ponendum tamquam differentia specifica inter fabulam et parabolam. Uno verbo, cum parabola constet duplici elemento, *significativo* et *significato*, discrimen in priori, non in altero habeatur oportet.

2) Si autem de discrimine quaeritur inter fabulam et parabolam *in genere*, in eo videtur altera ab altera distingui quod parabola *verisimilia*, a natura rerum desumpta proponit; fabula vero *non verisimilia*, immo impossibilia et absurda, cum et animantia et arbores saepe inducat loquentes (1).

Porro in hac sententia, character, quo parabola dicitur distingui a fabula, spectat elementum *significativum*, i. e. *modum proponendi*, unde fundamentum esse potest diversitatis generis litterarii: ex alia parte, certum est ex communi usu loquendi fabulam connotare aliquid *fabulosum*, non verisimile, atque id re vera obtinere apud Aesopum, Phaedrum, Iriarte, La Fontaine; minime vero parabolam. Neque obstat quod fabulae inveniantur apud laudatos auctores quae nihil absurdum, nihil non verisimile contineant; denominatio etenim desumitur ex iis, quae communiter contingunt; in his autem, quae pendent ab aestimatione et partim etiam ab ipso consensu hominum, non habentur saepe limites omnino definiti: inde fieri potest, ut quasdam fabulas, si seorsim sumantur, in genere litterario parabolarum comprehendere liceat. Cf. Buzy, l. c. p. 2-26.

161. Nomine **symboli** venit *res aut actio, quae per quamdam analogiam et similitudinem aliud repraesentat, cuius est signum.* Duplex etiam hic habetur elementum: *significativum* et *significatum.* Isaias, Deo iubente, pergit « *nudus* et *discalceatus* » (elementum significativum). « Sic minabit rex Assyriorum captivitatem Aegypti et transmigrationem Aethiopiae... *nudam* et *discalceatam* » (elemen-

(1) Ita non tantum apud auctores profanos, sed etiam in duabus solis fabulis, quae in S. Scriptura inveniuntur, nempe Iud. 9, 8-15 de *arboribus quaerentibus sibi regem*, et 4 Reg. 14, 9 (2 Par. 25, 18) de *carduo Libani, filiam cedri uxorem pro filio petente.*

tum significatum) (Is. 20, 2-4). Symbolum fundatur in similitudine ut parabola; sed ab hac distinguitur in eo quod elementum significativum *non est narratio*, sed res vel actio. Cf. etiam supra n. **75.**

Ad sensum inveniendum duo sunt consideranda: 1) ipsum *symbolum*; 2) *res symbolo significata.*

1) Investigandum num res vel actio fuerit vere *historica*, an in *visione* tantum proposita. Aliquando nullus est dubio locus. Actio Saulis *mittentis frustra boum in omnes terminos Israel* (1 Reg. 11, 7) est certe historica: contra, *campus plenus ossibus* et *circumductio Ezechielis* (Ez. 37) sunt tantum in visione proposita. Nonnumquam anceps haeret interpres: de *matrimonio* in Os. 1-3 et de *lumbari* in Jer. 13, 1-7 acriter disputatur utrum res fuerint reales, an prophetae a Deo in visione ostensae (1).

2) Deinde quaerendum *quid* per symbolum *significetur*, *qua* in *re* habeatur sensus a Deo intentus. Saepe Deus ipse symbolum explicat, ex gr. Is. 20, 3 s.; Ier. 1, 11 s.; 24, 1-10; Ez. 8; 12, 3-16. Cum vero declaratio deest, definienda significatio symboli e contextu proximo et remoto, e locis parallelis, unde apparebit quid Deus per illud symbolum velit docere; adiuncta vero particularia iuxta hunc praecipuum scopum sunt interpretanda, nonnulla autem non nimis sunt premenda: uno verbo, valent pro symbolis quae de parabolis diximus (n. **158** s.). Cf. BUZY, l. c. p. 22-32; CORN., Introd. II 2, p. 305.

Art. 5. — De mente auctoris in describendis propriis actibus internis (2)

162. ***Praen.*** – 1) Exegetae catholico minime permissum est asserere Apostolos, et universim auctores sacros, licet sub inspira-

---

(1) Vide criteria ad distinguendum a P. BUZY proposita in *Les symboles de l'Ancien Testament*, Paris 1923, p. 3-22. Cf. etiam A. CONDAMIN in *Dict. Apol.* 4, 415 s. qui prudenter animadvertit, ne quis nimia facilitate aliquid declaret impossibile, morum antiquorum et orientalium rationem esse habendam.

De matrimonio Oseae recentissime * A. ALLWOHN, *Die Ehe des Propheten Hosea* (cf. supra n. **101** nota 1); et paulo ante * K. BUDDE, *Theol. Studien und Kritiken* 1925 p. 1-89.

(2) Cf. SCHMID, *De Inspirationis Bibliorum vi et ratione* 1885 p. 149-177; CRETS, *De divina Bibliorum inspiratione* 1886 p. 181-190; DORSCH, *De inspiratione S. Scripturae*[2] p. 185-191: A. VANDER HEEREN, *De honestate, consectario inspirationis*, in *Collationes Brugenses* 26 (1926) 172-180. 346-358; *Dict. Apol.* 2, 763 s.

tione Spiritus Sancti nullum doceant errorem, proprios nihilominus humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit.

2) Omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto. Cf. decretum de *Parousia* a P. C. B. die 18 Iunii 1915 editum. (Denz-B. n. 2179 ss).

§ 1. — Mens scriptoris in **gradu certitudinis** exprimendo

Homines loquuntur aliquando *dubitanter* vel per *approximationem*, eo ipso ostendentes se non intendere certum de re omnino definita iudicium ferre. Eamdem non semel hagiographi mentem manifestant, ex gr. « Sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio » (2 Cor. 12, 2); « Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi nisi Crispum et Caium (1), ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem et Stephanae domum: ceterum *nescio si quem alium baptizaverim* » (1 Cor. 1, 14-16); « Capientes singulae metretas binas vel ternas » (Ioh. 2, 6); « Sexcenta *fere* millia peditum » (Ex. 12, 37); cf. Ioh. 6, 19; Act. 25, 6. Utrumque extremum *disiunctive* (*aut* unum *aut* alterum) asseritur ut certum; unum vero *prae* altero proponitur ut dubium, vel ut mere probabile (2). Patet singulas propositiones eo modo et eo gradu certitudinis esse intellegendas, quem auctor intendit.

§ 2. — Mens scriptoris in **propriis affectibus** manifestandis

163. Auctores sacri passim, praesertim vero in psalmis et libris prophetícis, multiplices promunt animi sensus: adorationis, laudis, admirationis, indignationis, poenitentiae, demissionis, imprecationis etc. Sententiae, quibus hi affectus exprimuntur, utpote sub charismate inspirationis scriptae, sunt certe verbum Dei. Hos tamen affectus non uno tantum modo hagiographus manifestat.

(1) Audacíus asserit A. Schulz (*Bibl. Zcits.* 7 [1909] 151 s.) Paulum in v. 14 errare, cum in v. 16 asserat se alios baptizasse, praeter Crispum et Caium. Porro variae totius periodi sententiae, cum non sint inter se independentes, explicari debent secundum totum complexum: v. 16 integrat et complet v. 14; et in complexu nullus error est.

(2) Si auctor sacer, licet absque formula dubitativa exprimente duo vel plura extrema, *clare* tamen *manifestaret* se aliquid non affirmando sed opinando tradere, illius propositio esset tantum probabilis.

1) Interdum loquitur de sensibus *olim* habitis, ex. gr. « quasi lugens et contristatus, sic humiliabar » (Ps. 34, 14); « Quia zelavi super iniquos » (Ps. 72, 3). Tunc nihil aliud intendit auctor nisi testari se tales affectus habuisse, i. e. affirmat illorum exsistentiam praeteritam, de indole vero eorum per se nihil dicit.

2) Interdum vero hagiographus affectus manifestat, quos habet *nunc* dum sub influxu inspirationis scribit. Etiam in hoc casu manifestatio sensus interni dupliciter fieri potest: *a*) Auctor exprimit *directe* ipsum affectum, ita ut verba scriptoris sint quasi *reproductio* verbalis ipsius actus interni, ex gr. cum Ieremias exclamat: « Vae mihi, mater mea! quare genuisti me? » (Ier. 15, 10); vel cum Paulus illa profert: « Utinam et abscindantur, qui vos conturbant » (Gal. 5, 12). In his adiunctis affectus manifestatus cadit sub inspiratione, ac proinde habetur in eo tum veritas tum bonitas moralis. *b*) Auctor exprimit *directe* non ipsum affectum, sed affectus exsistentiam actualem, ex gr. cum Ieremias ait: « Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt ossa mea » (Ier. 23,9), vel cum Paulus: « Veritatem dico in Christo... quoniam tristitia mihi magna est » (Rom. 9, 1 ss.) Cum ita loquuntur hagiographi, intendunt *testari* se illis affectibus actualiter affici. Tum vero solum haec attestatio seu manifestatio exsistentiae cadit sub inspiratione, non ipse affectus manifestatus. Quare attestationi debet necessario inesse veritas; affectus ipse posset per se (quantum ad inspirationem attinet), et re abstracte considerata, a morali bonitate deficere. Tamen, si rem in concreto inspiciamus, videtur difficile hagiographum exsistentiam affectus actualiter ab ipso habiti testari, quin eo ipso illum aliquomodo approbet, id quod certe cum inspiratione conciliari nequit.

Inspiratio non afficit affectum internum, sed affectus manifestationem scripto. Quare, cum dicimus quod affectus manifestatus cadit sub inspiratione, intellegitur affectus *quatenus* scripto manifestatus. Discrimen inter *a*) et *b*) hoc est: In *a*) hagiographus fertur necessario, immediate et per se in affectum ipsum, ita ut non possit illum non approbare. Contra, in *b*) fertur in exsistentiam affectus; nihil autem impedit quominus quis testetur se affectum actualiter experiri, quem ipse non probat, immo cui totis viribus resistit.

164. Ex variis, quos enumeravimus, animi sensibus, unus tantum, **imprecatio**, aliquam habet difficultatem. Auctor sacer diras

imprecatur (1) inimicis. Iam, hoc videtur contra legem charitatis omnino esse. Qui fieri potest ut vir inspiratus talia proferat?

Difficultatem solverit forsan quis animadvertendo nos hic versari in Veteri Testamento, cuius indoles ab indole Novi longe differat; plura tunc licuisse, quae nunc sunt vetita (2). At perperam: in Vet. Test. vindicta prohibetur et benevolentia praecipitur etiam erga inimicos: « Non quaeras ultionem, nec memor eris iniuriae civium tuorum. Diliges amicum tuum (proximum tuum) sicut teipsum » (Lev. 19, 18); « Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum » (Ex. 23, 4) (3). Alia igitur via solutio est quaerenda.

Hanc sunt qui existiment se invenisse in genuina indole harum imprecationum, quas hagiographi non tam maledicendo quam *praedicendo* protulissent; quam quidem solutionem iam Patres (4) proposuerunt. Aliquos locos, in psalmis praesertim, hac ratione explicari posse, immo debere, omnino est concedendum (5); sed omnes imprecationes esse meras prophetias minime admittendum videtur.

165. Certum est auctorem sacrum vere *optare* aliquando mala inimicis. At, ut sensuum, quos ipse exprimit, veram dignoscamus naturam, oportet ut quaenam fuerit illius mens et animi dispositio accurate definiamus. Ipse — sive nomine proprio, sive nomine

---

(1) Cf. Ps. 108: « Fiant filii eius orphani, et uxor eius vidua. Non sit illi adiutor, nec sit qui misereatur pupillis eius » (v. 9. 12); Jer. 18, 21-23: « Propterea da filios eorum in famem, et deduc eos in manus gladii... ». Vide praeterea Ps. 7. 34. 51. 53. 57. 58. 68. 136.

(2) Cf. *L. Gautier, *Introd. à l'Ancien Testament*[2], Lausanne 1914, v. 2 p. 49; Haneberg, *Geschichte der Offenbarung*[4], Regensburg 1876, p. 356.

(3) Cf. *Verb. Dom.* 1 (1921) 39-42. De sententia Domini: « Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et *odio habebis inimicum tuum* » (Mt. 5,43) cf. ibid. p. 27 s. Vide I. Nikel, *Das A. Test. und die Nächstenliebe* (*Bibl. Zeitfragen* 6 [1913] 409-488).

(4) Cf. Cornely, *Introd.* II 2, p. 121-123. « Sed hic prophetia est. Et quae figura optandi dicuntur, animo prophetandi explicantur. Illud *fiat* et illud *fiat* nihil est aliud quam hoc et hoc *futurum est*. Sic ergo audite prophetiam: *Confundantur et revereantur requirentes animam meam* (Ps. 34, 4) », Augustinus *in Ps. 34 PL* 36, 328. Vide S. Thom. *in Ps. 34*, et S. Chrysost. *in Ps. 108 PG* 55, 258 ss.

(5) Cf. Ps. 108, 8 « episcopatum eius accipiat alter », quam sententiam S. Petrus declarat prophetiam de Iuda proditore (Act. 1, 16. 20). De indole messianica Ps. 108 cf. *Verb. Dom.* 1 (1921) 166-173.

totius populi, cuius partes agit — fertur quidem in adversarium, non autem quatenus hic iniuriam intulit ipsi auctori, sed quatenus, iniuriam inferendo, *contra Deum ipsum peccavit.* Iam, attributum iustitiae divinae exigit ut peccator puniatur. Imprecatio igitur auctoris sacri nihil est aliud nisi *vehemens studium ut satis divinae iustitiae fiat* (1). Quod vero haec sit re vera illius mens non solum ex ipsa rei natura concluditur, sed etiam ex nonnullis explicitis indicationibus, ex. gr. Ps. 138, 21: « Nonne qui *oderunt te,* Domine, oderam, et super inimicos *tuos* tabescebam? ». Nonnumquam tamen, immo saepe, illius verba *sonare* vindictam personalem non est mirandum, cum ipse quodammodo nomine Dei et quasi illius partes agendo loquatur.

Forsan dixeris perfectius fore misericordiam pro adversario implorare. At animadvertas, quaeso, nos agere nunc de malo vitando, non de optimo faciendo. Plura, quae habentur in V. T., perfectionem N. T. non attingunt (2); sed illi minime repugnant. Ceterum neque a N. T. omnino exsulant imprecationes: « Utinam et abscindantur, qui vos conturbant» (Gal. 5, 12).

§ 3. — MENS SCRIPTORIS IN **praeceptis** VEL **consiliis** DANDIS

166. 1) Auctoris intentionem in his non semper unam eamdemque esse extra dubium est. S. Paulus scribit Timotheo: « Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere... » (1 Tim. 5, 23); « Penulam... veniens affer tecum... » (2 Tim. 4, 13); « Festina ante hiemem venire » (4, 21); « Saluta Priscam... » (4, 19). Haec prae se ferunt consilium vel praeceptum Pauli: sed quis umquam dixerit mentem apostoli in his omnibus eamdem fuisse ac in iis, quae

(1) « Vel ut omnia intellegantur prolata non ex zelo vindictae propriae, sed divinae iustitiae, cui se conformant iusti » (S. THOM, *in Ps. 34*). Cf. etiam 2 2, q. 25, a. 6 ad 3, ubi Angelicus triplici modo, et q. 83, a. 8 ad 1, ubi quadruplici modo imprecationes explicat. Vide A. VANDER HEEREN, *Coll. Brug.* 26 (1926) 353-355. Utiliter leges integram commentatiunculam p. 346-358.

(2) « Est autem praeterea notandum non omnia honesta esse aeque perfecta, et cum temporibus Veteris Testamenti cognitio religiosa et moralis creverit usque ad Novum Testamentum, posse in Vetere Testamento esse et revera esse, quae non conveniant excellentiori statui religioso et morali a Christo introducto. Ergo Deum potuisse imperfecta inspirare verum est; sed quidquam ex iis, quae inspiravit, esse inhonestum secundum sensum a sacro scriptore intentum plane negari debet ». PESCH, *De inspir.* n. 447.

ad Corinthios scribebat: « Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam » (1 Cor. 7, 12)?

2) Discrimen petitur: *a*) ex ipsa rei natura; *b*) ex ratione qua viri prudentes communiter loquuntur, a qua certe ratione Paulus non est existimandus recessisse; *c*) interdum ex ipsius apostoli disertis verbis, ut cum ait (1 Cor. 7, 6): « Hoc autem (cf. v. 3-5) dico secundum indulgentiam, non secundum imperium ». Fidelium infirmitati indulgens, *consilium* dat, quod sequi *possint*; non *praeceptum*, quod exsequi *debeant*.

3) Itaque praecepta vel consilia variam pro voluntate s. auctoris imponunt obligationem; interdum levissimam vel nullam, ut in exemplo Pauli Timotheum hortantis ad utendum vino modico. At haec consilia et praecepta sunt necessario honesta, etenim cum actione Dei inspirativa, prout in fontibus theologicis describitur, praeceptum vel consilium inhonestum componi nequit (2).

§ 4. — Mens scriptoris in actibus aliorum approbandis

167. Auctores sacri saepe loquuntur de actibus aliorum minus honestis, quos *videntur* probare. Ita ex. gr. cum Iacob asserit se esse Esau (Gen. 27, 19.24); cum Aod trucidat regem Eglon (Iud. 3, 16 ss.) et Iael ducem Sisara (Iud. 4, 17 ss.; 5, 26); cum Samson seipsum interimit (Iud. 16, 30); cum Iudith et falsa dicit Holopherni et illum fraudulenter occidit (Iudith 10-13), et alia id genus bene multa.

Ne singula percurramus, placet nonnulla universim animadvertere:

1) Nonnumquam in facinore etiam pessimo *elucent virtutes insignes*, ut audacia, fortitudo, amor patriae. Iam, si intimum auctoris animum spectes, facile deprehendes illius mentem, cum facinus laudat vel de illo laetatur, ferri in illas virtutes, quae certe dignae sunt laude; vel in quaedam commoda ex illo faci-

(2) De quaestione num praecepta vel consilia ab hagiographo nomine proprio data (« Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego sed Dominus... nam ceteris *ego dico, non Dominus* », 1 Cor. 7, 10. 12) dicenda sint *divina* seu iuris divini, an potius *humana* seu iuris humani, cf. Schmid, l. c. p. 171 ss.; Crets, l. c. p. 186 ss.; Dorsch, l. c. p. 189 ss.; Vander Heeren, l. c. p. 175 s.; Durand, *Dict. Apol.* 2, 763 s.

nore provenientia, de quibus cuique laetari licet. Aliquando auctor satis monstrat se non approbare aliquod factum, eo quod describat sequelas funestas inde exortas.

2) Quidam actus semper et ubique inhonesti dicendi sunt; aliorum vero honestas vel inhonestas pendet a *iure apud gentes communiter admisso*, quod neque omni aetate neque apud omnes idem est: unde fieri potest, ut quaedam, nunc minime probanda, aevo antiquiori nulla essent reprobatione digna.

3) Tandem saepe fit, ut auctor s. facinus narret, *quin illud probet aut improbet*; neque de hac agendi ratione reprehendendus, cum minime teneatur suum de singulis factis exprimere iudicium. Quod si rem pravam in intimo ipsius animo probaret, *quin tamen hanc approbationem scripto manifestaret*, nihil, ut patet, contra divinae inspirationis charisma haberetur.

CAPUT II

De criteriis dogmaticis

168. Cum S. Scriptura, utpote inspirata (1), *Deum ipsum habeat auctorem;* cumque *Ecclesiae custodienda*, quae magistra est veri-

---

(1) « Eos vero (V. et N. Testamenti libros) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt » (Conc. Vat. Ses. 3, c. 2; DENZ.-B. n. 1787).

De inspiratione S. Scripturae liceat brevem indicare bibliographiam: Chr. PESCH, *De Inspiratione Sacrae Scripturae*, Friburgi Br. 1925; *Supplementum continens disputationes recentiores et decreta de inspiratione s. scripturae*, Frib. Cr. 1926; I. B. FRANZELIN, *Tractatus de Divina Traditione et Scriptura*[4], Romae 1896; F. SCHMID, *De Inspirationis Bibliorum vi et ratione*, Brixinae 1885; G. J. CRETS, *De divina Bibliorum Inspiratione dissertatio dogmatica*, Lovanii 1886; J. V. BAINVEL, *De Scriptura Sacra*, Parisiis 1910; H. HÖPFL, *Tractatus de Inspiratione Sacrae Scripturae et Compendium Hermeneuticae Biblicae Catholicae*, Romae 1923; Aem. DORSCH, *De Inspiratione S. Scripturae tractatus dogmaticus*[2] 192, Oeniponte 1912; D. ZANECCHIA, *Divina Inspiratio Sacrarum Scripturarum ad mentem S. Thomae Aquinatis*, Romae 1898; Id., *Scriptor sacer sub divina inspiratione*, Romae 1903; Card. BILLOT, *De inspiratione Sacrae Scripturae theologica inquisitio*[2], Romae 1906; F. M. DE CASTRO, *Introductio generalis in Sacram Scripturam*, Vallisoleti 1922, sectio quarta, De sacrorum librorum inspiratione, p. 201-319; E. MANGENOT, *Inspiration de l'Ecriture*, in *Dict. de Théol. cath.* VII 2, col. 2068-2266.

tatis, fuerit commissa (1), consequitur in illa interpretanda quasdam normas speciales, speciali illius indoli respondentes, prae oculis esse habendas.

Bibliographia. — Praeter tractatus de *Hermeneutica biblica* cf. MANGENOT et RIVIÈRE, *L'interprétation de l'Ecriture*, in *Dict. de Théol. cath.*, VII 2, col. 2290-2343. Commentatio valde commendanda, licet nonnulla forsan habeantur minus accurate dicta; J. CORLUY S. I., *L'interprétation de la Sainte Ecriture*, in *La Controverse et le Contemporain*, 1885 II, p. 420-438; A. DURAND, *Exégèse, Tradition et Eglise*, in *Dict. Apolog. de la Foi Catholique*, 1, col. 1835-1841. Breviter ac lucide. Ibidem col. 1840 copiosam invenies bibliographiam.

ART. 1. — Omnis interpretatio reicienda est, quae vel minimum supponat errorem

169. Cum sacra Scriptura, vi inspirationis omnimoda gaudeat inerrantia, numquam licebit, ut quis a difficultatibus se expediat, concedere sacrum errasse auctorem. Ad hanc, etsi facilem et obviam, solutionem nullus umquam Pater confugit. Quod si nulla interdum inveniatur solutio, prae oculis habenda sunt illa Augustini ad Hieronymum verba: « Si aliquid in eis offendero Litteris quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam » (*Ep.* 82 *PL* 33, 277) (2). Ceterum, ne error deprehendatur ubi re vera non est, sedulo attendendum quinam fuerit genuinus auctoris sensus: quonam ipse utatur genere litterario; num nomine proprio an nomine alterius loquatur etc. Quae ut discernantur, recurrendum est ad criteria litteraria, quae superius proposuimus (n. **107** ss.).

ART. 2. — Authentica S. Scripturae interpretatio ab Ecclesia facienda

170. Quoniam Deus Scripturas tradidit Ecclesiae, « qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima (homines) uterentur » (*Prov. Deus*, CAV., *Thes.* n. 71), *magisterium*

(1) « Neque enim cuiquam catholico illa possunt esse dubia, quae fusius alias Ipsi revocavimus: Deum non privato doctorum iudicio permisisse Scripturas, sed magisterio Ecclesiae interpretandas tradidisse » (LEO XIII in litteris apostolicis *Vigilantiae*, 30 Oct. 1902; CAV., *Thes.* n. 101 *b*; Ench. B. n. 134).

(2) Cf. *Prov. Deus*, CAV., *Thes.* n. 94; Ench. B. n. 112.

ecclesiasticum (1) *tamquam suprema interpretationis norma habendum est*; quod quidem magisterium exercetur: per definitiones Conciliorum et SS. Pontificum; per decreta SS. Congregationum; per Traditionem ecclesiasticam. Adde Analogiam fidei. De singulis agendum. Antea tamen dilucidare oportet quae a Conc. Trid. et Vat. decreta fuerunt.

§ 1. — Decreta Conciliorum Tridentini et Vaticani

Bibliographia. — Granderath, *Constitutiones dogmaticae sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani* 1892 p. 53-61; *Zum tridentinischen und vatikanischen Decrete über die Auslegung der heiligen Schrift*, in *Der Katholik* 78 II (1898) 289-316. 385-411; Vacant, *Etudes théologiques sur les constitutions du Concile du Vatican* 1895, v. 1 p. 516-552; Nisius, *Ueber das Verhältnis der Kirchlichen Lehrgewalt zur Schriftauslegung*, in *Zeits. f. kath. Theol.* 23 (1899) 282-311. 460-500. Tractatio de decret. Conc. Trid. et Vat. valde commendanda. Cf. etiam p. 185-188 et vol. 21 (1897) p. 162-167; Lagrange, *L'interprétation de la Ste. Ecriture par l'Eglise*, in *Rev. Bibl.* 1900 p. 135-142; Aem. Schöpfer, *Bibel und Wissenschaft*, Brixen 1896 p. 86-128 (*Das tridentinische Decret über katholische Schriftauslegung*).

Conc. Trid. « ad coercenda petulantia ingenia » decrevit « ut nemo suae prudentiae innixus, *in rebus fidei et morum* ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, S. Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum *sensum*, *quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia*, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra *unanimem consensum Patrum* ipsam Scripturam sacram interpretari audeat ». Denz.-B. n. 786 (2).

---

(1) Hoc magisterium, seu exercitium huius magisterii est duplex: *extraordinarium* et *ordinarium*. « Extraordinarium fit per solemnes definitiones Paparum aut conciliorum oecumenicorum, quae, ut notum est, sunt infallibiles. Ordinarium multipliciter exercetur: per magistros authenticos, per eorum delegatos, per simplices fideles ». (Bainvel, *De magisterio...* p. 40). « Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive *sollemni iudicio* sive *ordinario* et *universali magisterio* tamquam divinitus revelata credenda proponuntur ». (Conc. Vat., *Const. dogm. de fide cathol.* c. 3; Denz.-B. n. 1792; Cav., *Thes.* n. 160). Cf. *Prov. Deus*, Cav., *Thes.* n. 83. Vide H. Dieckmann, *De Ecclesia*, v. 2 (Friburgi Br. 1925) n. 725; Vacant, *Etudes théol.* v. 2, p. 82-123.

(1) Huc faciunt verba Leonis XIII in encycl. *Prov. Deus*: « Quapropter praecipuum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores, Spiritu Sancto afflante, uti multis in locis Novi Testamenti, aut per Ecclesiam, eodem Sancto

Cum vero nonnulli (1) hoc decretum a vero sensu detorquerent dicentes illud esse *merae disciplinae*, et non absolute pro quovis tempore habere valorem; vel ita intellegendum esse, ut solummodo fas non sit, interpretando Scripturas, dogma aliquod fidei ab Ecclesia definitum excludere et negare, non vero ipsam dogmaticam Ecclesiae interpretationem reicere (2); Concilium Vaticanum, decretum Conc. Trid. renovans, hanc illius mentem esse declaravit: « ut in rebus fidei ac morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu S. Scripturae habendus sit, quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam S. Scripturam interpretari » (DENZ.-B. n. 1788).

Decretum Tridentini *formaliter* est *negativum* et *disciplinare;* forma enim est *negativa* (« nemo... S. Scripturam... contra eum sensum... interpretari audeat »), et obiectum directum decreti est *ratio agendi fidelium*, proinde res ad disciplinam pertinens. Sed *fundamentaliter* est *positivum* et *dogmaticum;* nam in ipso *proponitur dogma* (« cuius [Ecclesiae] est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum ») quod est *fundamentum* decreti. Decretum vero Vaticani *formaliter* est *positivum* et *dogmaticum* (declaramus, ut... is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia »).

Ceterum forma decreti *positiva* invenitur iam in professione fidei Pii IV (1564). (DENZ.-B. n. 995).

1) *Qua ratione intellegenda sunt verba:* « *Res fidei et morum* » ?

171. In authentica interpretatione semper agitur de « *rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium* », ut disertis verbis dicunt tum Conc. Trid. tum Conc. Vat.; idemque

---

adsistente spiritu, sive *solemni iudicio*, sive ordinario et universali magisterio eadem ipse ratione interpretetur » (CAV., *Thes.* n. 73; Ench. B. n. 94); necnon duae propositiones (II et IV) damnatae a Congr. S. Officii in decreto *Lamentabili* (3 Iulii 1907): « Ecclesiae interpretatio sacrorum librorum non est quidem spernenda, subiacet tamen accuratiori exegetarum iudicio et correctioni ». DENZ.-B. n. 2002. « Magisterium Ecclesiae ne per dogmaticas quidem definitiones genuinum sacrarum Scripturarum sensum determinare potest ». DENZ.-B. n. 2004.

(1) Ita IOH. IAHN et alii, quos vide apud UBALDI, *Introd. in S. Script.*, Romae 1901, v. 3 p. 274 s., et supra n. **59.**

(2) Cf. VACANT, l. c. v. 1 p. 520 s. 586 s.

relate ad SS. Patres monet etiam Leo XIII in encycl. *Provid. Deus:* « SS. Patrum... summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad *fidei pertinens morumve doctrinam*, uno eodemque modo explicant omnes » (Denz.-B. n. 1944; cf. n. 1942).

De germana vi huius sententiae plures agitantur quaestiones (1). Haec nobis videntur breviter dicenda:

a) Huiusmodi sententia est restrictiva; non tamen *exclusive*, sed *praecisive*. Concilium nempe declarat sensum Ecclesiae tenendum esse (saltem) in rebus fidei et morum: cetera non positive excludit, sed tantum *praetermittit*. Ita interpretes universim (2).

b) Quaedam est controversia inter auctores, utrum sententia Concilii restrictiva applicetur *textibus* S. Scripturae, an potius *interpretationibus* (3), quae de his textibus traduntur. Quaestio non magni est momenti, nam ipse Vacant (cf. p. 530) admittit illam clausulam applicari *directe* quidem interpretationibus, sed *indirecte* ipsis textibus. Nobis probabilius videtur illa sententia applicari *argumento* textuum S. Scripturae, ita ut locutio: *in rebus fidei et morum* idem valeat ac: *cum agitur de argumento seu doctrina biblica attingente fidem vel mores*. Concilium non dicit « in interpretationibus » sed « in *rebus* », quae quidem vox videtur indicare *doctrinam*, *argumentum*. Idem dixeris confirmari modo loquendi Leonis XIII: « non pauca de quibusdam Scripturae locis (*non proprie ad fidei morumque pertinentibus regulam*) sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio » (*Prov. Deus*, Cav., *Thes.* n. 94).

c) De intimiori sensu illorum verborum multiplex fertur sententia. Res fidei et morum sunt: vel 1) ea, quae in S. Scriptura ex natura sua sunt *religiosa*, quatenus opponuntur iis, quae sunt in seipsis profana (Granderath) (4); vel 2) quae sunt *per se* de

(1) Cf. Vacant, *Etudes théol.* v. 1 p. 525-545.

(2) Contrarium sensit Dessailly (*L'Ami du Clergé*, mense Martii 1899, p. 269 s.), qui decretum interpretatur « *etiam* in rebus fidei et morum », ita ut Concilium supponat sensum Ecclesiae esse certe tenendum in iis, quae non sunt fidei et morum. Hanc minime Patrum mentem fuisse constat ex ipsius Concilii historia (cf. Granderath, *Constitutiones...* p. 54-56, praes. animadversionem p. 56).

(3) Hanc alteram sententiam multis tuetur Vacant, l. c. v. 1 p. 529 ss., ubi (p. 531) vide auctores aliter sentientes. Cf. Mangenot, *Dict. de Théol. cath.* VII 2, col. 2305 s.; Lagrange, *Rev. Bibl.* 1900 p. 137; Granderath, *Der Katholik* 78 II (1898) 294-300.

(4) *Constitutiones...* p. 56-61; *Der Katholik*, l. c. p. 385 ss.

substantia fidei, vel revelata *propter se* seu credibilia *per se*, ut distincta ab iis, quae tantum *per accidens* sunt de substantia fidei, vel sunt revelata *propter aliud*, seu credibilia per accidens (1) (SCHÖPFER (2), NISIUS (3), LAGRANGE (4), etc.); vel 3) omnia, quae ad *aedificationem doctrinae christianae* pertinent (VACANT) (5)

Nostro quidem iudicio, omnes ii auctores, si recte intellegantur, idem, *ad rem* quod attinet, intendunt dicere, scil.: res fidei et morum eas esse, quae vel sunt dogmata ad doctrinam Ecclesiae pertinentia, vel cum illis nexum *ex natura sua* et *in seipsis* consideratae habent; idque verum omnino est. Ea, quae in S. Scriptura sunt mere zoologica, vel geologica, vel quid simile, connectuntur quidem cum dogmate (nempe inspirationis), non vero *ex natura sua*, i. e. ratione eorum, quae in illis sententiis continentur, sed tantum quia in S. Scriptura, quae inspirata est, inveniuntur. Ecclesia igitur non directe interpretatur sententias biblicas, quae argumentum mere profanum continent, sed de aliqua interpretatione harum sententiarum iudicat num cum divina inspiratione pugnet necne (6).

Quod si de *formula* tantum agatur, videtur primam (res religiosae) esse nonnihil vagam et indefinitam; alteram (revelata propter se, revelata propter aliud) non esse satis accuratam, nam fieri potest ut quaedam veritas reveletur propter aliam veritatem, cum qua tamen nexum *ex natura sua* habeat. Quare tertia est praeferenda, quam ipsum Concilium videtur innuere cum statim post verba « in rebus fidei et morum » addit: « *ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium* ».

---

(1) Est distinctio S. Thomae: « Respondeo dicendum, quod quae ad fidem pertinent, dupliciter distinguuntur: Quaedam enim sunt per se de substantia fidei, ut Deum esse trinum et unum et huiusmodi... Quaedam vero per accidens tantum, in quantum scilicet in Scriptura traduntur, quam fides supponit Spiritu Sancto dictante promulgatam esse... Sic ergo circa mundi principium aliquid est, quod ad substantiam fidei pertinet, scil. mundum incepisse creatum, et hoc omnes concorditer dicunt. Quo autem modo et ordine factus sit non pertinet ad fidem nisi per accidens, in quantum in Scriptura traditur, cuius veritatem diversa expositione Sancti salvantes diversa tradiderunt » (*II Sent., dist. XII* q. 1, a. 2).

(2) *Bibel und Wissenschaft*, p. 100-104.

(3) *Zeits. f. kath. Theol.* 23 (1899) 302 ss.

(4) *Rev. Bibl.* 1900 p. 136.

(5) *Etudes théol.* v. 1 p. 526-528.

(6) Cf. SZÉKELY, *Hermen. bibl. gen.* p. 342 s.

2) *Quid dicendum de rebus ad fidem et mores* **non pertinentibus?**

172. Nullum est dubium quin Ecclesia *aliquo saltem modo* ius habeat etiam has S. Scripturae partes authentice interpretandi. Nam omnes omnino S. Codicis sententiae sunt inspiratae ac proinde verbum Dei, quod quidem Ecclesiae custodiendum fuit traditum (n. **168**). Unde eas sententias, de quocumque in illis agatur argumento, infallibili Ecclesiae iudicio aliquo saltem modo subesse omnino necesse est (1).

Si autem de *modo* agitur, huiusmodi ceteroquin indubium Ecclesiae ius estne *indirectum* et *negativum*, an etiam *directum* et *positivum*?

Cum Nisius, Brucker, Höpfl et aliis auctoribus vix non omnibus videtur dicendum hoc ius esse indirectum et negativum. Porro res mere scientificae, ex. gr. ad mathesim vel ad geologiam pertinentes, nullum cum aeterna hominis salute nexum habentes, *ex natura sua* et *per se* cadunt extra ambitum magisterii Ecclesiae. Attamen, si aliqua propositio in his scientiis proferatur dogmati contraria, Ecclesiae competit de illa iudicare, eamque reicere; atque in hoc sensu ius est illi etiam in scientias profanas (2), non quidem directum, sed *indirectum*, cum illas attingat non directe

---

(1) Huc faciunt quae in Conc. Vat. exposuit Rev.mus Gasser: «...Concedo quod Ecclesia ius habet non solummodo iudicandi de vero sensu in rebus fidei, id est in dogmatibus, ut ita dicam, speculativis, et in rebus quae ad mores spectant: sed etiam in rebus quae ad historicam veritatem etc. pertinent. Inde vero non sequitur quod iuxta auctorem r.mum huius exceptionis sequi deberet; nam quod attinet istas interpretationes circa veritates historicas, dico, huiusmodi interpretationes aut non sunt contra *dogma inspirationis sacrae Scripturae* et singularum partium, aut sunt contra hoc dogma. In casu priori utique libere de iis interpretationibus potest disputari; in casu posteriori, si talis interpretatio veritatis historicae offenderet dogma inspirationis, iam utique *spectat ad res fidei*, et proinde certe *Ecclesia hac de re iudicandi ius habet...*» (Coll. lac. v. 7 col. 240; cf. col. 226).

(2) Ita Conc. Vat.: «Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi» (*Const. dogm. de fide cathol.* c. 4). «Si quis dixerit disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; A. S.» (Ibid. can. 2). Denz.-B. n. 1798. 1817. Et in propositione quinta damnata a Congr. S. Officii in decreto *Lamentabili* (3 Iulii 1907): «Cum in deposito fidei veritates tantum revelatae contineantur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet iudicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum». Denz.-B. n. 2005.

et propter se, quatenus sunt scientiae profanae, sed indirecte, quatenus possunt contradicere dogmati. Iam, si dantur in Scriptura propositiones, quae *ex natura sua* i. e. ratione argumenti ad aedificationem doctrinae christianae non pertineant, ex. gr. quod Iair Galaadites habuerit triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum (Iud. 10, 4) non videtur Ecclesia ratione *materiae* habere in illas ius directum et positivum. Sed quoniam ab illis propositionibus utpote inspiratis omnis excluditur error, Ecclesia ius habet reiciendi quamcumque earum interpretationem, quae vel minimum errorem in auctore sacro supponat; hoc autem ius vocatur, ut patet, *indirectum* et *negativum*.

173. Pauci — quos vide apud Höpfl, *Comp. Herm.* p. 188 — tenent ius directum et positivum, quorum argumenta haec fere sunt:

1) Infallibilitas Ecclesiae extenditur ad integram divinam revelationem. Iamvero, S. Scriptura in omnibus suis partibus, sive ad religionem pertineant sive non, est verbum Dei revelatum. 2) Integra S. Scriptura est verbum Dei fide divina credendum et Ecclesiae custodiendum traditum. Ergo est obiectum directum authenticae interpretationis Ecclesiae (1).

Ad 1): Concedimus omnem propositionem in S. Scriptura esse *verbum Dei;* sed *ratione inspirationis*. Ecclesia iudicat de quacumque interpretatione, num opponatur inspirationi necne. Ad hoc autem sufficit ius *indirectum*.

Ad 2): Quaecumque propositio in ss. Litteris potest fide divina credi, cum sit verbum Dei; at inde minime sequitur ius *directum* Ecclesiae sensum illius *positive* definiendi, nisi ratione argumenti aliquam cum dogmate connexionem habeat (2).

Argumentis superius propositis in favorem iuris Ecclesiae directi et positivi alii alias exhibuerunt solutiones. Bonaccorsi (*Quest. bibl.* p. 243. 250) negat omne assertum auctoris esse assertum Dei ac proinde verbum Dei proprie dictum. — Haec doctrina est omnino reicienda. Quaecumque propositio divinitus inspirata est vere verbum Dei, et omne assertum auctoris sacri est vere assertum Dei (3).

Lagrange (*Rev. Bibl.* 1900 p. 139) cui videtur assentiri Höpfl (*Comp. Herm.* p. 189), ait servandam esse accurate distinctionem inter *revelatum*

---

(1) Vide haec argumenta fusius proposita in Granderath, *Constitutiones...* p. 51: *Rev. Bibl.* 1900 p. 139; praesertim vero in Egger, *Absolute oder relative Wahrheit...* p. 292-300.

(2) Sunt forsan qui negent ullam haberi in S. Scriptura propositionem mere scientificam; vel talem propositionem, si detur, credi posse fide divina. In his examinandis non immorabimur, cum id tantum nobis proponamus, argumentis supra expositis respondere.

(3) Contra sententiam Bonaccorsi vide plura apud Pesch, *De inspir.* n. 411, et in *Dict. de Théol. cath.* VII 2, col. 2309 s. Cf. *Rev. Bibl.* 1905 p. 288 s.

et *inspiratum*, et addit rationem: omne revelatum est necessario verum, quia omnis vera revelatio est affirmatio Dei; sed non omnis propositio inspirata est affirmatio Dei, cum frequenter non loquatur ipse Deus neque scriptor sacer nomine Dei. — Retinenda est quidem huiusmodi distinctio; sed ad rem nostram minime videtur facere. Omnis propositio in textu genuino S. Scripturae est, ut diximus, verbum Dei et necessario vera in sensu quo auctor sacer illam scripsit (1). Nullum igitur datur discrimen, ad veritatem quod attinet, inter *revelationem* et *inspirationem*. Quod si nonnumquam difficultas habetur in mente auctoris dignoscenda, num affirmet necne, propositio manet necessario vera in sensu hagiographi, sed nos ignoramus quaenam illa sit veritas.

Scholion 1. — Quaenam sunt, ad praxim quod attinet, consectaria distinctionis inter ius Ecclesiae directum et indirectum?

174. Ecclesia, in quacumque hypothesi et omnibus fatentibus, 1) ius habet reiciendi *quamcumque interpretationem cuiuscumque* loci S. Scripturae, quam ipsa iudicet non componi cum divina inspiratione; 2) praeterea, de *quacumque* sententia S. Scripturae ius habet definiendi, an *nexum habeat* necne cum fide et moribus. Inde sequitur *a*) etiam solo iure indirecto in iis, quae non sunt fidei et morum, admisso, omnia et singula iudicio Ecclesiae subici, nec quidquam in S. Scriptura illius auctoritati subtrahi (2); *b*) interpretem, etiam cum agitur de sententia quae mere scientifica videatur, paratum esse debere ad sese iudicio Ecclesiae subiciendum, fatendo, si Ecclesia ita iudicaverit, illam sententiam aliquem habere nexum cum dogmate, vel suam interpretationem inspirationi divinae repugnare, licet ipsi forsan videatur res aliter se habere.

Scholion 2. — Num ex decretis modo explicatis de authentica Ecclesiae interpretatione **libertas** interpretis catholici minuatur

175. Si de licentia seu *falsa* agitur libertate, certe minuitur; si autem de *vera*, ita non minuitur, ut etiam augeatur. Fit enim

(1) Neque excipiuntur propositiones, ubi auctor non affirmat sed tantum *citat*; nam eiusmodi propositiones sunt, *quatenus citationes*, etiam verbum Dei et necessario verae.

(2) Optime Bainvel, *De Scriptura Sacra*, p. 204: « Practice res eodem redit. Nunquam enim intervenit Ecclesia in interpretatione scientifica nisi quatenus in causa est aliquid quod pertineat ad fidem et mores, ut est inerrantia Scripturae, vel eius usus apologeticus, vel Ecclesiae auctoritas, vel debita Patribus reverentia ».

ut restrictio ab Ecclesia imposita faciliorem et tutiorem reddat viam ad veritatem assequendam, in cuius possessione est vera et genuina libertas. Pulchre ad rem CORNELY (*Introd.* 1, p. 608): « Numquid pharus, qui nautis obscura in nocte viam indicat, eorum libertatem restringit vel aufert? Numquid magister, qui discipulis sensum thematis explicat, eos impedit ne, iuxta scientiae rationem illud interpretentur accuratiusve in illud investigent? ».

Ceterum plures sunt interpretationes, quas interpreti catholico integrum est seligere. Quod si aliquando fieri potest, ut non quidem scientia biblica in genere, sed germana cognitio alicuius loci biblici retardetur, huiusmodi retardatio abunde aliunde compensatur; nam tunc viri docti coguntur rem attentius et accuratius considerare, quo fit ut tandem aliquando ad veritatis metam securius perveniant; atque universim dicendum quod « quum Ecclesia dirigatur a Spiritu Sancto et sit infallibilis, sequi doctrinam ipsius ducit ad veritatem amplectendam, ac proinde ad verum progressum » (1). Quae quidem omnia pulchre docuit LEO XIII in encycl. *Prov. Deus:* « Qua plena sapientiae lege (decreto nempe Con. Vat. et Trid.) nequaquam Ecclesia pervestigationem scientiae biblicae retardat aut coercet, sed eam potius ab errore integram praestat, plurimumque ad veram adiuvat progressionem. Nam *privato cuique doctori magnus patet campus*, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae, qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel *enucleatius* apud fidelium plebem et *ingeniosius* apud doctos edisserat, vel *insignius* evincat ab adversariis » (DENZ.-B. n. 1942).

---

(1) I. MUNCUNILL, *Tractatus de Locis Theologicis*, Barcinone 1916, p. 105. Cf. infra n. **194** nota 1.

§ 2. — Definitiones Conciliorum vel Summorum Pontificum (1)

176. Diximus eum pro vero sensu S. Scripturae habendum esse, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia; quem vero sensum Ecclesia tenuerit ac teneat variis manifestatur modis, et primum quidem *definitionibus* sive Conciliorum sive Summorum Pontificum.

Id autem duplici ratione fieri potest: 1) *directe*, cum sensus ipse textus biblici est obiectum directum et formale definitionis; id quod rursum dupliciter Concilium vel S. Pontifex praestat: *a*) positive, quinam sit verus sensus decernendo, *b*) negative, aliquem sensum e textu excludendo; 2) *indirecte*, cum non textus biblicus sed doctrina, quae textui biblico innititur, est obiectum directum et formale definitionis; id quod iterum dupliciter fit: *a*) positive, cum textus biblicus tamquam argumentum adducitur doctrinae definitae, *b*) negative, cum damnatur doctrina, quam eius auctores testimonio S. Scripturae confirmare audebant.

Iuverit rem exemplis illustrare. Conc. Trid. definit *directe* et *positive* verba Ioh. 3, 5 accipienda esse in sensu proprio, non metaphorico: «Si quid dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto* (Ioh. 3, 5) ad metaphoram aliquam detorserit; A. S. (Sess. VII, de bapt., can. 2; Denz.-B. n. 858). Idem Conc. definit *directe* sed *negative* sensum Ioh. 6; negat enim ex sermone illo recte colligi «utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse», quin tamen definiat quis sensus illi textui tribuendus sit («utcumque iuxta varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intellegatur»). (Sess. XXI, de communione, cap. 1; Denz.-B. n. 930). *Indirecte* autem, modo *positivo*, sensum Rom. 5, 12 definit, cum, postquam ediderit canonem: «Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non eius propagini asserit nocuisse... A. S.», addit: «cum contradicat Apostolo clamanti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*» (Sess. V, de peccato orig., can. 2; Denz.-B. n. 789). Idem fit ibid., can. 4; Denz.-B. n. 791. In utroque loco textus biblicus adducitur ad confirmandam doctrinam, non vero est obiectum directum definitionis. *Indirecte* et *negative* Conc. Constantinopolitanum II in can. 12

(1) Cf. de hac re Mangenot et Rivière, *Dict. de Théol. cath.* VII 2, col. 2315-2319; Vacant, *Etudes théol.* v. 1 p. 515-552; Patrizi, *Institutio de interpretatione Bibliorum* 1876 p. 58-61; Corluy, *L'interpr. de la Ste. Ecriture*, in *La Controverse et le Contemporain* 1885 II p. 423-426.

de tribus Capitulis (DENZ.-B. n. 224) declarat sensum Gen. 2, 24 *Erunt duo in carne una;* Ioh. 20, 22 *Accipite Spiritum Sanctum* et Ioh. 20, 28 *Dominus meus* et *Deus meus*, cum damnat doctrinam Theodori Mopsuesteni, qui in favorem suae doctrinae illos textus prave interpretabatur (1).

De vi harum definitionum, si *directe* feruntur, nequit esse dubium, cum certo certius pateat mentem Concilii fuisse sensum textus biblici positive vel negative definire (2). Aliter res se habet, quando *indirecte;* neque principium generale pro omnibus adiunctis statuere licet, sed in singulis casibus tenor verborum est accurate perpendendus, ut discamus quaenam fuerit Concilii vel S. Pontificis mens; quod dum fit, haec videntur prae oculis habenda:

1) Ex eo *solo* quod textus biblicus includatur in definitione infallibili non sequitur sensum illius esse infallibiliter definitum, variis enim modis et ad diversos scopos includi potest.

2) Si adducitur *tantum* ad doctrinam *illustrandam*, neque inde certum illius sensum concludere licet, ut patet.

3) Si vero affertur ad doctrinam *probandam*, distinguendum est: *a*) *Ea sola de causa* quod ut *probatio* adhibetur, sensus non infallibiliter definitur. Ratio est, quia auctoritas Ecclesiae non necessario fertur in argumenta eadem ratione et eadem vi ac in doctrinam illis argumentis confirmatam (3). *b*) Ast, nonnumquam Patres Concilii, cum textum tamquam argumentum afferunt, vel α) eo modo loquuntur, ut re vera sensum illius positive affirmare vi-

---

(1) Alios textus vide apud CORNELY, *Introd.*[2] 1, p. 611; SZÉKELY, *Herm. bibl.* p. 343 s. « Textus », ait CORNELY, l. c. p. 610, « quorum sensum directa definitione (Ecclesia) determinavit, non admodum multi sunt ». Alii (CORLUY, *La Controv. et le Contemp.* 1885 II p. 426) numerant plus minusve viginti; alii (DURAND, *Dict. Apol.* 1 col. 1838) non plus quam duodecim. Sed « multo plures indirecte definiti et declarati sunt errorum, qui falsae textuum interpretationi innitebantur, damnatione, doctrinarumque, a quibus explicatio quaedam dependet, definitione » (CORNELY, ibid.).

(2) Idque etiamsi textus non afferatur in canone sed in const. dogm. vel in expositione cap. dogm., ut recte monet DURAND, l. c. col. 1838, ubi citat Mt. 16, 16 *Tu es Petrus...*, in const. dogm. *Pastor aeternus* (DENZ.-B. n. 1833).

(3) Cf. MANGENOT et RIVIÈRE, l. c. col. 2316. — Hic non agitur de « adaptations scripturaires », quae certe non proponuntur ut *verae probationes*. Difficultas quidem habetur non semel in definiendo utrum sit *adaptatio* an *probatio;* verum hoc spectat non principium tenendum, sed applicationem. Cum haec fit, accurate ratio dicendi est perpendenda unde eruatur germana Concilii mens.

deantur: ita dixeris rem se habere in praedicto can. 2 de peccato orig. (Denz.-B. n. 789), ubi leguntur verba « cum contradicat Apostolo dicenti »; vel β) declarant illum textum ea ratione semper fuisse ab Ecclesia catholica intellectum; quemadmodum fit in can. 4 de peccato orig. (Denz.-B. n. 791): « Quoniam non aliter intellegendum est id, quod dixit Apostolus: *Per unum hominem...* nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit ». Patet in huiusmodi adiunctis nullam de vera textus interpretatione superesse dubium.

Universim illud est probe animadvertendum, investigationes de mente Concilii non esse faciendas ex *solo textu* ipsius Concilii; sed adhibenda esse adiumenta historica et critica, perpensis disputationibus a Patribus et theologis habitis, et consideratis erroribus qui a Concilio impugnabantur, et argumentis quae ab haereticis in medium adducebantur.

§ 3. — Decreta SS. Congregationum

177. Bibliographia. — L. Choupin, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège*[2], Paris 1913; J. Jorget, *Congregations romaines*, in *Dict. de Théol. cath.*, v. 3, col. 1108-1111; H. Dieckmann, *De Ecclesia*, Friburgi Br. 1925, v. 2, n. 775-792, ubi quaestio plenius et optime tractatur, commemoratis (n. 791) plurium auctorum sententiis; Franzelin, *Tract. de div. Traditione et Scriptura*[4], Romae 1896, Thes. 12, Schol. 1, p. 119-141; Chr. Pesch, *Prael. dogmaticae*[7], Friburgi Br. 1924, v. 1, n. 521; Card. L. Billot, *Tract. de Ecclesia Christi*[2], Romae 1903, p. 444-450; I. Muncunill, *Tract. de Christi Ecclesia*, Barcinone 1914, p. 438-444; A. Straub, *De Ecclesia Christi*, Oeniponte 1912, v. 2, n. 966-969; Th. Granderath, *Die Machtvollkommenheit der römischen Congregationen bei Lehrdekreten*, in *Zeits. f. kath. Theol.* 19 (1895) 623-650.

Ad *SS. Congregationes Romanas* quod attinet, ac proinde ad Pontificiam Commissionem Biblicam, quae illis aequiparata est (1), earum decreta magna admodum pollent auctoritate eisque

(1) In motu proprio *Praestantia Scripturae* dato a Pio X, 18 Nov. 1907 (Denz.-B. n. 2113): « Praecipimus universos omnes conscientiae obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de re Biblica, ad doctrinam pertinentibus, sive quae adhuc sunt emissae, sive quae posthac edentur, perinde ac decretis Sacrarum Congregationum a Pontifice probatis, se subiciendi; nec posse notam tum detrectatae obedientiae tum temeritatis devitare, aut culpa propterea vacare gravi, quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent; idque praeter scandalum quo offendant, ceteraque quibus in causa esse coram Deo possint, aliis, ut plurimum, temere in his errateque pronuntiatis ».

obedientia omnino praestanda est. Neque sufficit sola reverentia externa seu silentium obsequiosum, sed *verus assensus internus* requiritur, ut constat ex litteris *Tuas libenter* Pii IX ad archiep. Monaco-Frisingensem, 21 Dec. 1863 (Denz.-B. n. 1684): « ... sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur... ».

Cum tamen hae decisiones *infallibiles non sint*, nec proinde irrevocabiles, patet neque assensum praebendum esse irrevocabilem. De qualitate huius assensus breviter aeque ac lucide Muncunill (l. c. p. 438 s.): « Dicendum est decisionibus huiusmodi non deberi assensum omnino absolutum et irreformabilem, sed utique assensum tum internum tum externum. Ratio primi est, quia assensus omnino absolutus et irreformabilis praestari dumtaxat potest sententiae infallibili, quales non sunt decisiones S. Officii. Ratio vero secundi est, quia Congregatio S. Officii habet veram auctoritatem doctrinalem, seu talem, quae potest obligare subditos seu omnes fideles; auctoritati vero huiusmodi respondet subiectio obligatoria ex parte subditorum; et in hac re debet esse etiam interna, quia doctrina non recipitur, nisi per assensum internum ».

Inde sequitur hunc assensum in quibusdam adiunctis licite suspendi, immo et revocari posse:

1) Positive tamdiu assentiendum est decretis Congregationum, quamdiu non apparent motiva *vere* sufficientia dubitationis; 2) Si vero apparent huiusmodi motiva, prudenter suspendi potest assensus; 3) Si decretum alicui appareat certo falsum, non solum licebit « sententiam ab edicto sacro discrepantem adhuc probabilem existimare » sed etiam « dissentire » (Straub, l. c. n. 969) (1).

Igitur si vir *peritus* et *prudens*, re attente considerata, et omnibus argumentis hinc inde accurate perpensis, sibi persuadet decretum non respondere veritati, licet illi assensum internum suspendere vel etiam iudicium decreto contrarium admittere. Externam quidem reverentiam, dum manet et viget decretum, servare debet; poterit

(1) Cf. Pesch, l. c.; Bainvel, *De magisterio...* p. 106; *Dict. de Théol. cath.* 3, 1110.

tamen, immo aliquando forsan iuvabit coram legitima auctoritate rationes, quae ipsum moverunt, modeste proponere.

Verum motiva sive dubitandi, sive iudicium revocandi non facile, immo aegre admodum sunt admittenda; « nam auctoritas congregationum romanarum doctrinam intellectui tenendam decernentium tum pro membrorum eximia scientia et probitate et usitata matura deliberatione, tum maxime pro singulari cum pontifice supremo coniunctione et optata ad muneris momentum auxilii divini largitate valde gravis et multo gravior episcoporum particularium auctoritate invenitur. Cuiusmodi rationes commendant a fortiore auctoritatem, qua in doctrina post consultationem consuetam accuratissimam, quamvis non peremptorie, proferenda ipse summus pontifex praefulget » (STRAUB, l. c. n. 968).

Praesumptio, quam dicunt, semper est in favorem decreti, et viri prudentis est non nimis sibi ipsi fidere: hac in re, ut quis a vero tramite non aberret, non minus quam scientia valet animi demissio.

Card. BILLOT (1) ulterius inquirens in naturam horum decretorum, et vestigiis Card. FRANZELIN (2) insistens, ait obiectum eorum formale non esse *veritatem* aut *falsitatem* doctrinae, sed illius *securitatem* aut *non securitatem*, i. e. quaestionem, sitne doctrina aliqua tuta an non tuta (3); indeque Billot sibi videtur melius explicare cur « tandem fit, ut ex natura rei non requiratur infallibilitatis auctoritas ad hoc ut iure meritoque exigatur interior mentis obedientia ». Quidquid sit de hac re, illud tenendum est: huiusmodi decreta SS. Congregationum non esse *mere* disciplinaria, sed aliquo saltem modo *vere doctrinalia* esse pronuntianda; nam certe *doctrinam*, sive ut veram sive ut tutam, attingunt. Auctoritatem, qua haec decreta eduntur, vocat Franzelin *auctoritatem providentiae doctrinalis* (l. c. p. 119). 1. Cf. BAINVEL, *De Scriptura S.* p. 39.

178. Scholion. — 1. DE QUAESTIONE GALILEO GALILEI (4).

Cum sermo fit de decretis Congregationum semper iterum iterumque obicitur illa quaestio de damnatione Galileo Galilei. Non est sane hic locus

---

(1) *Tract. de Eccl. Christi* p. 445-450.

(2) *Tract. de div. Trad. et Script.*[4] p. 119-141.

(3) « Dico ergo nos exinde manuduci posse ad intellegendum *quid sit edere decretum quo non speculativa veritas definitur, sed securitati doctrinae prospicitur.* Nihil enim aliud est quam decernere authentice, aliquam doctrinam esse tutam, hoc est consonam regulae fidei, ea saltem probabilitate, quae sufficiat ut quis possit illam amplecti; vel e contra, aliquam doctrinam non esse tutam... » (l. c. p. 447).

(4) Cf. H. GRISAR, *Galileistudien. Historisch-theologische Untersuchungen über die Urteile der römischen Kongregationen im Galileiprozess*, 1882; A. MÜLLER, *Galileo Galilei*, Roma 1911, praesertim p. 203-228. 319-329; HENRI DE L'EPINOIS, *Galilée;*

de illa fuse agendi, id quod fit in tractatu de *Locis theologicis;* nonnulla tamen — cum de ratione agatur interpretandi S. Scripturam — breviter animadvertere opportunum erit:

1) Censura PP. theologorum facta die 24 febr. 1616 erat vere *doctrinalis*; nam de duabus propositionibus sibi propositis affirmant omnes: unam esse « stultam et absurdam in philosophia et formaliter haereticam », alteram vero « recipere eamdem censuram in philosophia, et spectando veritatem theologicam ad minus esse in fide erroneam ».

2) Rationes quae afferuntur tum in proscriptione quorumdam librorum (decretum S. Congr. Indicis die 5 Martii 1616), tum in damnatione Galilei (decretum Congr. S. Officii die 22 Iunii 1633), sunt etiam *doctrinales*; dicitur enim in primo decreto: « Quia ad notitiam S. Congr. pervenit *falsam illam doctrinam* Pythagoricam, divinaeque Scripturae omnino adversantem... »; in decreto autem S. Officii: « ...iudicamus et declaramus te Galileum... et ipsum reddidisse huic S. Officio vehementer suspectum de haeresi, hoc est, *quod credideris et tenueris doctrinam falsam et contrariam S. Scripturis...* ».

3) Sed decreta ipsa non sunt *doctrinalia*, sed *disciplinaria* (3); obiectum enim eorum directum et formale non est doctrina, sed *proscriptio librorum* in primo decreto (« censuit dictos Copernicum... et Didacum Astunica suspendendos esse donec corrigantur »), et *declaratio suspicionis* de haeresi in altero (« te ipsum reddidisse huic S. Officio vehementer suspectum de haeresi »). Iam, decreta propriam indolem sortiuntur ex eorum obiecto directo et formali, non ex rationibus quibus innituntur.

4) Inde sequitur doctrinam in his decretis, proprie ac stricte loquendo, neque falsam neque parum tutam *formaliter* declarari. Nulla S. Scripturae interpretatio *formaliter* probata vel reprobata fuit.

5) Si tamen agatur de opinione vel sententia Patrum Congregationis, concedendum utique est illos errasse; hunc vero errorem *expresserunt* quidem, sed minime (1) *decreverunt*. Ceterum huiusmodi error facile explicatur ex condicionibus tum intellectualibus tum religiosis illius temporis. Cf. supra n. **114**.

2. De authentia textus 1 Ioh. 5, 7.

Quaenam fuerit mens S. Congr. S. Officii in decreto die 13 Ian. 1897 edendo, eadem S. Congr. die 2 Junii 1927 hisce verbis declaravit:

---

son procès, sa condamnation d'après des documents inédits, in *Revue de questions historiques* 1867 III p. 68-145; Vacandard in *Dict. de Théol. cath.* v. 6 col. 1058-1094, praesertim col. 1075-1082: copiosa bibliographia in col. 1093; Pierre de Vrégille in *Dict. Apologétique...* v. 2 col. 147-192, praesertim col. 174-179: expositio brevis et lucida.

(1) De decreto S. Officii anno 1633 hoc affirmat Card. Billot, *Tract. de Eccl. Christi* p. 448 in nota (« ...non fuit editum decretum ad doctrinam pertinens, sed tantum institutus processus criminalis contra particularem personam »). Cf. *Dict. Apol.* l. c. col. 175 s.

(2) Atque haec est ratio cur in Bainvel, *De Scriptura S.* p. 39, non satis accurate dicatur: « Decreta Inquisitionis, etiam per Papam confirmata, non sunt infallibilia, et *unus est notissimus casus erroris*, in causa Galilei » qui modus dicendi est nonnihil ambiguus. Sensus tamen auctoris est procul dubio rectus.

« Decretum hoc latum est, ut coerceretur audacia privatorum doctorum ius sibi tribuentium authentiam commatis Ioannei aut penitus reiciendi aut ultimo iudicio saltem in dubium vocandi. Minime vero impedire voluit, quominus scriptores catholici rem plenius investigarent atque, argumentis hinc inde accurate perpensis, cum ea, quam rei gravitas requirit, moderatione et temperantia, in sententiam genuinitati contrariam inclinarent, modo profiterentur se paratos esse stare iudicio Ecclesiae, cui a Iesu Christo munus demandatum est Sacras Litteras non solum interpretandi sed etiam fideliter custodiendi ».

§ 4. — Auctoritas SS. Patrum in S. Scriptura interpretanda

179. Bibliographia. — Franzelin, *Tract. de div. Trad. et Script.* 1896 p. 11-186; Mangenot et Rivière, *Dict. de Théol. cath.* VII 2, col. 2321-2331; Bainvel, *De magisterio vivo et traditione*, Paris 1905; Ubaldo Ubaldi, *Introd. in S. Script.*[5] 1901 v. 3 p. 267-280; Brucker, *Questions actuelles d'Ecriture Sainte* 1895 p. 134-144 (*De l'autorité des saints Pères dans l'interprétation des textes scientifiques et historiques d'après saint Thomas*).

1) Indubium est unanimem SS. Patrum consensum, in rebus ad fidem vel mores spectantibus, certum facere argumentum; id quod multiplici ratione theologi (1) probant.

2) Eorumdem SS. Patrum auctoritatem etiam in interpretandis SS. Scripturis esse summam, constat tum aliunde tum praesertim ex decretis Conc. Trid. et Conc. Vatic., quibus fideles prohibentur « contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari » (2).

3) Formula, ut apparet, est negativa: sed, quoniam unanimis consensus Patrum exprimit sensum Ecclesiae; de hoc autem sensu dicitur in decreto Conc. Vat. quod « pro vero sensu S. Scripturae habendus sit »; sequitur etiam illum sensum, quem Patres una-

---

(1) Cf. Pesch, *Prael. dogm.*[7] v. 1 n. 576 ss.; Muncunill, *Tract. de Locis theologicis* p. 169 ss.

(2) Pius X in litteris apostolicis die 27 Martii 1906 datis *De ratione studiorum S. Scripturae in Seminariis clericorum servanada*, monet: « Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum habebit numquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiae vel minimum discedere » (*Acta Pii X* 3, 75; Ench. B. n. 168).

nimi consensu tenuerunt, pro vero S. Scripturae sensu esse habendum.

Id autem ut fiat, quaedam requiruntur condiciones:

a) Ut consensus sit *unanimis*, i. e., ut textum biblicum omnes eadem ratione interpretentur. *b*) Ut hanc interpretationem non opinando sed *asserendo*, et quidem tamquam ad *fidem pertinentem* proponant (1). Haec duo disertis verbis commemorat Leo XIII in encycl. *Prov. Deus:* « SS. Patrum... summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad *fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes:* nam ipsa eorum consensione ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet » (Denz.-B. n. 1944; Cav., *Thes.* n. 75).

De his condicionibus est animadvertendum:

α) Minime requiritur unanimitas *physica;* sufficit *moralis*, ex. gr. si plurium ecclesiarum Patres, qui magni sunt nominis, inter se conveniant, ceteris non contradicentibus. β) Si Patres consentiant quidem in aliquo sensu reiciendo, non vero in sensu positivo proponendo, tenebimur ad repudiandum sensum reiectum, non vero ad amplectendum aliquem ex sensibus positive propositis. γ) Tandem, si aliqua interpretatio unanimi consensu tradatur, sed non ut ad fidem spectans vel cum ea copulata, neque tunc auctoritas Patrum summam habet auctoritatem. Ita Leo XIII in encycl. *Prov. Deus:* « Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam *spectantia ad fidem, aut cum ea maxime copulata*, quaenam unanimi tradant consensu; namque "in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit sanctis diversimode opinari sicut et nobis", ut est S. Thomae sententia » (Denz.-B. n. 1948; Cav., *Thes.* n. 87).

---

(1) In hac condicione etiam illa includitur, quae secundo loco poni solet, scilicet, ut agatur de rebus fidei vel morum. Cf. Brucker, *Questions...* p. 283.

« Ut communis Patrum consensus in aliqua interpretatione S. Scripturae in rebus ad fidem vel mores spectantibus faciat rem certam et tenendam, opus est ut ea interpretatio a Patribus tradatur tamquam unica tolerabilis, et tamquam certa et omnino tenenda; aliter satis non elucet Patres communiter velle obligare illa interpretatione, et haberi communem Patrum consensum, de quo Conc. Tridentinum et Vaticanum loquuntur » (Muncunill, l. c. p. 175). Cf. Pesch, l. c. n. 583; Ubaldo Ubaldi, l. c. p. 268; Brucker, l. c. p. 142. 283.

180. Quaedam ex his concludere licet:

1) Ut summa Patrum auctoritas habeatur non sufficit, ut de interpretatione agatur textus dogmatici: requiritur ut huiusmodi interpretetio proponatur, ut diximus, tamquam ad fidem pertinens seu necessaria ad catholicam unitatem servandam.

2) Quaedam invenitur difficultas, cum, dum agitur de sensu dogmatico alicui textui tribuendo, conveniunt quidem omnes Patres in *notione generali*, non autem in particulari huius notionis determinatione (1). Huius rei exempluM haqes in Is. 53, 8 *Generationem eius quis enarrabit?* « Nomina γενεαν et *generationem*, ait PATRIZI, *in Act. Ap.* 8, 33, in Isaiae vaticinio in verum ac proprium sensum omnes (2) (Patres) acceperunt, et quamquam alii *generationem* Christi divinam, alii humanam, alii utramque, alii alterutram eo significari dicant, de hoc tamen unanimi consentiunt, proprie dictam Christi *generationem* eo vocabulo ab Isaia signari ».

Patet ad nullam ex his particularibus interpretationibus nos teneri. Sed num ad interpretationem generaliorem? Num admittendum in Is. 53, 8 sermonem fieri saltem aliquo modo de Christi *generatione?* Videtur negative respondeudum. Patres enim non loquuntur de generatione Christi in genere, nec proinde asserunt de *aliqua* saltem Christi generatione agi, sed textum definite interpretantur vel de generatione *humana* vel de generatione *divina* Christi (vel etiam de alterutra) (3). Suam vero propriam interpretationem alios Patres contra aliorum sententiam noluisse tamquam ad fidem pertinentem proponere evidens est. Probati auctores catholici (4) sententia Patrum relicta, aliam (5) nunc communiter tenent.

3) Textus S. Scripturae, qui ex natura sua mere **scientifici** habentur, non sunt *quatenus tales* obiectum traditionis dogmaticae (6), sed quidem *quatenus inveniuntur in S. Scriptura.* Recte igitur ait BAINVEL, *De Script. S.* p. 204 « non dari authenticam Patrum interpretationem unanimem in huiusmodi rebus (mere scientificis), qualem intellegit ecclesia, cum de consensu Patrum unanimi loquitur ». Illud tamen probe animadvertendum, quod, si Patres unanimi consensu doctrinam tradant tamquam ad fidem pertinentem, eo ipso declarant illam doctrinam non esse mere scientificam, licet nobis aliter forsan videretur.

4) Cum agitur de librorum sacrorum sive *authentia* sive *indole*

---

(1) Cf. CORLUY, *La Contr. et le Contemp.* 1885 II p. 428.

(2) Ipse PATRIZI, l. c. tradit elenchum Patrum, ex quibus 39 generationem divinam, 4 generationem humanam, 20 alterutram, 1 Christi generationem indiscriminatim, tenent.

(3) Hac de causa posset etiam negari exstitisse vere unanimem consensum, cum non unam sed varias revera tradant interpretationes.

(4) Ex. gr. KNAB.-ZORELL, *in Isaiam*[2] 1923 v. 2 p. 331 ss.; PESCH, *Praelectiones dogm.*[7] v. 1 p. 587; MUNCUNILL, *De Locis theologicis* p. 175 s.

(5) Interpretationi Patrum ansam praebuit vox γενεά, *generatio*, quam in versione graeca vel latina legebant. Certum est vocabulum hebraicum *dor* in Is. 53, 8 significare *aequales, homines illius aetatis*, vel etiam *posteritatem*, ita ut sensus sit: « quis numerare poterit posteritatem eius? » vel « ad aequales eius quod attinet, quis considerat...? ». Cf. KNAB-ZOR., *in loc.*

(6) Cf. BRUCKER, *Questions...* p. 96-99 (*Prov. Deus*, DENZ.-B. n. 1948), p. 134-144; EGGER, *Absolute...* p. 305-310; DESSAILLY, *L'Ami du Clergé* 1899 p. 269-272.

litteraria, magni est facienda traditio, de qua haec duo sunt investiganda: *a*) an consensus Patrum habeatur saltem moraliter unanimis; *b*) an Patres doctrinam tradiderint tamquam necessario tenendam. Si utraque condicio adimpleatur, eo ipso cum certitudine constat agi in hoc casu de re fidei et morum. Ceterum vehementer erraret qui contenderet authentiam et indolem litterariam sacrorum librorum semper esse rem mere scientificam, ac proinde intra ambitum traditionis ecclesiasticae non contineri (1).

NB. De duplici agendi ratione in iudicio de Patribus ferendo, altera *theologorum*, altera potius *criticorum* quae dicitur et historicorum, cf. Bainvel, *De magisterio...* p. 76 s., ubi traditur de hac re bibliographia.

§ 5. — De analogia fidei (2)

181. Iuxta analogiam fidei (κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως Rom. 12, 6), quae est *consonantia doctrinae alicuius cum reliquis doctrinis revelatis* (cf. Cornely, *in ep. ad Rom.*, ad loc.) interpretanda sunt illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice non declaratus est. Leo XIII: « In ceteris analogia fidei sequenda est, et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, tamquam summa norma est adhibenda » (*Prov. Deus*, Denz.-B. n. 1943). Et addit rationem: « nam, cum et sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur » (ibid. Cav., *Thes.* n. 73). Unde damnatae sunt a Pio X hae duae propositiones: « Exsistere potest et reipsa exsistit oppositio inter facta, quae in S. Scriptura narrantur eisque innixa Ecclesiae dogmata; ita ut criticus tamquam falsa reicere possit facta, quae Ecclesia tanquam certissima credit ». « Reprobandus non est exegeta, qui praemissas adstruit, ex quibus sequitur dogmata historice falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget » (*Lamentabili*, prop. 23. 24; Denz.-B. n. 2023. 2024).

Hanc regulam adhibuerunt Patres. S. Augustinus: « Sed cum verba propria faciunt ambiguam Scripturam... consulat *regulam fidei*, quam de Scripturarum planioribus locis et Ecclesiae aucto-

(1) Alia de auctoritate PP. vide infra n. **194**.

(2) Cf. Franzelin, *Tract. de div. Traditione et Scriptura*[4], 1896 p. 200-210; Mangenot, *Interpr. de l'Ecriture*, in *Dict. de Théol. cath.* VII 2, col. 2332-2343; Ubaldo Ubaldi, *Introd. in Script.*[5] v. 3 p. 281-290.

ritate percepit » (*De doctr. christ.* 3, 2 *PL* 34, 65; ubi res pluribus etiam exemplis illustratur).

182. Analogia fidei est criterium praecipue quidem *negativum*, sed etiam *positivum*. Ad rem optime FRANZELIN, *De div. Trad...* p. 205 s.: « Ecclesiastica praedicatio (1) universim spectata, quin ad determinandum sensum loci singularis Scripturarum per se et explicite referatur, est tamen canon interpretationis in primis *sensu negante*, ut nulla interpretatio possit esse vera, quae cuicumque Scripturarum textui, ex ipsa sacri scriptoris mente enuntiato, sensum tribuat repugnantem proximae regulae fidei, quia veritas non potest repugnare veritati. Praeterea iuvat eadem ecclesiastica praedicatio, etiam *positive*, ad sensum difficilium locorum tutius et plenius intellegendum.. » « In huiusmodi quippe locis, sacri scriptores ipsi in suis lectoribus pleniorem doctrinae cognitionem, ad verum sensum assequendum praesupponunt... ». Et ad rem illustrandam adducit nonnulla exempla: « Conferatur ex. gr. praesuppositus intellectus catholicus de sacramento matrimonii, cum Eph. 5, 32, in contextu totius loci v. 23-32; de charactere sacramentali cum 2 Cor. 1, 22; Eph. 1, 13; de potestate relicta Ecclesiae concedendi indulgentias, cum Mt. 16, 19; de Filio Dei genito a Patre et subsistente in duabus naturis, cum Io. 10, 36... ».

NB. 1) Sunt auctores (MANGENOT, l. c. col. 2337 ss.; de CASTRO *Introd. gen...* p. 428) qui distinguant inter analogiam fidei *biblicae*, cum nempe textus obscurior ab aliis textibus clarioribus illustratur, et analogiam fidei *catholicae*, de qua egimus; quae quidem distinctio, insinuata in adductis S. Augustini verbis, non est improbanda: tantum est animadvertendum nomine *analogia fidei* intellegi communiter analogiam fidei *catholicae*.

2) Analogia fidei (ἀναλογία, proportio, comparatio) significat proprie, ut diximus, *consonantiam*, *convenientiam*, *harmoniam* alicuius doctrinae cum reliquis doctrinis revelatis; et hic sensus est retinendus. Non tamen est negandum hoc nomine indicari etiam (cf. HÖPFL, *Tract. de inspir...* p. 197) complexum doctrinarum, quas Ecclesia profitetur et docet.

Scholion. — QUID INTELLEGATUR NOMINE « SENSUS ECCLESIAE »?

183. 1) Traditionem de qua egimus, « vocant SS. Patres *praedicationem ecclesiasticam*, *intellegendi regulam*, *regulam apostolicae veritatis*, cum doctrinam spectant ut objectum quod in successione apostolica servatur ac traditur; *conscientiam fidei*, *catholicum intellectum*, *ecclesiasticum sensum*, *fidem scriptam in cordibus*,

(1) FRANZ. intellegit *Analogiam fidei:* « Facile quisque videt totam rationem praedicationis ecclesiasticae tamquam normae interpretandi Scripturas tum *positiva* tum *negativa* significatione heic declaratam, nihil esse aliud quam eam, quae dici solet *lex interpretandi secundum analogiam fidei* » (l. c. p. 206).

cum spectant directe ut subjectum Ecclesiam sub Spiritu sancto constitutam et charismate veritatis imbutam ad intellegendum, custodiendum et explicandum depositum fidei » (1).

2) Igitur *sensus Ecclesiae* nihil aliud est nisi ipsa traditio quatenus habetur, tamquam in subiecto, in Ecclesia sub Spiritu S. constituta. Potest autem considerari *active:* sensus Ecclesiae *docentis;* vel *passive:* sensus Ecclesiae *credentis*, qui dicitur etiam *sensus fidelium.* Inde patet dicendum esse de *sensu Ecclesiae* quod supra n. **179** s. dictum est de traditione, easdemque regulas esse illi applicandas.

NB. Idem ac sensus Ecclesiae valet alia denominatio: *sensus catholicus.* Haec tamen « aliquando usurpatur significatione non plane diversa, sed paulo latiore, ad significandam totam rationem agendi et sentiendi in Ecclesia, unde exsurgit " spiritus, qui dicitur, Ecclesiae „ (2). Qui ut summo opere commendandus et sectandus est, ita in *casibus singularibus* nec temere est appellandus contra omnem opinionem non tuam, nec facile dignosci semper potest » (3).

CAPUT III

De catholici interpretis munere hac nostra aetate

Quae hucusque proposuimus, generalia sunt ac omnibus temporibus et condicionibus accommodata. Sed cum haec nostra aetas, propter errores gravissimos in re theologica atque adeo in quaestionibus biblicis sive aperte grassantes sive insidiose latentes, interpreti catholico speciales praebeat difficultates, haud inutile fuerit paucis exponere, qui sint hodie modi explicandi S. Scripturam et quae in tantis periculis interpreti catholico sit sequenda via, ut et fidelitatem erga S. Ecclesiam et verae scientiae studium fructuose profiteatur.

Art. 1. — Diversi modi interpretandi ss. Libros

184. Cum ss. libri Vet. et Novi Testamenti duplicis sint indolis, divinae sc. simul et humanae, eorum interpretatio, prout alterutrum elementum magis urgetur, diversa erit atque quam maxime

(1) Bainvel, *De magisterio...* p. 40.
(2) Vide infra n. **192-197.**
(3) Bainvel, ibid. p. 99.

dependet a gravissimis philosophiae quaestionibus fundamentalibus. Tres in nostra re distingui possunt interpretum classes: *a*) Sunt alii qui aperte negant *Deo personalis existentiam* et rationem humanam unicum fontem et criterium religionis agnoscunt (*rationalismus*). Ideo ll. sacros Novi et Veteris Testamenti haud aliter considerant ac quoslibet alios de ideis et doctrinis religiosis libros, sc. ut fontes historicos plus minusve fideles quibus conceptus religiosi diversis historiae periodis in populo Israelitico et in primitivo Christianismo vigentes manifestentur. *b*) Alii sunt qui Deum personalem esse quidem agnoscunt, at *falsa Dei idea imbuti*, aut negant eum habere curam hominum aut eum derogare posse per miracula naturae cursui ordinario, elevasse homines ad ordinem vere supernaturalem, instituisse Ecclesiam visibilem, hierarchicam, « columnam et firmamentum veritatis », ss. Librorum custodem et interpretem infallibilem. Hi nempe exegetae, qui generatim inter Protestantes « conservatores » inveniuntur, s. Scripturam considerant quidem ut magnum Dei donum et vitae religiosae adiumentum, at ideam revelationis vere et proprie supernaturalis non raro aut negant aut coarctant, inspirationis et inerrantiae conceptus attenuant, obiectiva et absolute certa regula interpretationis omnino carent. *c*) *Interpretes catholici* Dei cognitione vera et recta ducti, sapientissimam eius et piissimam erga homines providentiam agnoscunt, ss. Librorum originem et indolem divinam affirmant, Ecclesiam ut infallibilem ducem et interpretem agnoscunt.

Patet triplicem hanc de ipsis fundamentis diversitatem diversam quoque in aestimanda, intellegenda, interpretanda S. Scriptura rationem ac viam secum ferre.

185. I| **Interpretatio rationalistica.** — Qui Dei personalis exsistentiam negant, libros V. et N. Testamenti non aliter considerant ac alia scripta religiosa, v. g. Koranum Mahommeti, scripta Buddhistica, libros apocryphos, scripta Hermetica. Quae in eis supernaturaliter aut revelantur aut fiunt (miracula), explicantur ut mythi aut legendae. Ope artis « criticae » ostenditur contecta et omni valore historico destituta esse quaecunque hi libri habent de sua origine supernaturali aut de origine mirabili religionis

israeliticae et christianae, de manifestationibus Dei ad homines, de commercio entium supramundanorum cum hominibus et sim. Errores in ss. Libris non tantum admittunt, sed expressis verbis asserunt, eosque non solum historicos, sed etiam religiosos. Ut originem idearum religiosarum explicent sive per influxum externum ex aliis religionibus, sive per evolutionem internam, ipsos ss. Libros in diversos fontes discerpunt, qui diversis religionis periodis ab ipsis statutis respondeant, et populos finitimos perquirunt, ut elementa affinia inveniant (schola *evolutionistica* et *scientiae religionum comparativae*) (1).

Exempla habes v. g. in critica litteraria Pentateuchi, ut proponitur a schola Wellhauseniana, in argumento ideologico pro distinctione Proto Deutero- et Trito-Isaiae, in explicatione vaticiniorum ex ideis contemporaneis finitimarum gentium, in negata authenticitate Evangeliorum eorumque explicatione ex compilatione diversorum fontium multo posteriorum, in explicatione doctrinae S. Pauli vel S. Iohannis ex doctrinis hellenisticis vel gnosticis, et similibus.

Est haec methodus propria *rationalismi* cuius conclusiones postea per *evolutionismum* et *criticismum* ac nostra aetate per *scientiam religionum comparativam* ulterius explicatae sunt; inter auctores Protestantes plerique, praesertim in Germania, practice eam sequuntur (2).

186. 2) **Interpretatio «criticorum moderatorum».** — Altera classis interpretum quae non eo usque procedit ut neget fundamenta ipsa religionis christianae, plerumque reicit placita criticismi rationalistici, quatenus innituntur theoriis evolutionismi; tamen hi quoque interpretes cum de multis doctrinis christianis non recte sentiant, plurima asserta scholae illius magis extremae admittunt. Immo non pauci inter eos sunt qui ne de ipsa quidem natura divina Christi claram et explicatam ideam habeant ideoque nec de eius miraculis ac multo minus de eius institutione, sc. de Ecclesia. Quae cum ita sint, ipsi quoque non raro, ut effugiant conclusiones suo systemati oppositas, confugere coguntur ad negandos et detorquendos textus sacros, ad impugnandam traditionem de auctoribus ss. Librorum eorumque aetate. Id eo facilius fieri solet quia hic

(1) Cf. v. g. A. MAYER, in *Rel. in Gesch. und Gegenwart* vo. I, 1131-113
(2) Cf. supra n. 52.

interpretibus protestantibus omnis deest norma obiectiva verae interpretationis, sc. regula fidei et traditio, et interpretatio fere tota quanta secundum criteria mere humana procedit. Ideo mirum non est, quod eorum interpretatio plerumque in se non cohaeret et logice in systema rationalismi critici reducitur.

187. 3) **Interpretatio catholica** his duabus classibus ita opponitur, ut innitatur certis et definitis articulis fidei de Deo eiusque pro salute hominum opere ac de ipsa indole divina ss. Librorum.

Neque tamen interpres catholicus, cum hanc divinam ss. Librorum indolem agnoscit, a via « *verae scientiae* », ut saepe conclamitant, recedit. *Vera* enim scientia ab inconcussis illis fundamentis procedit, quibus Dei exsistentia eiusque circa homines providentia certo et invicte probantur. Hunc Deum ad homines per revelationem proprie dictam locutum esse « multifariam multisque modis olim in Prophetis, novissime vero in Filio » (cf. Heb. 1, 1), ex ss. Libris probat, eos interim considerando ut documenta *mere historica*, neque aliter interpretando ac documenta historiae profanae (*methodus historica*). Ex his fontibus collectis, critice de sua integritate et genuinitate examinatis, et quoad ipsam doctrinam discussis, historica sive morali certitudine probatur Christum esse Legatum divinum, immo verum Filium Dei, eumque fundasse Ecclesiam visibilem, hierarchicam, infallibilem, cui soli custodiam et authenticam interpretationem ss. Librorum commisit. In hac autem demonstratione (quae vulgo « theologia fundamentalis » audit) nihil non adhibetur methodorum, criteriorum, subsidiorum, quae solidae scientiae historicae criticae propria sunt.

Quare si peracta hac demonstratione, interpres catholicus ss. Libros iam considerat ut divinitus inspiratos et ab omni errore immunes, si in eorum interpretatione regi se ac duci sinit infallibili Ecclesiae iudicio (*methodus dogmatica*), nihil reapse facit nisi quod faciendum esse scientifica et historica certitudine demonstravit, ideoque nullo pacto meretur notam illam ipsum esse « dogmatice ligatum » et versari extra campum eorum qui « veram scientiam sequuntur ». Nam qui ita loquuntur, tristi obcaecantur errore arbitrati veram scientiam solo humanae rationis lumine regi ac totam quantam absolvi iis quae ex argumentis historicis, philo-

logicis, archaeologicis hauriuntur. Neque etiam suas cuique scientiae esse leges considerant, quas qui adhibet, scientifice procedit, dummodo scientifice ostenderit has leges in sua disciplina vigere. Auctor autem catholicus qui ex timore ne dicatur « versari extra scientiam », interpretationem ss. Librorum fere argumentis philologicis, historicis, archaeologicis continet, neglectis theologicis et dogmaticis, aeque imprudenter ageret ac mathematicus qui, ne historicis displiceret, mathesim agere vellet secundum leges et methodos in historia adhibitas. Neque fideliter et prudenter talis exegeta catholicus muneri suo gravissimo satisfaceret instruendi de mirabili divinae oeconomiae salutis consilio per saecula gloriosius semper manifestato eos, qui mox ut sacerdotes et populi christiani doctores alios de hac salutis oeconomia docere debebunt.

Art. 2. — Quae via hodie interpreti catholico sequenda sit.

188. Interpres igitur catholicus in munere suo implendo sedulo ante oculos habebit normas scientificas quas suae disciplinae proprias esse legitime probaverit.

1) Ac primum quidem *in diiudicandis theoriis et principiis ipsius scholae rationalisticae vel semirationalisticae.* Nunquam memor non erit plurimas difficultates quae ab illa schola proferuntur, non tam provenire ex rationibus criticis aut philologicis aut historicis, quam ex fundamentis ipsis *philosophicis*, ideoque existimabit primum suum negotium esse, ut serio examinet, quibus suppositionibus aprioristicis et philosophicis argumentatio a criticis proposita innitatur. Facile patet (id quod ex historia Modernismi abunde constat) exegetam catholicum qui hoc examen neglexerit, in gravissimum incurrere periculum, ne incaute ea admittat quae cum suis principiis catholicis nequaquam conciliari possunt, et sub specie « scientiae » adhaereat methodo, quae ultimatim in sententiis philosophicis fundatur a veritate catholica, quam ipse profitetur, immo a sanis cognitionis principiis, plane alienis. Econtra, si serio doctrinae adversariorum examinarit fundamenta, non raro deteget « problemata » illa, in quibus tantopere insudant, ne exsistere quidem, dummodo possibilitas revelationis proprie dictae et miraculi agnoscatur.

189. 2) Porro etiam in iis quae non aperte contradicunt dogmati catholico. *modum procedendi et methodum criticorum serio examinabit.* Ipsa enim criticorum methodus, cum ex falsis principiis philosophicis procedat et non raro ad falsas conclusiones probandas adhibeatur, non potest non esse infecta falsis his elementis. Et re quidem vera non semel data opera in ss. Libris quaerunt contradictiones et errores: eas difficultates, quae vere adsunt, ultra mensuram exaggerant atque insolubiles declarant, solutionibus veterum aut omissis aut fastidiose reiectis; argumenta traditionis omnino spernunt; dependentiam ab aliis religionibus vel cultibus affirmant ubi ne tenues quidem sunt similitudines aut si quae sunt, ex naturae humanae simili tendentia facile explicantur; textus cum suis theoriis non congruentes temere et spreta auctoritate versionum reliquorumque testium ex solis criteriis internis aut reiciunt aut immutant, et sim. Quodsi interpres catholicus ad « tendentiam », quae huic modo procedendi subest, non attenderit, facile accidere potest (ut non semel in recentissima historia exegeseos catholicae factum est), ut argumenta a criticis proposita — quae saepe speciosa sunt et multo labore congesta — non serio et graviter iterum atque iterum perpendat et examinet, iisque dociles aures praebeat. Inde fiet ut ipse quoque facilius detegat « duplicata », valorem deneget traditionibus de auctore et aetate libri, in fontes discerpat quae in se unum sunt et ab auctore secundum ipsius de unitate litteraria ideam ut unum considerabantur, textum sacrum levius corrigat aut non genuinum declaret, explicationes miraculorum proponat quae elemento supernaturali aliquid de trahere videntur, argumenta externa traditionis prae mere internis contemnat, decreta SS. Congregationum Romanarum parvipendat, in difficultatibus solvendis facile confugiat ad solutiones, quae in singulis quidem casibus, dummodo solidis argumentis probentur, admitti possunt, sed si facilius usurpentur aut per modum legum generalium interpretationis proponantur, ipsa principia hermeneuticae catholicae subruunt, ut sunt v. g. systemata citationum implicitarum, generum quorundam litterariorum antiquorum, et alia huiusmodi (1).

(1) Cf. supra cap. I art. 4.

Interpres igitur catholicus ut recte discernat quae in argumentis a criticis prolatis vera, quae falsa sint, et bene instructus esse debet in *iusto usu critices aliarumque scientiarum auxiliarium*, et profunde imbutus *sensu vere catholico*.

190. *Usus legitimus critices et aliarum scientiarum auxiliarium.* *Critices* usus iustus ac moderatus interpreti catholico sane non interdicitur, immo ab ipsa auctoritate ecclesiastica laudatur: « Ut damnanda est, ait PIUS X, eorum temeritas, qui plus tribuentes novitati quam magisterio Ecclesiae critices adhibere genus non dubitent immodice liberum; ita eorum ratio non probanda, qui nulla in re ausint ab usitata exegesi Scripturae recedere, etiam cum salva fide id bona studiorum incrementa postulent »; immo certum est « nihil timendum esse divinis libris a vera progressione artis criticae, quin commodum ex hac subinde peti posse; ita nempe si prudens sincerumque iudicium huc accesserit » (1). Etiam LEO XIII usum critices moderatum, debitis adhibitis cautelis, iampridem commendaverat: « *Artis criticae* disciplinam, quippe percipiendae penitus hagiographorum sententiae perutilem, Nobis vehementer probantibus, nostri excolant. Hanc ipsam facultatem, adhibita loco ope heterodoxorum, Nobis non repugnantibus iidem exacuant. Videant tamen, ne ex hac consuetudine intemperantiam iudicii imbibant: siquidem in hanc saepe recidit artificium illud criticae, ut aiunt, sublimioris; cuius periculosam temeritatem plus semel Ipsi denuntiavimus » (2).

Hanc vero auream viam, quam Leo XIII et Pius X indigitaverant, concise et nervose etiam BENEDICTUS XV commonstravit, cum Leonem XIII laudabat quod « normas tradiderit ac monita, quibus inter tumidi rationalismi fluctus ac scopulos, non modo sacer Scripturae thesaurus protegeretur, sed etiam patefierent sanissimae modernitatis studia et subsidia, quibus in ea illustrarentur, vindicarentur, promoverentur *nova et vetera* » (3).

---

(1) PIUS X in litteris ad Episcopum Rupellensem, die 11 Ian. 1906; DENZ.-B. n. 1946 nota 1; cf. supra n. **63** nota 2.

(2) In litteris *Vigilantiae*, die 30 Oct. 1902; *Acta S. Sedis* 35 (1902-3) 236; CAV., *Thes.* n. 101 b); DENZ.-B. n. 1946 nota 1. Cf. *Prov. Deus*, DENZ.-B. n. 1946; CAV., *Thes.* n. 84.

(3) Ex litteris ad Vice-Praesidem P. Instituti Biblici, die 24 Nov. 1918, occasione XXV anniversarii ab encycl. *Prov. Deus* edita. Cf. *Biblica* 1 (1920) 159.

191. Atque ut critica, ita etiam *historia antiqua et profana et religiosa*, *archaeologia*, *philologia*, interpres catholicus serio utetur, ut magis magisque in ss. Librorum sensum perpenetret ac difficultates, quae non semel ex ipsa harum scientiarum auxiliarium ignorantia exoriuntur, dilucidet ac solvat. In hoc autem studio illud semper ante oculos habebit veritati veritatem nunquam contradicere, ideoque, etsi heterodoxorum studiis prudenter utitur, eorum tamen argumentis speciosis et captiosis non caece et indigna fiducia credet, sed omnia, praelucente fidei de veritate et inerrantia Scripturae sacrae lumine, sobrie et cordate ad trutinam revocabit. Sic artem criticam aliasque scientias cum traditione videbit amice componi et cum tendentia conservatrice coniunget verum et solidum progressum.

192. 3) In proponendis autem propriis elucubrationibus et conclusionibus noster interpres quam maxime duci ac regi se sinet, *sensu illo catholico*, cui satis non est infallibili Ecclesiae iudicio se submittere et SS. Congregationum decretis conscientiam sub gravi obligantibus obedire, sed qui ita dispositus est, ut etiam *directionem*, *consilia*, *insinuationes* Ecclesiae grato et docili animo sequatur. Videlicet, cum plura sint, quae cum veritatibus revelatis neque necessario pugnent, neque necessario connectantur, habeant tamen cum illis maiorem vel minorem convenientiam; in his duci convenit ea dispositione animi, et mentis et voluntatis, qua inclinamur ad amplectendam eam doctrinam, quae videatur sensui Ecclesiae melius consonare.

Hanc animi dispositionem esse iustam et maxime commendandam patet potissimum: a) *ex indole supernaturali S. Scripturae;* b) *ex particulari Spiritus Sancti assistentia Ecclesiae concessa, etiam cum magisterium ordinarium quocumque modo exercet;* c) *ex eo quod magni facienda sit expositio Patrum, etiam cum munere doctorum quasi privatim funguntur.*

193. *a*) Cum in S. Scriptura ratio tradatur, qua Deus se hominibus manifestavit, et vicissitudines enarrentur populi electi, quem Deus mira providentia gubernavit, consentaneum est, ut multa ibi commemorentur, quae vires humanas superent et ordinem supernaturalem attingant. Non sunt igitur quasi a priori

refugienda vel etiam ad minimum reducenda ea, quae ut miracula apparent; nam quod plura ibi sint extra ordinem mere naturalem posita, id ipsi rei naturae respondet. Prae oculis igitur habere indolem supernaturalem S. Scripturae ita non repugnat interpretationi vere scientificae, ut ab illa potius exigatur. Ad rem facit propositio a Pio X damnata : « Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, imprimis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae seponere debet, eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana » (*Lamentabili*, Denz.–B. n. 2012).

194. *b*) « Ubi enim, ait Leo XIII, charismata Domini posita sint, ibi discendam esse veritatem, atque ab illis, apud quos sit successio apostolica, Scripturas nullo cum periculo exponi, iam sanctus docuit Irenaeus » (*Prov. Deus*, Cav., *Thes.* n. 71). « Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis, incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse qui, verae fidei expertes, Scripturae non medullam attingunt, sed corticem rodunt » (Ibid. Cav., *Thes.* n. 77).

195. *c*) Ad Patrum auctoritatem quod attinet, haec habet Leo XIII in encycl. *Prov. Deus:* « Eorundem vero Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, cum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur; quippe quos, non modo scientia revelatae doctrinae et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse, viros sanctimonia vitae et veritatis studio insignes, amplioribus luminis sui praesidiis adiuverit. Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intellegenti delectu » (Cav., *Thes.* n. 75).

Haec catholicus vir cum intellegat, animum experietur et paratum ad amplectendas sententias, quae sensui Ecclesiae videantur melius convenire (1), et minime propensum ad sequendas,

(1) Neque illum movet quod nonnumquam, pro casu aliquo particulari, possit inde aliquid incommodi exoriri; nam probe scit: 1) non esse condicionis humanae incommoda omnia devitare, ab eaque lege non eximi, Deo sic permit-

sive levitate sive superbia, quasdam novitates, quae plerumque fallunt specie quadam et simulatione veri.

196. Hac in re liceat revocare in memoriam gravissima verba Leonis XIII in litteris ad Ministrum generalem Ordinis Fratrum Minorum die 25 Nov. 1898 (1): « Dein nihil esse vides, quod fidei christianae tam vehementer intersit, quam explanari probe ac fideliter, ut oportet, conscripta divino Spiritu afflante volumina. Habenda ratio et diligentia est in re tanti momenti, ne quid non modo superbia sed ne levitate quidem animi imprudentiave peccetur: in primisque ne plus aequo tribuatur sententiis quibusdam novis, quas metuere satius est, non quia novae sunt, sed quia plerumque fallunt specie quadam et simulatione veri. Adamari hac illac coeptum est, vel a quibus minime debuerat, genus interpretandi audax atque immodice liberum; interdum favetur etiam interpretibus catholico nomine alienis, quorum intemperantia ingenii non tam declarantur sacrae litterae, quam corrumpuntur. Cuiusmodi incommoda in malum aliquod opinione maius evasura sunt, nisi celeriter occurratur. Omnino postulant *eloquia Dei* a cultoribus suis iudicium sanum ac prudens: quod nullo modo poterit esse tale, nisi adiunctam habeat verecundiam modestiamque animi debitam. Id intellegant ac serio considerent, quicunque pertractant divinos libros: iidemque meminerint, utique habere se quod in his studiis tuto sequantur, si modo audiant Ecclesiam ut debent. Non silebimus, Nos ipsos per Litteras *Providentissimus Deus*, quid hac de re sentiat, quid velit Ecclesia, dedita opera docuisse. Praecepta vero et documenta Pontificis maximi neglegere, catholico homini licet nemini ».

197. Hunc igitur sensum catholicum interpres in omni suo modo loquendi, docendi et scribendi sequetur, persuasum habens exegesim et quiquid ad S. Scripturam pertinet, *partem esse, eamque insignem, sacrae theologiae* et praedicationem ac defensionem ipsius verbi divini. Quare in elucubrationibus hanc indolem theologicam nunquam non ante oculos habebit et materiam suam ea cum reverentia tractabit quam Dei verbum meretur. Hoc sane non impedit quominus, in quaestionibus quae ad fidei praeambula spectant,

---

tente. Ecclesiam, utpote inter homines constitutam: 2) retardatam penitiorem alicuius loci biblici cognitionem nullam esse causam cur nos obedientiam Ecclesiae debitam recusemus; 3) ad verum profectum scientiae sacrae ante omnia requiri Dei adiutorium et benedictionem: hanc autem benedictionem non minus mereri humili erga Dei in terris Vicarium obedientia, quam studiorum labore et sudore; 4) ipsam moram, quae in casu particulari accidere potest, tandem aliquando cedere in veram ipsius scientiae utilitatem, cum novae et magis accuratae investigationis sit occasio.

(1) *Acta S. Sedis* 31 (1898-99) 264 s. Cf. etiam *Epist. encycl.* Leonis XIII ad Archiep. Episc. et Clerum Galliae, 8 Sept. 1899 (Acta S. Sedis 32 [1899-1900] 202). Inter *Acta Leonis XIII*, v. 19 p. 171 s. Cf. supra n. 61.

cum methodo historica utitur, ex ratione tactica ab indole inspirata ss. Librorum praescindat (1), immo etiam in aliis quaestionibus, ex iisdem rationibus apologeticis, interdum mere historice procedere poterit, dummodo clare et indubie exprimat, id praescindendo tantum fieri, atque adeo ostendat ipsa fidei mysteria et veritates vere supernaturales nulli humano sive influxui sive evolutioni deberi.

198. Qui, hoc spiritu imbuti, «nihil ducant instituto suo alienum, quod recentiorum industria repererit novi: quin immo excubent animo, si quid dies afferat utile in exegesim Biblicam, ut id sine mora assumant communemque in usum scribendo convertant» (2), idque ad sacrorum voluminum non modo sensum illustrandum, sed etiam auctoritatem confirmandam derivent ac trahant, ii merito «laetari poterunt digna se opera sacris Litteris inservire, eamque rei catholicae opem afferre, qualem de filiorum pietate et doctrinis iure sibi Ecclesia pollicetur» (3). Sane *hoc opus, hic labor!* At fructus etiam uberrimi et optimi.

(1) Cf. Resp. Comm. Pont. Bibl. d. d 29 maii 1907, dub. I (DENZ.-B. n. 2110), et d. d. 12 iun. 1913, dub. II (l. c. n 2167).

(2) *Vigilantiae, Acta S. Sedis* 35 (1902-3) 235; CAV., *Thes.* n. 101 a.

(3) *Prov. Deus*, CAV., *Thes.* n. 94.

SECTIO III

De sensu apte proponendo

(Prophoristica)

199. Ratio proponendi sensum S. Scripturae respondeat oportet scopo, quem quis sibi praestituit; scopus autem est: *institutio scientifica*, vel *moralis aedificatio*. Rursus utrique scopo inserviunt quaedam imperfectae et quasi inchoatae expositionis genera, quae pleniori aut materiam exhibent aut viam parant. Agemus itaque:

I. De imperfectis expositionis generibus.

II. De expositione scientifica.

III. De expositione populari ad moralem aedificationem.

CAPUT I

De imperfectis expositionis generibus

200. Versio. — Difficilis semper est versio, at difficillima cum fit ex lingua hebraica propter illius indolem a nostrarum linguarum indole valde remotam. Sit *fidelis* seu *vera*, *perspicua*, et, quoad eius fieri potest, etiam *elegans*.

Tenax verborum sit translator, quantum ingenium linguarum patitur, ne versio exsistat iusto *liberior;* non tamen necessario reddat verbum verbo, sed accuratissime sensum verbo expressum. Itaque non nimis adhaereat vocabulis quasi materialiter sumptis (versio *servilis*), sed eas adhibeat voces eamque dicendi rationem, quae, cum indoli propriae linguae respondeant, etiam auctoris sensum, immo varias sensus vel levissimas modalitates exprimant. Unde non semel fiet ut idem vocabulum, eadem particula in diversis locis diversimode reddatur. Ita ex. gr. *wau* hebraicum valet ut plurimum *et;* sed alias vertendum est: *igitur*, *verumtamen*, *scilicet*, *consequenter*, *tunc vero* etc., idemque dic de aliis vocibus. Alia difficultas, nec parva, oritur ex eo quod ipse textus hebraicus in nonnullis locis retractatione indigeat, id quod fieri nequit nisi

accuratissima exegesis instituatur, testimoniis versionum ad trutinam revocatis. Non immerito affirmatur versionem fidelem esse per seipsam quasi bonum commentarium.

201. Paraphrasis (a παραφράζειν, aliquid latius et explicatius eloqui) est *liberior* textus *versio* (vel etiam mera expositio, lingua nempe libri retenta) vocibus immo et sententiis additis, quo clarius sensus, semper auctoris nomine, proponatur. Sensui *nihil novi* addat, sed illum *aperiat* et faciliorem reddat; non sit verbosa. Quare non mediocri opus est cura in seligendis vocabulis et sententiis, ita ut concilietur cum perspicuitate brevitas. Optima paraphraseos exempla praebent ex. gr. G. Sanchez, *in Prophetas*; B. Justinianus, Bern. a Piconio, van Steenkiste, *in Ep. S. Pauli*.

202. Glossa dicitur explicatio vocis obscurioris. Inde *glossarium* est liber, in quo vocabula obscuriora explanantur.

Glossa (γλῶσσα, γλώσσημα) dicebatur ipsum vocabulum peregrinum, minus usitatum. Nunc hoc nomine donantur etiam illae voces vel etiam breves sententiae, quae in textum sacrum irrepserunt.

Glossae primo sensu acceptae scribebantur vel in margine (glossa *marginalis*), vel inter lineas (glossa *interlinearis*). Cf. glossam marginalem Walafridi Strabonis, quae ordinaria vocatur, in *PL* 113. 114; et expositionem interlinearem libri Iob, in *PL* 23 1470 ss.

203. Scholion, σχόλιον, est brevis explicatio non unius tantum vocis (glossa), sed unius *loci* obscurioris. Auctores vel collectores scholiorum vocantur *scholiastae*. Cf. Origenis *Scholia in Proverbia Salomonis*: edidit F. C. Tischendorf, Lipsiae 1860; Theodorus Bar Kōnī, *Liber scholiorum:* edidit Addai Scher, Parisiis 1910-12; *Scholia on passages of the O. T.* by Mār Iacob, Bishop of Edessa, edited by George Phillips, London 1864; Rosenmüller, *Scholia in V. T. et in N. T.* (accedit potius ad *commentarium*). Etiam vocantur *notationes*, ex. gr. Em. Sa, *Notationes in totam Scripturam* (brevissimae notulae). Cf. supra n. 7. 47.

204. Postillae (*post illa* nempe, verba; vel a *posta* [= *pagina*, cf. Du Cange, *Glossarium mediae et infimae latinitatis*] deminutivum *postilla*) dicuntur explicationes breves, quae *post textum* col-

locantur. Celebriores prae omnibus habentur postillae NICOLAI LYRANI († 1340) ad N. et V. T. Cf. n. **43**.

In *Biblia Sacra cum glossis interlineari et ordinaria*, Venetiis 1588, et alibi, traduntur praeter glossam interlinearem et ordinariam, *postillae* Nicolai Lyrani, additiones seu animadversiones BURGENSIS contra LYRANUM et replicae THORINGI contra BURGENSEM.

205. Catenae (1) (συλλογαί, collectiones) series sunt explanationum, quae, e SS. PP. et scriptoribus ecclesiasticis desumptae, ita alia ex alia disponuntur, ut catenam videantur conficere, cuius annuli sunt singulae explicationes. Plures adornatae fuerunt catenae, quarum meritum praecipuum illud est, multa in ipsis conservata esse scripta, quae aliter deperdita essent. Cf. catenam graecam PROCOPII GAZAEI, *PG* 87, et catenam sic dictam auream S. THOMAE *in Evangelia*.

CAPUT II

De expositione scientifica

206. Haec fit duplici modo: sive *scripto* (Commentarii); sive *verbo* (Praelectiones).

ART. 1. — De Commentariis

1) In his commentariis tria sunt instituenda: *a*) Textus primigenius, sicubi depravatus fuerit, est restituendus (*critica textualis*); *b*) Ratio compositionis – an ex documentis, an omnes partes ex eodem auctore etc. – est examinanda (*critica litteraria*); *c*) Sensus genuinus explanandus (*exegesis* seu *interpretatio* proprie dicta), et quidem ex philologia, historia, geographia, archaeologia, theologia, etc. adhibitis normis tum litterariis tum dogmaticis, quae superius propositae sunt.

2) Commentario praemittatur *introductio* quaedam, ubi agatur de argumento, scopo, auctore ; de textu; de fontibus; de condicione temporum. Haec enim omnia plurimum iuvant ad melius et faci-

(1) Cf. supra n. **32** s. Praeterea, BATIFFOL, *Chaînes bibliques*, in *Dict. de la Bible* 2, 482-487; I. DECONINCK, *Essai sur la chaîne de l'Octateuque*, Paris 1912 (Généralités sur les chaînes, p. 11-29); CARD. M. FAULHABER, *Die Propheten-Catenen nach römischen Handschriften* (*Bibl. Studien* 4 [1899] 145-363); U. BERTINI, *La catena greca in Giobbe*, in *Biblica* 4 (1923) 129-142; K. STAAB *Die Pauluskatenen nach den handschriftlichen Quellen untersucht*, Roma 1926.

lius singula deinde intellegenda. Praeterea, quo utilior reddatur commentarius eiusque usus facilior, operae pretium erit varios submittere indices: rerum, personarum, locorum S. Scripturae.

3) Commentarius sit vere *exegeticus*, i. e. potiores dentur partes non criticae text. et litter., sed interpretationi; haec autem dum fit, tradantur non tantum ea, quae historiam, geographiam, archaeologiam etc., sed etiam quae religionem sive argumentum theologicum, spectant, quod non raro in commentariis recentioribus desideratur. Si quae fuerit materia fusius tractanda, commodius, seiuncta a continenti explanatione, traditur per modum *excursus*.

4) Explanatio sit *pressior*, non verbosa; *plena*, nec tamen diffusa; *perspicua*, ita ut quae secundaria sunt principalioribus subordinentur; aliorum sententiae breviter commemorentur; Patrum et interpretum antiquorum debita habeatur ratio.

5) Ad *formam* quod attinet, multiplex haberi potest textus dispositio: *a*) Traditur singillatim versio singulorum versuum explanandorum (ita in commentariis editis a *K. Marti, cf. supra n. 55). *b*) Praemittitur versio integrae pericopae, quam excipit explanatio (in comm. ed. a I. Nikel, * E. Sellin; partim etiam in « Cursus Scripturae Sacrae »). *c*) In parte superiori habetur versio continens, cui submittitur explicatio (*Etudes Bibliques*, et comm. ed. a *W. Nowack). Prima ratio est minus commendanda: ex duabus aliis, tertia, quae et versionem et commentarium sub oculos simul ponit, videtur praeferenda.

Art. 2. — De Praelectionibus

207. Cum de praelectionibus agitur, distinguere oportet *Athenaea superiora*, quo accedunt qui studio S. Scripturae operam iam dederunt, a *Seminariis*, ubi tunc primum in hoc studium incumbunt.

Iam, in illis *Athenaeis* convenienter seligitur unus liber, vel quaedam libri partes, vel aliqua magni momenti quaestio, quae sub omni aspectu consideratur, et omnibus undique accitis subsidiis explanatur. In interpretatione autem tradenda professor sibi praestituit non tantum argumentum susceptum illustrare, sed potissimum ostendere qua ratione investigatio vere scientifica sit instituenda. Quare hic valet illud: « Non multa, sed multum ».

Alia in *Seminariis* tenenda est via (1): Potius multa quam multum. Curandum est, ut alumni, praeter introductionem generalem, percurrant introductionem specialem (2) in *omnes* libros V. et N. T.: instituant exegesim aliquarum sectionum, praes. e Psalmis et Prophetis; videant Evangelia et selecta e litteris S. Pauli. His addendae, ubi fieri possit, scientiae auxiliares: historia, geographia, archaeologia. Messis quidem multa: at si professor convenientem habuerit biblicam institutionem et praeparationem immediatam non neglexerit, copiosam materiam, succinte tamen simul ac perspicue, brevi temporis spatio proponere poterit.

Cum autem alumni in Seminariis in *studium Theologiae* simul incumbant, et maxima ex parte ad *ministerium pastorale* se parare debeant, ad hunc duplicem finem etiam studium S. Scripturae dirigatur oportet (3). Quare professor locos dogmaticos accuratius explanet, et, data occasione, ostendat quo modo libri sacri tum V. tum maxime N. T. facile ac utiliter adhiberi possint in contionibus ad populum habendis, idque propositis SS. Patrum exemplis illustret.

Neque omittet Professor quasdam proponere pericopas, ubi alumni possint etiam litteraria ss. Librorum pulchritudine delectari. Cf. FILLION, *L'étude de la Bible*, p. 47-54; ANT. FERRERO, *Studi sulle bellezze letterarie della Bibbia*, Firenze 1915 (4).

---

(1) Haec via optime commonstratur in Litteris Apostolicis PII X *Quoniam in re biblica*, die 27 mensis Martii 1906, quibus ratio studiorum S. Scripturae in Seminariis clericorum servanda praescribitur (*Acta* PII X 3. 72-76; Ench. B. n. 155 ss. Etiam traditur hoc programma in *Biblica* 6 [1925] 136-139, et in FILLION, *L'étude de la Bible*, p. 339-341). Cf. etiam. *Prov. Deus.* CAV., *Thes.* n. 67-70; CORN., *Comp.* n. 12-15.

(2) Introductio duplici ratione tradi potest: *a*) *seorsim*, ita ut intra quoddam temporis spatium illa sola proponatur; vel *b*) *simul cum historia*, atque ita quidem ut variae ex ordine describantur aetates, et in singulis introductio explanetur eorum librorum, qui vel in illis exorti sunt, vel ad illas referuntur. Haec altera ratio duplex habet commodum: maior datur varietas, et ipse liber melius ex historia illustratur. Introductionem cum exegesi, pro N. T., coniungit: HADR. SIMÓN-J. PRADO, *Praelectiones Biblicae*, v. 1 Evangelia[3]. Taurini 1926; v. 2 Act. Ap., Epist., Apoc.,[2] Taurini 1927. Alias indicationes bibliogr. vide supra n. **106**.

(3) « Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut eiusdem divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam, eiusque prope sit anima »-« ...unde sit auditoribus, quo dein modo divini verbi divitias in profectum religionis et pietatis convertant ». (*Prov. Deus.*, Ench. B. n. 99. 90; CAV., *Thes.* n. 78. 68; CORN. *Comp.* n. 22. 13.

(4) De ratione tradendi S. Scripturam in Seminariis cf. I. BOVER, *La enseñanza de la S. Escritura en el Ratio studiorum de la Compañía de Jesús y en los documentos pontificios* (*Biblica* 6 [1925] 3-25. 129-140).

CAPUT III

De expositione populari ad moralem aedificationem

Art. 1. — Scripta biblica populo accommodata

208. Multiplicis generis et ad diversum scopum sunt huiusmodi scripta, ex quibus pauca tantum commemorabimus: 1) Ad institutionem religiosam in scholis. Huc pertinent imprimis *Historia et Vet. et Nov. Testamenti*, quarum aliae copiosiores (1), breviores et elementariae aliae (2). Deinde tractatiunculae indolis generalioris, quae historiam biblicam apta sunt illustrare (3). – 2) Narrationes biblicae, ubi non historia continua, sed facta selecta vel personae insigniores (4), vel etiam itinera (5) animadversionibus saepe adiectis, vivide describuntur. – 3) Inducta est etiam historia ficta, argumento e S. Scriptura desumpto (6). – 4) Huic generi populari quodammodo adnumerari potest: *La demi-heure d'Ecriture Sainte, à base scientifique, à but apostolique* a Can. Geslin, Sees 1922-1924 (7).

Haec omnia scripta magnae profecto sunt utilitatis; at oportet ut quidquid scribitur, procedat ab accurata librorum sacrorum studio; aut certe prae oculis habeantur eruditi ac probati interpretes, ita ut nihil promatur sive a veritate alienum, sive maiestate ac sanctitate Scripturae indignum.

---

(1) J. Schuster – J. B. Holzammer, *Handbuch zur Biblischen Geschichte für den Unterricht in Kirche und Schule, sowie zur Selbstbelehrung* [8], Freiburg i. Br. 1925.

(2) S. Porporato, *Storia Sacra illustrata*, Venezia 1915; Ecker, *Katholische Schulbibel*. Vide plura huius generis opera in *Rev. prat. d'apologétique* 32 (1921) 313-317.

(3) A. Allgeier, *Bibel und Schule*, Freiburg i. Br. 1922.

(4) Berthe, *Récits Bibliques*, Neuville-sous-Montreuil; M. Trullás, *Narracions Bibliques*, Barcelona 1914-1915.

(5) *Dall'Oriente*, Roma 1917; *Vers l'Orient*, Barcelona 1921-1922.

(6) V. Zapletal, *David und Saul. Kulturgeschichtliche Erzählung aus biblischer Zeit*, Paderborn 1921.

(7) Alia scripta biblica popularia, ex. gr. *Biblische Zeitfragen* (Münster in Westf.), sed quae non sunt *directe* ad *moralem aedificationem*, hic non commemoramus.

ART. 2. — De contionibus ad populum (1)

209. Usus S. Scripturae in contionibus ad populum a SS. Pontificibus maxime commendatus fuit (2). Hic autem usus multiplex esse potest :

1) Ratio communior est, cum quis doctrinam textibus Scripturae hinc inde adductis firmat. Ad hanc proxime accedit alia ratio, scil. cum doctrina exprimitur Scripturae verbis, quin tamen ipsa Scriptura explicite citetur.

2) Sumitur sententia quaedam biblica tamquam thema explanandum, quod in suas partes seu membra convenienter dividitur, ex gr. *Nemo potest duobus dominis servire...* (Mt. 6, 24); *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (Rom. 8, 18) etc.

3) Contionator suscipit explanandam integram Scripturae pericopam (3), cuius sensum breviter declarat, et ad mores informandos opportune adhibet. Est genus *homileticum* (ὁμιλία, collocutio; ab ὁμιλεῖν, colloqui, sermocinari), quod duplicem induit formam: vel singuli versus ex ordine explicantur, quae quidem ratio analytica est simplicior et apud Patres magis usitata (4); vel ea,

---

(1) Cf. V. GASSER, *Praktisches Bibelstudium*[2], Brixen 1919; J. NIKEL, *Die Verwendung des Alten Testaments in der Predigt*, Breslau 1913; A. MEYENBERG, *Homiletische und Katechetische Studien im Geiste der Heiligen Schrift und des Kirchenjahres*[6], Luzern 1908, praesertim p. 97-170; P. W. von KEPPLER, *Predigt und Heilige Schrift*, Freiburg i. Br. 1926; Is. GOMÀ, *L'ús de la Sagrada Escriptura en la predicació*, in *Analecta Sacra Tarraconensia*, 1927, p. 493-528; *La Biblia y la predicación*, Barcelona 1927.

(2) Sic ex. gr. LEO XIII in encycl. *Prov. Deus* (CAV., *Thes.* n. 55; CORN., *Comp.* n. 3): "Atque haec propria et singularis scripturarum virtus a divino afflatu Spiritus S. profecta, ea est quae oratori sacro autoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam"; PIUS X autem in encycl. ad Arch. et Episc. Italiae, 28 Iulii 1906 (*Acta Pii X* 3, 169): "Fons praecipuus praedicationis debent esse Scripturae S." Tandem BENEDICTUS XV in encycl. *Spir. Par.* (*Acta Ap. S.* 12 [1920] 409): "Neque enim eorum (sacerdotum) sermo habet aliquid, cum momenti et ponderis, tum ad effingendos animos efficacitatis, nisi a sacra Scriptura informetur ab eaque vim suam ac robur mutuetur". Cf. litt. encycl. *Humani generis* de praedicatione divini verbi, die 15 Iunii 1917 (*Acta Ap. S.* 9, 305-317).

(3) Tunc habentur contiones proprie biblicae, quae vocantur nonnumquam *lectiones sacrae*. De earum indole cf. *Biblica* 6 (1925) 23 s.: Lectiones sacrae « in *praxi* versantur »; « plurimum sunt in *docenda veritate* »; « *sedatam* habent actionem»; tum doctrina tum pietas instillatur « quadam cum *amoenitate* atque *iucunditate* in Christo, qui est magnus lectionum fructus » (HIERON. NADAL).

(4) Eminent S. GREGORIUS, S. AMBROSIUS, praesertim S. CHRYSOSTOMUS.

quae pericopa continet, reducuntur ad quamdam synthesim, ubi varia membra logice inter se disposita ex ordine declarantur (1).

Haec tertia methodus adhibetur potissimum in explanando Evangelio vel etiam Epistola diebus dominicis; verum utiliter applicatur etiam Veteri Testamento, et quidem multiplici ratione: *a*) Proponitur sectio doctrinalis, ex libris didacticis vel propheticis, puta Prov. 31,10-31 (laudes mulieris fortis), Is. 5,1-7 (canticum vineae) etc. *b*) Sectio historica, sive brevior, ex. gr. Gen. 22,1-19 (sacrificium Isaac), sive longior, ex. gr. Ex. 1-15 (oppressio Hebraeorum in Aegypto et liberatio). *c*) Proponuntur imitandi illi, qui virtutibus et facinoribus populum illustrarunt, ex. gr. Abraham, Ioseph, Moyses, David, Judith, Esther, etc. (2).

Quaedam in his contionibus faciendis sunt accurate servanda: Investigandus est verus sensus litteralis vel typicus; accommodationes huic sensui non contradicant; applicationes ad mores instruendos ne sint nimis longe quaesitae; dicta et facta collocentur in bona luce, commemoratis temporis et loci adiunctis, atque illustrentur ex vita familiari, politica et religiosa populi hebraici; quod ut fiat, oportet chronologiam, geographiam et archaeologiam cognoscere, praesertim cum de Evangelio agitur. Qui vitam Domini Nostri bene perspectam habeat, et sufficientem illarum scientiarum cognitionem sibi comparaverit, contionem homileticam utilem simul et iucundam nullo negotio parare poterit.

Haec autem omnia, e sacris Litteris ducta, et ad mentem illustrandam aptissima, et ad animum suaviter movendum efficacissima sunt. "*Vivus* est *sermo Dei* et *efficax*, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus..." (Hebr. 4,12). " Et quomodo descendit imber et nix de caelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti; sic erit *verbum meum* quod egredietur de ore meo: *non revertetur ad me vacuum*, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud » (Is. 55, 10-11).

---

(1) Cf. Gasser, l. c. p. 9-15.
(2) Cf. Nikel, l. c. p. 71-80; *Verb. Dom.* 1 (1921) 199-205.

APPENDIX

De S. Scripturae utilitate, lectione, studio, deque apta ad huiusmodi studium animi dispositione (1)

210. Utilitas. — Haec apparet vel ex eo quod ss. Scripturae sint « oracula et eloquia divina » et tamquam « litterae humano generi longe a patria peregrinanti a Patre caelesti datae et per auctores sacros transmissae » (cf. *Prov. Deus*, CAV., *Thes.* n. 49).

Apud multos invaluit opinio studium Scripturae in eo potissimum esse, ut quis investiget quo tempore libri fuerint scripti, a quibusnam auctoribus, ex quibus fontibus, et id genus alia. Verum haec omnia, etsi minime spernenda, in cortice sistunt, medullam non attingunt. Aliam et quidem altiorem habent Scripturae ss. utilitatem: *Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus* (Rom. 15,4). Haec autem utilitas in tribus potissimum est posita, quae in encycl. *Spir. Par.* (*Acta Ap. S.* 12 [1920] 408-410 Ench. B. n. 495 ss.) enumerat BENEDICTUS XV (2):

1) *Spiritualis animi profectus* (« cibus quaerendus est, unde vita spiritus ad perfectionem alatur ». Ibid.). LEO XIII: « Inde (ex ss. Litterarum studio) potissime exardescens animus, ad emolumenta virtutis et divini amoris spiritu vehementiore contendet: *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum* (Ps. 118, 2) » (*Prov. Deus*, Ench. B. n. 119; CAV., *Thes.* n. 96). Cf. ISIDORUM HISP., *Sententiarum* l. 3, c. 8 *PL* 83, 679.

2) *Theologia* (« Argumenta ex Scripturis petenda sunt, quibus fidei dogmata illustremus, confirmemus, tueamur ». *Spir. Par.*, ibid.). « Cum Scriptura sacra omnis Theologiae fons sit, et uberrimum seminarium, unde melius nostra omnia et matutina et pomeridiana studia, quae (quam?) ex eius locupletissimis thesauris inchoentur? Ego quidem eos qui praetermissis litteris sacris, nescio quibus in libris omnem vim ingenii sui seque ipsos consumunt, Theologos esse non iudico; qui vero et minorem temporis partem et postremam divinis litteris impendunt, nominentur sane Theologi, si volunt; certe imprudentes et praeposteros Theologos

(1) De his omnibus cf. FILLION, *L'étude de la Bible*, Paris 1922; M. PANADÉS, *El estudio de la Sagrada Escritura según los SS. Padres*, v. 1, Madrid 1921. Utilissima erit et maxime commendanda lectio integra encycl. *Prov. Deus* et *Spir. Par.*

(2) Cf. etiam *Prov. Deus*, CAV., *Thes.* n. 54.

appellabo » (1) (MALDONATUS, *Epistolae et orationes*, p. 26 s. [in *Opera varia theologica*, Lut. Parisiorum 1677, ad calcem]).

3) *Ministerium verbi* (2) (« Praecipuus denique Scripturae usus ad divini verbi ministerium pertinet sancte fructuoseque exercendum ». *Spir. Par.*, ibid). S. PAULUS ad Timotheum (2 Tim. 3, 16 s.): « Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum (ad doctrinam scil. proponendam, illustrandam), ad arguendum (contra errores vel mores), ad corripiendum (ad correctionem, redintegrationem), ad erudiendum in iustitia (ad institutionem in omni perfectione); ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus ». Cf. KNABENBAUER, *in loc.* Nemo non videt quam apte haec omnia praedicationi verbi Dei conveniant.

211. Lectio. — Cum tot thesauros Scriptura contineat, consentaneum est ut has divitias nobis comparare conemur. Quare omnes fideles, imprimis autem sacerdotes, quorum labia custodiunt scientiam (Mal. 2, 7), deberent sollicite lectioni ac studio ss. Litterarum se dare.

Hanc lectionem S. PAULUS Timotheo commendabat (1 Tim. 4,13): « Attende lectioni » (scil. Scripturarum in coetibus sacris faciendae). S. HIERONYMUS Nepotiano sacerdoti: « Divinas Scripturas saepius lege; immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur » (*Ep.* 52 *PL* 22, 533). Cf. ad Eustochium, *Ep.* 22 *PL* 22, 404) (3).

Ratio instituendi lectionem S. Scripturae. — Sunt qui varios libros tum V. tum N. T. et librorum pericopas distribuant in singulos diès totius anni iuxta cursum Ecclesiae liturgicum. Ita ex gr. P. HERMANNUS GOLDHAGEN (4), qui pro unaquaque die pericopas seligit ex libris V. T. (praeter psalmos), e psalmis, ex epistolis, ex evangeliis. Licet haec ratio utpote liturgiae ecclesiasticae accommodata sit certe laude digna, attamen satius videtur libros sacros continenter eo ordine quo nunc dispositi inveniuntur legere, et quidem in textu nostrae Vulgatae (5), lectione cursoria, non immorando in solvendis difficultatibus quae identidem occurrant. Iuvabit tamen sibi ante oculos ponere argumentum et divisionem generalem totius

---

(1) Addit : « Qui meum consilium sequi volent, ii primam, peractis precibus, horam temporis matutini in legendo novo testamento collocabunt. Primam vero pomeridianam in veteri; leget autem et vetus hebraice, et novum graece, qui hebraice graeceque noverit ».

(2) Cf. supra n. **209**.

(3) De lectione S. Scripturae apud matronas romanas sub influxu Hieronymi cf. FILLION, *Etude de la Bible*, p. 323 s.; CAVALLERA, *Saint Jérôme, sa vie et son oeuvre*, Louvain-Paris 1922, Première partie, vol. 1, p. 84-91.

(4) *Hodegus biblicus, sive nova methodus Sacra Biblia intra annum cum fructu legendi horae quadrante quot diebus impenso disposita ad romani, quod vocant, missalis ordinem*, Moguntiae 1763.

(5) Commodiores sunt, quippe quae habent divisiones textus *logicas*, editiones quas curarunt HETZENAUER, GRAMATICA (cf. supra lib. III n. **101**) et FILLION, *Biblia Sacra iuxta Vulgatae exemplaria et correctoria romana*, Parisiis.

libri, cum quis ad illum legendum accedit; notare quae maioris momenti videantur; post lectionem libri perfectam, iterum argumentum prae oculis sibi ponere et paulisper sistere, quasi in memoriam revocando quae lecta fuerunt.

212. De lectione S. Scripturae lingua vulgari (1). Quamvis lectio S. Scripturae valde utilis probetur atque enixe commendanda, non tamen est omnino necessaria. « Homo fide, spe et charitate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per haec tria etiam in solitudine *sine codicibus* vivunt » (2). Immo fieri potest ut, sive propter condicionem personarum, sive propter adiuncta externa, lectio quarundam partium S. Scripturæ sit periculis obnoxia (3). Inde facile intellegitur Ecclesiam non quamcumque versionem, neque omnibus absque ullo discrimine fidelibus lectionem ss. Litterarum permittere.

Legislatio de hac re nunc vigens habetur in Codice iuris canonici auctoritate Benedicti XV promulgati:

Can. 1391. – « Versiones sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam typis imprimi nequeunt, nisi sint a Sede Ap. probatae, aut nisi edantur sub vigilantia Episcoporum et cum adnotationibus praecipue excerptis ex sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus ».

Can. 1399. – « Ipso iure prohibentur: 1° Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuslibet publicatae; itemque eiusdem versiones in quamvis linguam, ab eisdem confectae vel editae ».

Can. 1400. – « Usus librorum de quibus in can. 1399 n. 1, ac librorum editorum contra praescriptum can. 1391, iis dumtaxat permittitur qui studiis theologicis vel biblicis quovis modo operam dant, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata ».

De iis, quae decursu temporum in Ecclesia decreta fuerunt, cf. auctores citatos, et Kortleitner, l. c. p. 132 s. Vide *La Scuola Catt.* 1926 II p. 209 ss.

213. Studium. — Optima est quidem continuata S. Scriptura e lectio; haec tamen sacerdoti non sufficit, sed ulterius progrediatur oportet, atque S. Scripturae studio — licet non *stricte* scientifico — operam impendat.

Leo XIII: « Per exempla igitur Christi Domini et Apostolorum omnes intellegant, tirones praesertim militiae sacrae, quanti faciendae sint

---

(1) Cf. N. Peters, *Kirche und Bibellesen*, oder *die grundsätzliche Stellung der kathol. Kirche zum Bibellesen in der Landessprache*, Paderborn 1908; J. B. Malou, *La lecture de la Sainte Bible en langue vulgaire*, Louvain 1846. Copiosiorem bibliogr. vide apud Kortleitner, *Herm. bibl.* p. 134.

(2) S. August., *De doctr. christ.* 1, 39 *PL* 34, 36.

(3) Cf. quae habet Fr. Luis de León, *Los Nombres de Cristo*. Introducción.

divinae Litterae, et quo ipsi studio, qua religione ad idem veluti armamentarium accedere debeant » (*Prov. Deus*, Ench. B. n. 71; Cav., *Thes.* n. 54). Benedictus XV, assiduam in sacris voluminibus exercitationem sacerdotibus inculcans, citat verba supra allata (n. **211**) quibus Hieronymus Nepotianum presbyterum monebat (*Spir. Par.*, l. c. p. 406 s.; *PL* 22, 533). Cf. Tit., 1, 9. Alibi, nervosius idem Hieron.: « Qui nescit Scripturas, nescit Dei virtutem eiusque sapientiam: ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est » (*Prol. in Is. PL* 24, 17).

214. Animi praeparatio et dispositio. — Cum ad libros etiam profanos melius intellegendos illud maxime commendetur, ut quis erga eos benevole afficiatur et eorum quasi *spiritu* induatur, longe potiore iure id, cum de libris agitur sacris, est affirmandum.

Illud igitur imprimis oportet, ut qui ad Sacras Scripturas accedit interpretandas, illas intimo amore prosequatur, iuxta Hieronymi ad Demetriadem consilium: « Ama Scripturas sanctas et amabit te sapientia; dilige eam et servabit te » (1). Praeterea, quoniam « omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum... ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus (2) », necesse est ut iustitia nos induti sacros libros perlegamus eo praesertim consilio, ut sacram eruditionem et christianam perfectionem acquiramus; nam, ut monet pius auctor aurei libri *de Imitatione Christi:* « Omnis Scriptura sacra eo spiritu debet legi, quo facta est. Quaerere potius debemus utilitatem in Scripturis, quam sublimitatem sermonis » (l. 1, c. 5). Et quia « omnis sapientia a Domino Deo est (3) » enixe a nobis Pater luminum exorandus est, ut mentem nostram illuminet iuxta monitum S. Augustini: « Non solum admonendi sunt studiosi venerabilium litterarum, ut in Scripturis sanctis genera locutionum sciant, et quomodo apud eas aliquid dici soleat vigilanter advertant, memoriterque retineant, verum etiam, quod est *praecipuum et maxime necessarium, orent ut intellegant* » (4). (Cf. *Prov. Deus*, Cav., *Thes.* n. 57; *Spir. Par., Acta Ap. S.* 12 [1920] 400-402).

(1) *Ep.* 130 *PL* 22, 1124.
(2) 2 Tim. 3, 16-17.
(3) Eccli. 1, 1.
(4) *De Doctr. christ.* 3, 37 *PL* 34, 89.

INDEX RERUM AC NOMINUM

Praeter res maioris momenti complectitur Patres, Doctores, Summos Pontifices, Concilia Ecclesiae catholicae; ex aliis Philonem, Josephum Flavium, haeresiarchas. Romanae notae ad librum, arabicae ad numeros marginales remittunt. Indicantur adnotationes intra parenthesim, libri s. Scripturae usitatis compendiis et (uti et tituli aliorum scriptorum) litteris inclinatis.

Accommodatio IV, 76, 81, 143, 144 (1), 146. Vid. Sensus.

Acta Apocrypha II, 116-124; *Andreae* II, 122; *Barnabae* II, 124; *Ioannis* II, 121; *Matthaei* II, 124; *Pauli* II, 119; *Petri* II, 117; *Petri et Andreae* II, 122; *Petri et Pauli* II, 120; *Philippi* II, 124; *Thomae* II, 117 (1), 123.

Actus Apostolorum: in canone II, 44. 47. 50; textus III, 48.

Adam in apocryphis II, 81-83, 135. Cf. *Vita* et *Testamentum*.

Agobardus I, 16, 57.

Agrapha II, 43.

Albertus (S.) Magnus I, 17; IV, 42.

Alexandrina recensio N. T. III, 45 (1), 53 s.; V. T. III, 66. Cf. Schola.

Allegoria IV, 19-20, 75, 156; allegorica interpretatio IV, 2-11, 28, 36; eius impugnatores IV, 3, 9, 18.

Ambrosius (S.) I, 15; II, 52, 100; III, 97; IV, 28, 209 (4).

Anagoge, sensus anagogicus IV, 21, 41 (1), 67 (5).

Analogia fidei IV, 181-182.

Anaphora Pilati II, 116.

Anthropomorphismi IV, 4, 90.

Antilogiae in s. libris IV, 150-151.

Antiochena recensio N. T. III, 51, 56; V. T. III, 67 s., 70, 92, 97. Cf. Schola.

Aphraates I, 14; II, 57; III, 76.

Apocalypses apocryphae V. T. II, 73, 92-108; N. T. II, 116, 131-137; cf. II, 70; *B. Mariae Virginis* II, 116, 132, 136; *Abrahae* II, 104; *Bartholomaei* II, 116, 137; *Baruch* graeca II, 103; syriaca II, 95, 101-102; *Eliae* II, 106; *Ioannis* II, 135; *Mosis* II, 74, 81-82; *Pauli* II, 132, 136; *Petri* II, 47, 49, 59, 83, 116, 131; *Sophoniae* II, 73, 106; *Stephani* II, 116, 134; *Thomae* II, 116, 132; *Zachariae* II, 116, 137.

Apoc. in canone II, 5, 44 ss., 50, 53-59, 61 ss., 64; exegesis IV, 9, 28, 46.

Apocryphi: sensus vocis II, 5 (1), 40 (1), 66-72; cf. 35 (2); lectio II, 7; studium II, 72; citantur a PP. II, 28, 30 (4), 49, 79; divisio II, 67.

Apostoli: de canone II, 7, 19-20, 39, 46; munus II, 7; scripta (pars N. T.), 3; II, 44.
Apparentiae historicae IV, 117 s., 120.
Archaeologia biblica IV, 104, 206, 207, 209; auctores IV, 45, 49, 51, 54.
Asaph auctor psalmorum II, 10; IV, 143.
Ascensio Isaiae apocr. II, 73, 84; *Mosis* II, 97; *Pauli* II, 132.
Assensus decretis S. Congr. debitus IV, 63, 117.
Assumptio Mosis apocr. II, 97.
Astronomia IV, 113, 114.
Athanasius (S.) I, 14; II, 7 (1), 30, 49; IV, 10.
Auctor libri s. I, 15, 17, 27; IV, 74 (1), 101; affectus I, 68; conceptus I, 39-40; essentia inspir. ex conceptu a. I, 39; a. instrumentalis I, 19, 21, 41; mens a. IV, 102, 126-127, 162-167; a. primarius I, 41; principalis I, 18, 21; IV, 74 (4), 7, 188; proprius I, 22; quis sit I, 21; secundarius et ministerialis I, 18; V. et N. T. I, 26.
Augustinus (S.) I, 15, 109; II, 6, 32, 52, 67, 79, 95, 125, 130; III, 1, 38, 92-95, 97-100, 112, 138 (3); IV, 31, 65 (2), 73 s., 77 s., 86, 90, 99 (4), 99, 112, 121, 140 s., 164 (1), 169, 181 s., 212, 214.
Authentia: quid III, 130 s., 134 s.; s. libr. III, 180; Pentateuchi II, 184 s.; Vulgatae III, 131-136.
Autographa III, 135
Baruch II, 5; III, 3; in canone II, 17-18, 22, 24, 29-31; sub nomine Ieremiae II, 22, 24 (2). Apocrypha 87 s., 101-103.
Barnabas I, 13; *Barnabae Epistola* in canone II, 49, 59; de canone II, 23, 44, 51, 95.
Basilius (S.) I, 14, 81; II, 55 (7), 79.
Beda I, 16; III, 42; IV, 36, 41.
Bellarminus (S.) Rob. II, 128, IV, 46.
Benedictus XV I, 28; III, 128; IV, 64, 112, 118, 119 (1), 120, 122, 125, 149 (3), 190 (3), 196, 209 (2), 210, 212.
Bernardus (S.) IV, 41 (1).
Biblia: etymon 1; polyglotta III, 2; rabbinica III, 34, 37-39.
Bonaventura (S.), I, 17; IV, 42, 70, 100.
Botanica IV, 114.
Caius presb. Romanus II, 51, 53.
Calamus scriptorius III, 13.
Calvinus I, 30; II, 7; calvinistae I, 31.
Canon: quid II, 1, 2 (1); alexandrinus II, 8, 15-16; claromontanus II, 139; laodicensis II, 2 (1), 54; mommsenianus II, 47 (7), 14; muratorianus II, 47, 51, 53, 59, 71, 128, 131 (1), 138); orthodoxorum II, 38; palaestinensis II, 8, 12-18; protestantium II, 35, 38, 61, 64-65; tridentinus 3; cf. Concilium.
Canones Apostolorum II, 60; canon 85us II, 32, 54.
Canonici libri I, 26, 33; II, 2; criterium canonicitatis II, 6-7.
Cant. in canone II, 14, 30-33; exegesis IV, 24, 28, 38, 46, 67 (1), 75.
Canticum 3 Puerorum (Dan. 3, 24-90) II, 5, 22.
Cassiodorius A. II, 48; III, 110, 116; IV, 29, 35.
Catenae exegeticae III, 68; IV, 26, 32-33, 36, 205 (1).

Catholica periodica IV, 57; commentarii IV, 46-47, 50, 53, 56; intellectus IV, 183; sensus IV, 183, 190.

Causa efficiens prima I, 17; principalis I, 25; proxima I, 17; instrumentalis I, 15, 25.

Charta III, 8, 37.

Chronica III, 4, 13; cf. *Paralipomenon*.

Chrysostomus Iohannes (S.) I, 14; II, 30, 54, 57, 135; III, 27, 67; IV, 21, 154, 164 (1), 209 (4).

Citationes: quid IV, 136; V. T. in N. T. III, 62, 138; IV, 119, 142; apud PP. II, 66 s.; N. T. apud PP. II, 42 s. III, 43; explicitae I, 76; IV, 136-147, 147, 185; implicitae I, 77; IV, 136, 148-151 (3), 185 s.; veritas IV, 137, 173 (4).

Clemens Alexandrinus I, 14; II, 6, 7 (1), 24, 46 (2), 48, 49 (2), 51, 53, 67, 95, 118, 131, III, 50, 60.

Clemens (S.) Romanus: I, 13; II, 22, 44, 51, 59.

Clemens VIII: III, 128.

Codex Alexandrinus (A) III, 42 s., 47 s., 65; Ambrosianus LXX int. (F) III, 59; Amiatinus Vulg. II, 10 (2); III, 110, 116, 127, 128; Bezae seu Cantabrigensis (D) III, 42, 45, 48, 53, 55, 89, 91; Cavensis Vulg. III, 116 (2); Chisianus V. T. III, 61, 65, tab. 4; Claromontanus graeco-lat. (Dp) III, 42, 47 s., 140 s.; item Evangeliorum lat. III, 116, tab. 5, 6; Coislinianus (M) III, 59; Colberto-Sarravianus (G) III, 43, 59, 65; Ephraem rescriptus (C) III, 42, 48; Fuldensis Vulg. III, 79, 116; Karolinus III, 117; Koridethi (O) III, 45; Laudianus (Ea) III, 42; Marchalianus (Q) III, 59, 65; Ottobonianus III, 116, 128, 129; Paulinus III, 117; Petropolitanus V. T. III, 33, N. T. III, 51; Rorigonis III, 117; Sinaiticus III, 42-43, 45, 48, 56, 59, 65, 103; Toletanus III, 116; Turicensis III, 117; Turonensis III, 116, 129; Vallicellianus III, 117; Vaticanus (B) III, 42, 45, 46, 48, 56, 59, 72, 88, 103, tab. 3.

Codices: collatio III, 34, 52-53, 70, 125, 127, 128; classificatio III, 33, 53-56, 70, 129, 141; aethiopici III, 88; arabici III, 89; gothici III, 92; graeci N. T. III, 41-42, 51; V. T. III, 59; hebraici III, 26, 32-33; latini III, 94, 96, 98-99; syriaci III, 79-83; Vulgatae III, 116, 128.

Col. II, 45.

Cola et commata (scriptio per) III, 38-39, 110, 116; IV, 96.

Commentarii in S. Script. IV, 7, 10-11, 30-31, 38, 42-43, 46-47, 50-51, 55-56, 206.

Commissio Biblica I, 63, 83; III, 129; IV, 58, 63, 112, 126, 132, 148, 150, 151 (3), 156, 162, 177, 196; C. ad revisionem Vulgatae III, 128, 129.

Compendia verborum (abbreviationes) hebraice III, 16; graece III, 40; falsa solutio III, 20, 140.

Concilium Carthaginense III: II, 7, 32, 58; IV: II, 32-33, 58; cf. 52; Constantinopolitanum II: IV, 176; Florentinum II, 34 (7, 8); Hipponense II, 32,

58; Laodicenum II, 32; Schismaticorum II, 33; Tridentinum: de authentia Vulg. III, 130-134, 137 (1); de canone 2-3, I, 26; II, 32, 34, 36-37, 61-63; de edit. Vulg. III, 127-128; de interpretatione S. Script. IV, 45, 59, 170-171, 175-176, 179; Trullanum II, 33, 57; Vaticanum I, 26, 28; de canone II, 37, 63 (3, 2); IV, 168 (1); de interpretatione S. Script. IV, 59 (2), 170-171, 172 (2, 1), 175, 179.

Concordantiae IV, 99 (4); graecae IV, 54, 106; hebraicae IV, 45, 54, 106; latinae 6 (1); III, 101; IV, 42, 106.

Congregationes s. IV, 170, 177 s.; S. Officii IV, 62, 172-178, 191; Consistorialis IV, 62.

Constitutiones Apostolicae II, 24.

Contextus orationis IV, 91-95.

1 *Cor.* II, 44-45.

Correctoria Vulgatae III, 122-123.

Cosmographia IV, 114.

Criteria inspirationis I, 100-114; canonicitatis II, 7; dogmatica IV, 83, 85, 169, 169; interna I, 104, 106; litteraria IV, 82, 85; negativa I, 109; IV, 85 (1); subiectiva I, 106.

Critica historica IV, 65 (1); litteraria IV, 49, 65 (1), 206; textualis III, 71-72, 139-142; IV, 45, 49, 65 (1), 187, 206.

Cuneiformes litterae III, 5.

Cyrillus (S.) Alexandrinus IV, 11.

Cyrillus (S.) Hierosolymitanus II, 6, 30, 54, 59, 79.

Cyprianus (S.) II, 22, 47, 51, 79,

Damasus (S.) II, 52 (1).

Dan. II, 5, 10; partes deuterocanonicae II, 17-18, 21-25, 29; III, 3, 75, 105.

David rex II, 10, 15.

Definitiones Conciliorum et SS. Pontificum IV, 170, 176.

Deuterocanonici (libri): qui sint II, 3-5; V. T. II, 17-38; N. T. II, 50-65; auctoritas II, 30-32, 34, 36, 60.

Diatessaron Tatiani II, 45, 59; III, 44, 79, 81, 90, 116.

Dicta aliorum I, 75; haeretica I, 82; obiter I, 63.

Dictatio I, 55, 57.

Didymus Alexandrinus II, 59; IV, 10.

Diodorus Tarsensis II, 57; IV, 19.

Dionysius (S.) Alexandrinus II, 24, 53-54, 79; IV, 9.

Dittographia III, 20, 140, 188.

Doctrina Addaei Apostoli II, 57, 126.

Doctrina Apostolorum I, 13; II, 23, 49, 59.

Documenta a s. auctoribus adhibita IV, 150.

Duae Viae II, 49.

Duplicata in libris s. IV, 150 (6), 186-188.

Ebionaei II, 45.

Ecclesia: interpres s. Scr. IV, 169, 170 (2), 172-174, 191; Scriptura s. ei custodienda commissa IV, 168-170, 172; sensus E. IV, 179, 183, 191-196.

Eccl. II, 14, 35; IV, 152.

Eccli.: in canone II, 5, 17-18, 22-24, 30-31; doctrina IV, 79, 100; prologus III, 60; textus III, 3 (1); versio latina III, 94.

Editiones N. T. II, 52-56; V. T. III, 34; LXX int. III, 69; Vulgatae III, 124-129.

Effossiones in Oriente III, 6; IV, 54, 131 (2).

Eph. II, 44-45.

Ephraem (S.) Syrus I, 14; II, 54, 57, 129; III, 76, 79; IV, 26.
Epiphanius (S.) II, 17, 30, 55-56, 74, 79, 83, 107, 132; III, 13 (1).
Epistola ad Diognetum II, 44 (2).
Epistolae apocryphae II, 116, 125-130; *Ep. D. N. I. C. et Abgari* II, 116, 125; *Ep. Apostolorum* vel *Sermones Domini cum discipulis* II, 116, 127; *Baruch* apocr. II, 101-102; *Pauli ad Alexandrinos* II, 47, 116, 128; *Pauli ad Corinthios* et *Cor. ad P.* apocr. II, 116, 119, 129; *Pauli ad Laodicenses* II, 47, 60 (5), 116, 128; *Pauli ad Senecam* et *Senecae ad Paulum* II, 60 (5), 116, 130.
Errores I, 30, 33, 79; formales et materiales I, 84, 97; IV, 116, 150; cf. inerrantia.
1 *Esdr.* II, 30, 33; III, 3.
2 *Esdr.* cf. Nehem.
3 *Esdr.* II, 28, 36, 66, 72-73, 77-79.
4 *Esdr.* II, 12, 15, 36, 66, 72-73, 98-100.
5, 6 *Esdr.* II, 98.
Esdras: de canone II, 9 (1), 14-15; de textu III, 13 (1).
Esther: in canone II, 17, 24, 29, 30-32; omittitur II, 26, 30, 33, 35; partes deuterocanonicae II, 5; III, 3, 105.
Etymologiae in libris s. IV, 147.
Eusebius Caesariensis II, 17 (2), 26, 45, 48-51, 54, 56, 125; III, 50 (1), 64-67, 97; IV, 6, 10.
Evangelia: in canone II, 44-45, 47 (2); in scholis IV, 207; partes disputatae II, 5, 61-63; textus III, 45-49; versiones: coptica III, 88; lat. ant. III, 93; emend. S. Hieronymi III, 102-103; codd. Vulg. III, 116-117; syriaca III, 79-80.
Evangelia apocrypha II, 116; *Bartholomaei* II, 137; *Petri* II, 45.
Ex.: textus III, 21.
Explorationes in Palaestina IV, 54.
Expositio s. Scripturae IV, 199-205; popularis IV, 208-209; scientifica IV, 206-207.
Ezechias rex II, 10.
Ez. II, 14
Ezechielis apocryphum II, 107.
Figurae v. Typus.
Forma libri III, 9; litteraria IV, 125; poetica IV, 91, 96-98.
Galileo Galilei: quaestio de IV, 114 (1), 178.
Gelasianum decretum II, 71, 75, 83, 125, 132-134.
Gematria IV, 15.
Genealogiae IV, 150.
Genesis parva apocr. II, 74 s.
Geniza II, 14 (2), 67; III, 26.
Genus didacticum I, 85; IV, 107, 152; historicum I, 85; IV, 107, 117 ss.; homileticum IV, 209; liberum I, 85; litterarium IV, 107, 110-111, 130, 169; poeticum I, 85; IV, 107, 153; propheticum IV, 154.
Geographia IV, 104; auctores IV, 10, 45, 51, 54; ad interpr. s. Scr. IV, 206; in scholis IV, 207; in contionibus IV, 209.
Gezer: tabella effossa III, 10, 13; IV, 87 (4).
Glossa IV, 202, 204; interlinearis IV, 40; ordinaria IV, 36.
Gnostici II, 45, 132, 132.
Graeci schismatici: de canone II, 33, 57.
Gregorius I (S.) Magnus III, 113 † IV, 35, 72 (1).

Gregorius XIV III, 128.
Gregorius (S.) Nazianzenus III, 14; II, 27, 30, 54-56, 59, 79.
Gregorius (S.) Nyssenus I, 14; II, 55-56; IV, 127.
Haggada II, 70 (1), 74; IV, 13 (1); midras haggadicum IV, 126.
Hagiographa 5; II, 10.
Hagiographus I, 49, 59; de assertionibus hagiographorum I, 78.
Halacha II, 70, 74; IV, 13 (1).
Haplographia III, 20, 140.
Hebr. II, 5, 45, 47, 51-52, 58, 60-61, 64.
Henoch liber II, 71, 95; aethiopicus II, 73, 92-95; slavicus II, 73, 96.
Heptapla III, 64.
Hermeneutica IV, 1, 65.
Hexapla III, 24, 26, 64, 65, 105.
Hieronymus (S.) I, 15; de apocryphis II, 68, 75, 79, 95, 100, 125, 130; de canone II, 14, 17, 21, 27 (3), 31-32, 34, 36, 54, 58, 60; de exegesi IV, 13-15, 18-19, 30, 72, 89, 91, 96 (2), 117, 119 (1), 131 (1), 211; de inerrantia I, 99; de inspiratione I, 109; de textu III, 11 (1), 13 (1), 24 (2), 27, 37, 50, 61, 63-66; 94-95, 97-98, 100; eius versio III, 50 (1), 101, 111, 135, 138, 140, 142.
Hilarius (S.) Pictaviensis I, 15; II, 27, 31, 52; IV, 28.
Hippolytus (S.) Romanus I, 13; II, 22, 51, 53; IV, 27.
Historia s. IV, 117-130; divisio IV, 126; antiqua IV, 126, 129, 151 (5); ficta IV, 208; liberior IV, 126, 151 (5); orientalis IV, 130; religiosa IV, 126; in scholis IV, 206-207.
Historia Rechabitarum apocr. II, 73, 86.
Historiographi antiqui IV, 151, 185; orientales IV, 150-151, 185.
Homilia IV, 209.
Homiliae pseudoclementinae 117.
Homoeoarcton, homoeoteleuton III, 140.
Humani Generis Encycl. Benedicti XV: IV, 209 (2).
Iac. in canone II, 5, 44, 47-4, 50, 59-61, 63-64.
Iacobitae; de canone II, 33; schola masoretica III, 82.
Ieremias I, 6.
Ieremiae epistola II, 22.
Imprecatio I, 78; IV, 164-165.
Inerrantia s. Script. I, 79; IV, 169; ad res relig. restricta I, 79; testimonia I, 80; S. Hieron. de inerr., I, 99.
Influxus I, 43, 46; in facultates executivas I, 52; physicus I, 55; positivus I, 60; Spiritus S. in verba I, 64; supernaturalis I, 46.
Innocentius (S.) I Papa II, 32, 52, 58, 121.
Innocentius III, I, 26.
Inscriptiones: aramaicae IV, 54; hebraicae III, 13-14; IV, 54; cf. Siloe; moabitica (r. Mesae) III, 15; IV, 54; Panammu regis IV, 188; phoeniciae III, 7, 10; IV, 87 (4).
Inspiratio I passim; II, 63; III, 138; IV, 163, 167, 168 (1), 171, 172 (2), 173, 186; insp. et revelatio I, 38.
Interpretatio S. Scripturae IV, 206; authentica IV, 171; cur necessaria IV, 1; Ecclesiae commissa IV, 168-170, 172; varia ratio IV, 184-187 nominum hebraicorum III, 121; IV, 10.

Interpunctio III, 14-15, 38.
Introductio in S. Script.: auctores IV, 10, 24-25, 31, 45, 47, 49-51, 53; duplex modus tradendi IV, 207; generalis IV, 206; specialis IV, 206.
Iob II, 30, 33, 39; IV, 152.
Ioh. in canone II, 5, 45, 62, 64; interpretatio I, 88; IV, 185.
1 *Ioh.* II, 44, 47.
2, 3 *Ioh.* II, 5, 45, 47-50, 56-57, 59-60, 63.
Iohannes: v. Chrysostomus.
Iohannes (S.) Damascenus II, 33, 60.
*Iosephus Flavius I, 56; II, 12, 15, 17, 80, 115; III, 13, 62, 128 (5).
Iosias rex II, 9.
Iosue II, 9, 11.
Irenaeus (S.) I, 13; II, 22-23, 44, 46, 49 (1), 51, 53; III, 43, 50.
Is. III, 5-6; IV, 185.
Isidorus (S.) Hispalensis II, 60; III, 116, 119; IV, 35.
Iudaei III, 13-14, 16; exegesis IV, 3-4, 12-15, 37-38; cf. 24; periodica IV, 57.
Iudas II, 5, 45, 47-48, 50, 56, 60-61, 64.
Iudas Machabaeus II, 10.
Iudicium Ecclesiae IV, 172, 174; privatum doctorum IV, 168 (2); practicum I, 49; speculativum I, 49.
Iudic. II, 30.
Iudith II, 5; III, 3; in canone II, 17-18, 22, 24, 30-31, 33.
Iustinus (S.) I, 13; II, 24, 45, 53; III, 50, 136.
Karaitae IV, 39.
Κοινή graeca IV, 88.
Lamentabili, decretum S. Officii IV, 62, 141 (3), 170 (1), 172 (1), 181, 192.
Lam. seu *Threni*, III, 21.
Lectiones variae III, 139-140; V. T. III, 14, 18-20; N. T. III, 57; Vulgatae III, 111. 115. 125. 128; LXX III, 62. 67. 70. 138.
Leo XIII I, 28, 44, 46, 73, 83; II, 37; III, 129; IV, 58, 60-61, 85-86, 105, 112, 117, 120, 123, 127 (3), 168 (2), 170 (1), 171, 175, 179, 181, 188, 190, 193-195, 209 (2), 210, 213; cf. *Providentissimus*.
Leptogenesis s. *Liber Iubil.* II, 74-75, 95.
Leucius Charinus II, 121.
Libertas interpretis IV, 52, 61-62, 174-175, 185.
Libri historici I, 87; poetici I, 76; sacri I, 6.
Lingua aramaica III, 3, 73 (1); aramaismi IV, 88; arabica III, 89 (1); IV, 86; babylonica-assyriaca III, 5; IV, 86; cananaea III, 5; graeca biblica IV, 44, 54, 88; hebraica III, 3; IV, 43-44, 54, 86-87; hebraismi IV, 88; V. T. primigenia III, 5; syriaca III, 76 (1); IV, 86.
Litterarium genus IV, 107, 110-111; cf. 130, 152; indoles IV, 180; quaestiones IV, 187; vestis IV, 125.
Liturgia, ex apocryphis II, 72.
Loci paralleli III, 18-20; IV, 99.
Luc. II, 45; pericopa disputata II, 5, 62.
Lutherus Martinus I, 30; II, 7, 35, 61; IV, 48.
Machabaeorum l.: in canone II, 5, 22, 24, 30-33, 34 (8).
1 *Mac.* II, 17, 30, 35; III, 3.
2 *Mac.* II, 18, 22; III, 3.
3 *Mac.* II, 36, 73, 80-81.
4 *Mac.* II, 73, 115.

Manasses rex II, 84; cf. Oratio M.
Manes I, 27.
Manichaei I, 26; II, 123.
Marcion I, 26; II, 45-66, 53, 71, 50; Marcionitae II, 128.
Mc. II, 45; pericopa disputata II, 5, 60, 62.
Martyrium S. Andreae II, 122; *Isaiae* II, 84; *Pauli* II, 119; *b. Petri apostoli* II, 117.
Masora hebraica 5 (2); III, 18 (1); III, 28-33; syriaca III, 82; Masoretae 6; masoreticus textus V. T. 5; III, 18, 28-35, 135-136; cf. Textus.
Materia scribendi III, 8, 37.
Mt. II, 44-45.
Melito (S.) Sardensis II, 21, 26-27, 79.
Mens s. auctoris varia IV, 162-167. Mentis illustratio I, 48.
Mesae inscriptio III, 15; IV, 54.
Messias in apocr. II, 93, 98; munera IV, 143.
Metaphora IV, 90 (3); IV, 157.
Metrica IV, 98.
Midras, Midrasim II, 17, 74; III, 27; IV, 12 (1*bis*, 2); haggadicum I, 85; IV, 126; citantur *Genesis rabba* IV, 13; *Mechilta* IV, 14 (4); *Siphra* IV, 14 (1); *Siphre* III, 25.
Miracula I, 106; IV, 185.
Misna IV, 12; citatur tract. *Iadaiim* II, 14.
Modernistae I, 37.
Monophysitae: de canone II, 57; cf. Iacobitae.
Montanistae I, 56.
Moyses I, 6; II, 9, 11-12; IV, 147.
Muratorianum fragmentum: v. Canon.
Narratio ficta IV, 134-135; liberior IV, 126, 133.
Nehemias II, 10, 15.
Neh. II, 30, 33.
Nestoriani: de canone II, 33, 55, 57, 59; schola masoretica III, 82.
Notaricon IV, 15.
Numeri: notae III, 16; rotundi IV, 133.
Occidentales: masoretae III, 32-33; scriptores IV, 150.
Octapla III, 64
Odae Salomonis apocr. II, 73, 113.
Oratio Aseneth apocr. II, 73, 89; *Ioseph* II, 89; *Manassis* II, 35 s., 66, 72 s., 91.
Ordo librorum s. 4; II, 34 (8); III, 103, 116, 118, 121.
Orientales: masoretae III, 32-33; scriptores IV, 130, 150.
Origenes I, 14; de canone II, 6, 14, 21, 24-27, 29-31, 46, 48 (1), 50, 53, 56; de apocr. II, 67, 79, 85, 95, 103; III, 11 (1), 13 (1); curae criticae III, 50, 61, 64-66, 69, 91, 97, 105, 135; exegesis IV, 7-11, 18, 28, 30, 69, 77, 116.
Ostraca Palaestinensia III, 10, 13; IV, 87 (4).
Palaestina: cognoscenda IV, 104; explorata IV, 54.
Papyri: usus in scribendo III, 8, 37; Elephantinae reperti III, 13; N. T. III, 41.
Parabola: definitio IV, 157 (2); interpretatio IV, 158, 161; a Iesu C. usurpatae IV, 143, 158 (2); differt a fabula IV, 160.
Paralipomena Ieremiae apocr. II, 73, 87-88.
Par. 3; II, 30, 33, 35; III, 4, 13; IV, 133.
Parallelismus poeticus IV, 96.
Paraphrasis IV, 201; auctores IV, 46-47.

Parisiensis recensio Vulgatae III, 121-125.
Pars libri s. formalis et materialis I, 62, 64; in canone Tridentino II, 63.
Pascendi Encycl. Pii X IV, 62, 149 (3).
Pastor Hermae II, 47, 49.
Patres Ecclesiae: auctoritas IV, 171, 174 (1), 180, 194; citationes V. T. III, 65-67; N. T. II, 41-42; III, 43; consensus in S. Scriptura interpretanda IV, 170 179-180; exempla in scholis IV, 207; sententia I, 67, 71.
Paulus (S.) I, 8.
*Pelagius IV, 32.
Pentateuchus 4; I, 9-11, 16, 44; aramaicus III, 74; graecus III, 60; samaritanus III, 22; authentia IV, 184-186, 188; lectio in synagogis III, 73. V. Lex.
Pergamena III, 8, 37.
Pesitta, versio syriaca II, 51, 57, 59; III, 17, 44, 50, 76-79; codices III, 83.
Petr.: in canone II, 44, 47 (3).
1 *Petr.* II, 47, 50, 56-57, 59; IV, 75.
2 *Petr.* II, 5, 41, 47-48, 50, 56-57, 59, 64; III, 81.
Philem. II, 45, 64.
*Philo iud. I, 56; II, 16; III, 60, 62; IV, 3 (3), 10.
Philologia sacra IV, 11, 44, 48, 54, 206.
Philosophoumena: de canone II, 46.
Pistis Sophia de apocr. II, 113.
Pius X I, 28; III, 129 (2); IV, 62-63 (2), 86 (1), 140 (3), 149 (1) 177 (1), 179 (3), 181, 190, 192, 209 (2).
Polycarpus (S.) II, 23-44; III, 84.
Polyglotta Biblia III, 2; Complut. III, 34, 52, 69, 125; Londin. III, 22, 83, 88 s.; Paris. III, 72, 83, 89; IV, 45.
Postilla IV, 204; auctores IV, 42 s.
Praedicatio Petri apocr. II, 116, 118.
Praestantia Scripturae S., motu proprio Pii X IV, 63, 177 (1).
Prophetae I, 14; I, 26; de s. libris II, 14, 18.
Prophetae (pars V. T.) II, 10-13, 45; in scholis IV, 207.
Prophetia I, 106, 107; impleta IV, 142- 143.
Protestantes: de canone II, 28, 35, 38 (cf. 20), 61, 64; exegesis IV, 48, 51, 53, 55; de inspiratione I, 30, 58; II, 7; periodica IV, 57.
Protocanonici libri II, 3.
Protoevangelium Iacobi apocr. II, 72, 116.
Prov. II, 10-12, 14; IV, 79, 100, 103 (1), 152.
Providentissimus Deus, Encycl. Leonis XIII I, 1, 28, 44; II, 37; IV, 58, 60, 64, 82, 85-86, 90 (2), 112, 117, 120, 123-124, 170 (1), 171, 175, 179, 181, 188, 193-196, 207 (3), 209 (2), 210 (1, 2), 213-214.
Ps. II, 10-12, 39; IV, 187; historici IV, 153 (2); numeratio III, 4; in scholis IV, 207.
Psalmi Salomonis apocr. II, 73, 112.
Psalmus David idiographus apocr. II, 73, 110.
Psalterium gallicanum (Vulg.) III, 105, 113; romanum III, 105.
Pseudepigraphi apud Protestantes II, 5 (1).
Pseudonymia I, 96; IV, 155.

Puncta vocalia hebr. textus III, 29.
Quoniam in re biblica, Litt. ap. Pii X IV, 207 (1).
Rabbini II, 12-13; II, 66-67; magistri S. Hieronymi III, 109; scholae III, 27; IV, 12-15, 38-39; Biblia rabbinica III, 33-34; IV, 38.
Ratio scribendi I, 90-92, 94-95.
Rationalismus I, 34; IV, 52; rationalistae IV, 52.
Recensiones: V. T. III, 18; N. T. III, 50-52, 56; LXX III, 64, 66-68; Vulgatae III, 116-119.
Recognitiones pseudoclementinae II, 117.
Regula apostolicae veritatis IV, 183; fidei IV, 181; intellegendi IV, 183.
Res fidei et morum III, 134; IV, 170-171, 181.
Revelatio I, 31, 54; I, 111-112; IV, 100, 173.
Rom. 6; II, 45; IV, 75.
Rufinus Tirannius II, 31, 34, 36, 49, 67, 79; III, 97.
Ruth II, 30-31.
Rythmus poeticus IV, 98 (1).
Sacrorum antistitum, Motu pr. Pii X, IV, 62.
Samaritani II, 10, 22.
Samuel: opera II, 9, 11; etymologia IV, 147.
Sam. III, 4.
Sap. II, 5; in canone II, 17-18, 22, 24 (2), 30 (5), 31, 33, 47; III, 3; IV, 100.
Schola alexandrina Iudaeorum IV, 3-4; alexandrina Christianorum IV, 6-7, 32; antiochena IV, 16-25, 28, 32: Karkaphensis III, 82; nisibena IV, 26.
Scholastici IV, 40-43. 48.
Scholion IV, 203; auctores IV, 7, 11, 47, 55.
Scribae seu Soferim 6; III, 24.
Scriptura V. T. primitiva III, 5-6; hebraica antiqua III, 10-12; quadrata III, 13; graeca III, 38; continua III, 14, 38.
Scriptura S.: nomen 1; I, 7; auctoritas I, 5, 7, 41; dignitas IV, 72; divinitus inspirata I, 8, 17; ecclesiae commissa IV, 168-170; effectus I, 105; inerrantia I, 24-25; lectio privata IV, 209-212; l. publica IV, 207 (1); praelectiones IV, 207; praestantia I, 1; studium IV, 213; testimonium historicum I, 5, 11; utilitas IV, 209; verba Dei I, 13. 14,
Scripturae Sanctae, Litt. apost. Pii X IV, 63.
Securitas doctrinae IV, 62-64, 177.
Sensus attributivus I, 8; catholicus IV, 183; Ecclesiae IV, 179, 183, 191-196; religiosus I, 36.
Sensus S. Scripturae IV, 65; divisio IV, 2, 66-67; accommodatus IV, 67, 71-72, 81, 156 (1); allegoricus IV, 2, 67, 72, 156 (1); anagogicus IV, 2, 67, 77; cf. Anagoge; certus IV, 67; consequens IV, 67, 71-72, 80, 142-143, 156 (1); corporalis IV, 8, 69; dogmaticus IV, 2, 83; dubius IV, 67; explicitus IV, 70; falsus IV, 67; grammaticalis IV, 67; historicus IV, 2, 67 (4), 83; immediatus IV, 2; implicitus IV, 70; improprius IV, 2, 67; litteralis IV, 2, 66-69; (unitas) 70 (2)-73 (4), 74 (2), 75; (vis probativa) IV, 76 (4), 80 (1), 82-84, 142-143, 145 (1); logicus IV, 67; mediatus IV, 2;

metaphoricus IV, 2, 67; moralis IV, 2, 72; mysticus IV, 67; obscurus IV, 67; obvius IV, 8, 67, 69; philologicus IV, 67; plenior IV, 67, 70, 79, 82, 143; principalis IV, 71 (1), 74 (1); praecisivus I, 92; probabilis IV, 67; proprius IV, 2, 67, 69, 90; realis IV, 67; rerum IV, 2; spiritualis IV, 8, 67, 71, 73; symbolicus IV, 2; translatus IV, 2, 67, 90; tropicus IV, 2; tropologicus IV, 2, 67; typicus IV, 2, 66-67, 72, 75-77 (vis probativa); 78, 84, 142 (1); verborum IV, 20; verus IV, 67, 179.
Septuaginta interpretes III, 58, 60; Versio V. T. III, 17, 35, 58-72; IV, 88-89; auctoritas III, 132, 138; citationes in N. T. II, 19; III, 61; IV, 119; codices III, 36 (1), 59, 65-67, 72, 142; differentiae a TM III, 11, 21, 25; editiones III, 69-70; emendatio III, 71-72; indoles III, 58, 60; recensiones III, 64, 66-67; varia II, 16, 18-19; IV, 149 (1), 188.
Sibyllina oracula II, 73, 108.
Sigilla hebraica effossa III, 10; IV, 87 (4).
Siloe (inscriptio) III, 10; IV, 54, 87 (4).
Sixtus V III, 69, 128, 138.
Spelunca Thesaurorum apocr. II, 83.
Spiritus Paraclitus, Encycl. Benedicti XV, IV, 64, 112, 118, 119 (1), 120, 122-123, 125, 127, 140 (1), 149 (3), 196, 209 (2), 210 (1), 213-214.
Spiritus S.: auctor S. Scripturae I, 17; inspirans et dictans s. litteras I, 23; non eodem modo omnes I, 60; secundum SS. Patres omnia a Sp. S. profecta I, 71; prophetae Sp. S. pleni I, 13; solo Sp. S. testimonio non fit Script. s. I, 41-42.
Stichometria III, 38-39; cf. II, doc. 2.
Strophae poeticae IV, 91, 97 (1).
Susanna (l. Danielis c. 13) II, 17, 22.
Symbolum IV, 161; actio symbolica IV, 75 (157), 161; sensus symbolicus IV, 2.
Sygagoga magna II, 13-14 (3).
Synopsis S. Script. pseudo-athanasiana II, 30; pseudo-chrysostomiana II, 30 (3).
Syri interpretes S. Scripturae IV, 26.
Talmud IV, 12 (1)-13; de canone II, 12, 14-15; de s. textu III, 25-27; Babylonicum IV, 12 (citantur tractatus *Baba Bathra* II, 12, 14 (3); III, 29; *Chagiga* II, 14; IV, 13; *Menachot* II, 14; *Sabbath* II, 14, 67; IV, 13; *Sanhedrin* II, 67; III, 11 (1); *Sopherim* III, 25, 29); Hierosolymitanum IV, 12 (citantur tractatus *Sanhedrin* II, 67; *Taanith* III, 25); Talmudistae III, 15-16.
Targum III, 17, 73-75, 109; IV, 12, 145.
Temura IV, 15 (2).
Tertullianus I, 14; II, 6, 22, 46, 47, 51, 119; III, 93.
Testamenta XII Patriarcharum apocr. II, 95, 109; *Testamentum Abrahae* II, 105; *Adae* II, 81-83; *Ezechiae* II, 84; *Iob* II, 90; *Mosis* II, 97; *Salomonis* II, 73, 91
Tetrapla III, 64.
Textus: graecus N. T. III, 36-57; auctoritas critica III, 57; dogmatica III, 137; codices III, 41-42, 51; purpurei III, 51;

editiones III, 52-56; t. receptus III, 56-57; hebraicus V. T. III, 3; auctoritas III, 35, 132, 135-136; codices III, 33; editiones III, 34; t. receptus III, 34 (cf. Masora); emendatio III, 35, 71-72, 142, t. V. T. in N. T. lalegati I, 76.

Theodoretus Cyr. II, 30, 57, 59; III, 67, 81; IV, 16, 24.

Theodorus Mopsuestenus II, 30, 33, 55, 57; II, 60 (1); IV, 16, 22, 176.

Theophilus (S.) Antioch. I, 13; II, 45, 108.

Theoria apud Antiochenos IV, 20.

Thomas (S.) Aquinas I, 19; II, 41 (2); IV, 42, 66 (1, 3), 71 (1); 73 s., 75 (1), 77-79, 165 (3), 171 (3), 179, 205.

1 *Tim.* II, 41, 45.

Titus Bostrensis II, 37; IV, 18.

Tob. II, 5; III, 3; in canone II, 17-18, 22-24 (2), 25, 31, 33.

Traditio: apostolica II, 6, 19-20, 39, 46; catholica de inspiratione I, 113; ecclesiastica IV, 170, 180, 187; popularis I, 85; IV, 126, 131-132.

Transitus Mariae apocr. II, 116, 136.

Transcriptiones hebr. textus III, 27 (2), 61, 64.

Typologia IV, 5, 27.

Typus: quid sit IV, 75; varia genera IV, 75-77; in N. T. IV, 77; in V. T. IV, 20 (1)-22, 26-28; sensus typicus IV, 2, 66-67, 72, 75-77.

Verbum Dei I, 7; scriptum I, 22; verba Dei, Christi, Angelorum I, 13. 76.

Veritas: absoluta et relativa I, 84; IV, 60, 122; citationis et rei citatae IV, 137.

Versiones S. Script.: in genere III, 57-58, 132; V. T. III, 17; N. T. III, 44-49; aethiopica III, 44, 59, 88; arabica III, 44, 89; aramaicae III, 73-75 (cf. Targum); armeniaca III, 90; copticae III, 44, 45, 59, 87; georgiana III, 44, 91; gothica III, 44, 92.

Latinae antiquae III, 17, 44, 59, 92-97, 115, 117; itala III, 100; recentiores III, 125-126 (cf. Vulgata).

Syriacae: III, 76-85; curetoniano-sinaitica III, 46, 80; heracleensis III, 85; Palaestinensis III, 86; cf. Pesitta; philoxeniana III, 17, 84; syrohexaplaris III, 59, 65, 85.

Vernaculae III, 132, 143; IV, 56, 200.

Versus: divisio Script. S. 6; III, 24, 125.

Vigilantiae, Litt. Leonis XIII IV, 189 (2).

Vis vocabularum nativa IV, 86; probativa cf. Sensus S. Scr.; rhetorica IV, 90.

Visio Mariae Virginis apocr. II, 136.

Vita Adae et Evae apocr. II, 73, 81.

Volumen III, 9, 37.

Vulgata versio latina III, 101-134; authentia III, 130-134; ad canonem II, 63-65; codices III, 116-119, 127-129, tab. 6; editiones III, 101, 125-127, 129; IV, 211 (5); emendationes III, 116-123, 128, 129; indoles textus III, 45-47, 54, 56, 107; usus III, 133; IV, 211; variae lectiones II, 10 (2), 12 (2); III, 140, tab. 6; virtutes III, 107, 133-134.

Zadoqaeum documentum II, 75.

Zohar, liber cabalisticus IV, 39.

Zoologia IV, 48, 114.

*Zwinglius I, 30; II, 61.

TABULAE

AD HISTORIAM TEXTUS ET VERSIONUM ILLUSTRANDAM

Ad textum hebraicum V. T. . . . . tab. 1

» » graecum N. T. . . . . » 3

Ad versionem graecam LXX . . . . . » 4

Ad versiones orientales . . . . . » 2

Ad versionem latinam antiquam . . . . . » 5

» » » vulgatam . . . . . » 6



Fontes: 1. Bybli, saec. XIII a. C.; cf. n. **6**. – 2. Meša, regis Moab, saec. IX a. C. – 3. Ostraca Samariae, saec. IX–VIII a. C.; cf. *Harvard Excavations at Samaria*, Cambridge, 1924. – 4. Ad fontem Siloë, versus 700 a. C. – 5. Samaritani codices. – 6. Teima (aram.), saec. V a. C.; e *Corp. inscript. sem.*, 2, tab. IX. – 7. Papyri aramaicae, saec. IV a. C.; cf. n. **13**. – 8. Inscriptiones iudaicae, saec. II–I a. C. – 9. Papyrus Nash, saec. I p. C.; cf. *Rev. bibl.*, 1904, 242-250. – 10. Codex prophetarum Petropolitanus, saec. X p. C.; cf. n. **33**.



Psalmus 110 (109) armeniace, arabice, coptice, syriace, aethiopice (procedendo a laeva ad dextram). E cod. Vat. Barberini Or. 2, f. 150r.



Cod. Vat. gr. 1209 (B; cf. n. **42**), p. 1479.

2 Cor. 3,1-4,6.

In 2 columna lineas 10-7 ante finem, quia bis scriptas (= 6-3), intactas reliquit is, qui atramentum iamdiu evanidum in media aetate per totum codicem instauravit. Ad 3 col. lin. 8 a. f. in margine notatur capitulum 45, ex antiqua divisione, quae unica numerorum serie omnes S. Pauli Epistolas complectitur; cf. p. 4, n. **6**.



Cod. Chisianus (nunc in Bibl. Vaticana) R. VII. 45, f. 89v.
Ier. 44 (51), 11-14 cum signis origenianis (asteriscis et obelis; cf. n. **64** s.).



Cod. Vat. lat. 7223, saec. v (h), f. 38r.

Mt. 20, 27 – 30 ex antiqua latina (cf. n. **96**), cum additamento, de quo n. **45**.



Cod. Vat. lat. 7223, saec. v, f. 166r.

Lc. 10, 41-11, 5 e Vulgata (cf. n. **116** fine). Ad 10,42 var. lect. «cum unum sit» non afferunt Wordsworth-White (n. **128** fine).

INDEX TABULARUM

1. Scripturae hebraicae e variis monumentis.

2. Cod. Vat. Barberini Or. 2, f. 150r.

3. Cod. Vat. gr. 1209 (B), p. 1479.

4. Cod. Chisianus R. VII. 45, f. 89v.

5. Cod. Vat. lat. 7223, f. 38r.

6. Idem. f. 166r.

DESCLÉE & C.
TOURNAI

220.1
N917
3251

NUMEROUS
AUTHOR
Institutiones Biblicae Scholis
TITLE
Accomodatae
Vol. I

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
SEP 25	N. Conway	

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

3251